

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

1820—1821.

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

a d. VIII *Februarii A.* CIƆIƆCCCXX. *ad d.* VIII *Februarii A.* CIƆIƆCCCXXI.

RECTORE MAGNIFICO

NICOLAO SMALLENBURG.

ACADEMIAE ACTUARIO

HENRICO GUILIELMO TYDEMAN.



LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,

MDCCCXXI.

INDEX

EORUM, QUAE SEXTO ANNALIUM LEIDENSIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

INDEX

EORUM, QUAE SEXTO ANNALIUM LEIDENSIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

inde a d. VIII *Februarii* CIƆIƆCCCXX *ad d.* VIII *Februarii* CIƆIƆCCCXXI,

IN ACADEMIA LUGDUNO—BATAVA
DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

N. SMALLENBURG.

ACADEMIAE ACTUARIUS

HENRICUS GUILIELMUS TYDEMAN.

JURIDICI PROFESSORES.

N. SMALLENBURG.
E. HAGEMAN.
J. M. KEMPER.
H. G. TYDEMAN.

THEOLOGI.

J. G. TE WATER, ob aetatem septuagenariam rude donatus.
J. VAN VOORST.
J. CLARISSE.
L. SURINGAR.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET *PHYSICARUM.*

S. SPEYERT VAN DER EYK.
C. EKAMA.
C. G. C. REINWARDT.
G. J. VAN DER BOON MESCH, Professor Oeconomiae Ruralis extraordinarius.
J. DE GELDER, Professor disciplinae Mathematicae et Physicae extraordinarius.

PHI-

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM.

J. H. VAN DER PALM.

M. SIEGENBEEK.

S. J. VAN DE WYNPERSSE.

H. TOLLIUS, ob aetatem septuagenariam rude donatus.

M. TYDEMAN, ob aetatem septuagenariam rude donatus.

E. A. BORGER. (Obiit die 12 Octobris cIↃIↃcccxx.)

J. BAKE.

H. A. HAMAKER, Professor LL. OO. extraordinarius, Legati Warneriani interpres.

C. J. C. REUVENS, Professor Archaeologiae extraordinarius.

MEDICI.

M. S. DU PUI.

G. SANDIFORT.

J. C. KRAUSS.

A. YPEY, ob aetatem septuagenariam rude donatus. (Obiit die 26 Februarii cIↃIↃcccxx.)

J. C. B. BERNARD.

A. G. F. PFLUG, primus in Nosocomio magno militari, quod Leidae est Medicus.

LECTORES.

C. F. RUPPE, Musices.

D. P. HUMBERT DE SUPERVILLE, Literarum Italicarum et Gallicarum.

H. TAYLOR, Literarum Anglicarum.

N. G. VAN KAMPEN, Literarum Germanicarum.

MAGISTRI ACADEMICI.

C. H. EYFFERT, Equitationis.

G. KNIPPENBERG, Artis Gladiatoriae.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

habendarum, a die XIX Septembris A. 1820.

RECTORE MAGNIFICO

NICOLAO SMALLENBURG.

FACULTAS JURIDICA.

N. SMALLENBURG, Institutiones secundum WESTENBERGIUM tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Pandectas iisdem diebus, hora VIII.

Institutiones Juris hodierni dictabit diebus Mercurii, Jovis et Veneris, hora XII.

E. HAGEMAN, si aetas ingravescens septuagenaria et corporis valetudo illud permittent, diebus et horis postea indicandis in scholis suis de re Diplomatica aget.

J. M. KEMPER, Jus Naturae explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora IV.

Jus Gentium et Publicum iisdem diebus, hora IX.

Jus Criminale, iisdem diebus, hora VIII.

H. G. TYDEMAN, Encyclopaediam Jurisprudentiae docebit diebus Mercurii, Jovis et Veneris, hora I.

Historiam Juris Romani secundum BACHIUM diebus Lunae et Martis hora I. et diebus Mercurii et Jovis, hora III.

Oeconomiae politicae primas lineas tradet diebus Lunae et Martis, hora XII. et die Veneris, hora XI.

Praeterea CAJI Institutiones Juris Romani, illis qui Humanioribus Literis operam navant, explicare, nec minus *Statisticam*, speciatim Belgicam, tradere paratus est.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. G. TE WATER, Historiam Politico-Ecclesiasticam totius Regni Belgici narrabit diebus Lunae et Jovis, hora XI.

J. VAN VOORST, Theologiam Dogmaticam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora X.

De Curis Pastoralibus aget die Veneris, hora X.

Hermeneuticam V. et N. F. tradet, et Epistolam Jacobi ac selecta V. F. loca interpretabitur, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora XII.

Orationibus Sacris audiendis vacabit die Mercurii, hora XII.

Disputandi exercitia alternatim cum Collegis moderabitur die Veneris, hora V.

J. CLARISSE, Theologiam Moralem tradet, sive de Hominis Christiani officiis exponet, singulis Lunae, Martis, Mercurii et Jovis diebus, examen de eadem disciplina instituturus die Veneris, hora VIII.

Theologiam Naturalem docebit diebus Martis et Jovis, hora IX.

Encyclopaediam ac Methodologiam Theologicam explicabit diebus Mercurii et Veneris, hora IX.

Librum Sapientiae apocryphum, et primam Clementis ad Corinthios epistolam cursorie tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora III.

Exercitiis Oratoriis Sacris praeerit die Lunae, hora I.

Idem, rogatu Ill. Curatorum, perget Historiam Naturalem, vacante cathedra, tradere diebus Martis et Jovis, hora I.

L. SURINGAR, Historiam Ecclesiasticam, a Christo nato ad emendationem Sacrorum Saec. XVI., narrabit die Lunae hora IX, eodemque et Mercurii ac Veneris diebus, hora XI.

De

De eadem examen instituet die Veneris, hora III.

Theologiam Symbolicam sive comparativam, et selecta Historiae Dogmatum capita exponet diebus Mercurii hora XII. Veneris I, et Saturni VIII.

Orationibus Sacris pronuntiandis praeerit die Martis, hora XII.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

S. SPEYERT VAN DER EYK, Mathesin sublimiorem docebit, diebus Lunae et Mercurii, hora XI.

Physicam experimentis illustratam tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

C. EKAMA, demonstrabit Mathesin diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Astronomiam popularem diebus Martis et Jovis, hora IX.

Physicam Mathematicam diebus Lunae et Mercurii, hora X.

Astronomiam diebus Martis et Jovis, hora XI.

Geometriam applicatam diebus et horis deinceps constituendis.

G. J. VAN DER BOON MESCH, Oeconomiae Ruralis Professor Extraordinarius, rei rusticae elementa tradet diebus Lunae et Mercurii, hora I.

J. DE GELDER, Professor Extraordinarius, docebit principia Arithmeticae Universalis; — tradet etiam elementa Statices diebus et horis postea indicandis.

FACULTAS PHILOS. THEOR. ET LITERARUM.

J. H. VAN DER PALM, Grammaticam Hebraeam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Antiquitates Hebraeas enarrabit iisdem diebus, hora IX.

Oratoriae Sacrae praecepta tradet, diebus Martis et Jovis, hora I.

Lectionibus Coranicis vacabit, diebus Martis, hora V et VI.

M. SIEGENBEEK, Patriae Historiam exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Literarum Belgicarum historiam criticam tradet, iisdem diebus, hora XII.

Rhetorices, in primis Belgicae, praecepta explicabit iisdem diebus, hora I.

Selectas quoque Vondelii Tragoedias, vel *Poëseos Belgicae specimina* a se edita, bis per hebdomadem, hora auditoribus commoda, interpretari paratus est.

S. J. VAN DE WYNPERSSE, Metaphysicam exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Philosophiae Moralis illam partem, quae agit de Officiis Deo debitis, Doctrinam nempe Religionis Naturalis, vel Theologiae Naturalis Practicae, tradet, (nisi alia quaevis magis commoda videatur) iisdem diebus, hora XI.

De Lectionibus in *Logicam* habendis post elapsas ferias constituet.

H. TOLLIUS, quasnam lectiones, quibus horis, sit habiturus, postea indicabit.

M. TYDEMAN, Antiquitatem Romanam exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

E. A. BORGER, Historiam Universalem tradet, iisdem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Historiam Philosophiae explicabit diebus Lunae et Mercurii, hora I.

J. BAKE, interpretabitur Ciceronis Disputationes Tusculanas, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora IX.

Latine scribendi dicendique exercitia instituet, die Martis, hora X.

Isocratis Orationes enarrabit, initio facto à Panegyrico; tum Selecta Pindari Carmina exponet: diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora III.

Historiam Literarum explicabit diebus Martis et Jovis, hora I.

Antiquitatibus Graecis tradendis horas postea indicabit.

H. A. HAMAKER, LL. OO. Prof. Extraord. et Interpr. Leg. Warner. Selecta Jeremiae loca critice et philologice interpretabitur diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Sermonis Arabici elementa explicabit iisdem diebus, hora X.

Syriacas literas tradet die Veneris, hora IV.

In

In libro Wakidaei de Aegypti inferioris expugnatione, aliove auctore Arabico provectioribus discipulis enarrando perget, diebus Lunae et Mercurii, hora IV.

C. J C. REUVENS, Phil. Theor. et Litt. Hum., praecipue Archaeologiae, Prof. Extr. scholas habebit, semel hebdomade, *de Historiâ Artis Statuariae Veterum;* et scholas *Numismaticas*, secundum *Eckhelii* compendium, Germanice scriptum, semel item hebdomade.

Quarum utrisque horas deinceps constituet.

FACULTAS MEDICA.

M. S. DU PUI, Chirurgiae disciplinam cum praxi in Nosocomio conjunctam exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Artem Obstetriciam cum theoretice tum practice, iisdem diebus, hora XII.

Anatomiam Chirurgicam cum Operationibus hiberno tempore, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora V.

Disputationibus publicis lubenter vacabit, hora dein indicanda.

Medicinam politicam et forensem explicabit bis per hebdomadem hora auditoribus commoda.

G. SANDIFORT, Anatomiam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus, hora IX.

Methodum Secandi Cadavera hiberno tempore quotidie per binas horas.

Botanices fundamenta diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Plantarum historiam verno tempore matutino, hora VII.

J. C. KRAUSS, Materiam Medicam tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora IX.

Therapiae Medicae praecepta conjuncta cum exercitio clinico in Nosocomio Academico exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora XI.

Chemiam et Pharmaciam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora I.

J. C B. BERNARD, Pathologiam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, iisdem diebus, hora IX.

N. G. VAN KAMPEN, Litt. Germ. Lector, Selecta prosae Orationis et Poeseos Germanicae specimina auditoribus exhibebit die Mercurii horâ XII. et Saturni hora IX.

Grammaticam Germanicam docebit diebus Lunae et Veneris, hora III.

C. F. RUPPE, Musices Lector, Harmoniae fundamenta, et principia compositionis musicae docebit diebus Lunae et Jovis, hora III.

D. P. HUMBERT DE SUPERVILLE, Literarum Italicarum et Gallicarum Lector, has literas tradet diebus Lunae et Jovis, hora IV.

Idem in illorum gratiam, qui artem Graphicam colunt, signa Antiquarum statuarum, cum in loco suo erunt collocata, Historice et Aesthetice illustrabit, die Mercurii, hora I.

H. TAYLOR, Literarum Anglicarum Lector, has literas tradet horis dein indicandis.

C. H. EYFFERT, Academicus Equitationis Magister, artem equitandi quotidie docebit.

Theoriam artis equitandi exponet die Jovis, hora V.

G. KNIPPENBERG, Academicus Gladiatoriae Artis Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

ACTA ET GESTA IN SENATU
ACAD. LUGD. BAT.

Die 28 Febr. MDCCCXX. tristis Senatui nuncius allatus est de morte Viri Clar. ADOLPHI YPEY, Medicinae Prof. Ord., sed anno superiore, propter aetatem septuagenariam, rude donati (*).

D. 20 Junii Nobiliss. juvenis D. L. F. L. J. G. DE GAIFFIER, More Majorum solemniter Doctoratum Juris accepit, Promotore Viro Clariss. J. M. KEMPER. Qua occasione primum Candidatus disseruit: *de Jure gratiae principi non denegando;* Promotoris oratio fuit: *de gravissimis officiis quae Jureconsultis praecipue nata sunt ex praesenti publicarum rerum conditione ad Juris et fori normam magis quam ante composita.*

D. 23 Junii. NIC. GOTHOFR. VAN KAMPEN, Vir Doct., Literarum Germanicarum in hac Academia Lector, rogante Facultate, Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Doctor consensu Senatus creatus est.

D. 14 Octobris. Rector Magnif. refert ad Senatum: quemadmodum prima vice hujus anni (d. XI Febr.) Senatum coëgisset de morte optimae conjugis Clarissimi Collegae BORGERI, ita nunc lugentem se lugenti Senatui nunciare debere, Virum Clar. ELIAM ANNAEI F. BORGERUM, nobis, Litteris, Academiae, in ipso aetatis flore esse ereptum.

D. 15 Januarii MDCCCXXI. In Senatu nominatio facta est Rectoris Magnifici et Actuarii Academiae in annum sequentem. Prior, cum litteris ex more, missa ad Regem, altera ad Academiae Curatores.

D.

(*) [In Actis superioris anni memorandae fuerant d. 6 Aprilis Senatui nunciata mors Viri Clariss. KLEYNHOFF VAN ENSPYCK; d. 23 Jul. SEB. JUST. BRUGMANS; d. 19 Januarii MDCCCXX. DAN. WYTTENBACHII; cujus et Scriptorum catalogum, ut plenius satisfiat Edicto Reg. d. 2 Aug. 1815. art. 251, hisce Actorum excerptis subjunximus.
H. G. T.]

D. 3 Febr. Rector Magnif. Senatui tradidit constitutionem Regiam, d. 25 Januarii h. a., qua Rector Magnificus in annum Academicum sequentem designatur Vir Clar. JOANNES CLARISSE, Theol. Prof. Ordin. cui a Rectore et a Collegis facta gratulatio.

Mox a Senatu electi, qui novo Rectori adsint Adsessores:

e Facultate Phys. Mathem.	Clar. SPEYERT VAN DER EYK.
e Facultate Phil. Litter.	Clar. VAN DER PALM.
e Facultate Medica	Clar. DU PUI.
e Facultate Juridica	Clar. KEMPER.

D. 8 Febr. in Conventu Curatorum, Rectoris et Adsessorum hujus anni, Actuarius in annum proximum electus est Vir Clar. M. S. DU PUI; quod quum Rector Magnif. ad Senatum retulisset, illi Viro Clar. facta est gratulatio: deinde Rector Magnif. cùm universo Senatui, tùm in primis Clariss. Adsessoribus gratias egit pro honore sibi habito auxilioque praestito: Senatus vicissim Viro Magnifico pro rebus hoc anno strenue et laudabiliter gestis meritas agit gratias.

Mox Ill. Curatoribus in Senatum introductis, in hoc Senatu Amplissimo jusjurandum ex lege praestiterunt designati Rector Magnif. et Actuarius.

His peractis, Vir Clar. NIC SMALLENBURG, munus Rectoris hujus Academiae posuit, habita in Auditorio publico Oratione, quae in fatis Academiae laetis, et, plerisque quidem, tristibus, quae hoc anno contigerant, unice fuit occupata. Recitatis autem ab Actuario H. G. TYDEMAN, Judiciis Facultatum de commentationibus ad Quaestiones superioris anni ad se perlatis, Rector Magnif. praemia et laudes his quibus decreta fuerant a Facultatibus, solenniter distribuit. Qui postquam cathedram reliquisset, eandem conscendit Actuarius, et novum Rectorem Magnificum ex litteris Augustiss. Regis proclamavit, Adsessores et novum Actuarium renuntiavit, et programma certaminis literarii in annum sequentem praelegit.

SERIES SCRIPTORUM,

DAN. WYTTENBACHII, V. Cl.

1769. *Epistola Critica super nonnullis locis Juliani Imp.; accedunt animadversiones in Eunapium et Aristaenetum, ad Virum Celeb. D. Ruhnkenium.* Göttingae. formâ 8ª.

1771. *Plutarchi liber de Sera Numinis Vindicta.* L. B. formâ 8ª.

1772. *Oratio de conjunctione Philosophiae cum elegantioribus literis.* Amstelod. formâ 4ª.

1777. *Bibliotheca Critica.* 3 Voll. 12 partes. Amstelod. 1777—1808. formâ 8ª.

1779. *Oratio de Philosophia, auctore Cicerone, laudatarum artium omnium procreatrice et quasi parente.* Amstelod. formâ 4ª.

1780. *Disputatio de Unitate Dei*, ad quaestionem positam anno 1779 a Curatoribus Leg. Stolpiani, quae sic se habet: *Is het door het enkele licht der Rede betoogelijk, dat er niet meer dan één God zijn kan? welk is dat betoog? en zijn er ooit volken of wijsgeeren geweest, welke tot de kennis van die waarheid zijn gekomen zonder behulp of spoor eener Goddelijke Openbaring?* Cui disputationi praemium adjudicatum est die 13 Octobris 1779. Prodiit, Lugd. Bat., Commentationum Leg. Stolp. Theol. T. III. p. 1, sqq. formâ 4ª.

1781. *Praecepta Philosophiae Logicae.* Amst. formâ 8ª.

1784. *Disputatio de Immortalitate Animi*, ad quaestionem positam anno 1783 a Societate Teyleriana Theologica, sic se habentem: *Hoedanig was het gevoelen der oude wijsgeeren, van Thales en Pythagoras af, tot op Seneca toe, wegens het leven en den staat der zielen na den dood des ligchaams?* praemio ornata, et inserta Actorum hujus Societatis T. IV. p. 1, sqq. Harlemi. formâ 4ª.

1785. *Oratio de vi et efficacia Historiae ad studium virtutis.* Amst. formâ 4ª.

1794. *Selecta principum historicorum, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Polybii, illustres loci, et Plutarchi Vitae Demosthenis et Ciceronis.* Amstel. formâ 8ª. — iterum ibid. anno 1808. — tertiâ vice, ibid. et L. B. 1820.

1795. *Plutarchi Chaeronensis Moralia, id est, Opera, exceptis Vitis, reliqua,* Graece, cum novâ interpretatione Latinâ, animadversionibus et indicibus edita Oxonii, formâ 4ª et 8ª. Prodiit hoc anno, formae 4ᵃᵉ Tom. I. — 1796. T. II. — 1797. Tom. III. et IV. — 1800. T. V. — 1810. T. VI. Reliqua exspectantur. — Tomus I editionis Oxoniensis denuo prelo subjectus est Lipsiae, anno 1796 et 1799. 2 voll.

1799. *Vita Davidis Ruhnkenii.* L. B. et Amst. formâ 8ª.

1802. *D. W. Notae in Juliani librum in Constantini laudem*, adjectae hujus libri editioni, quam curavit G. H. Schaeferus, V. Cl., hoc anno Lipsiae. formâ 8ª.

1803. *Epistola ad P. G. van Heusde*, praemissa hujus *Specimini Critico in Platonem.* L. B. formâ 8ª.

1809. *Philomathiae*, sive *Miscellaneae Doctrinae* Liber primus. Amst. formâ 8ª. — Liber secundus. 1811. — Liber tertius. 1817.

1810. *Annotatio ad J. Bakii Librum de Posidonio*, qui prodiit L. B. formâ 8ª.

—— *Platonis Phaedon, explanatus et emendatus prolegomenis et annotatione.* L. B. formâ 8ª.

1814.

1814. *Notae D. W. in librum Plotini de Pulchritudine*, qui hoc anno, curante Fr. Creuzero, V. Cl., prodiit Heidelbergae. formâ 8ª.

1818. *D. W. Selecta Scholarum in Ciceronis libros de Natura Deorum*, in ejusdem Creuzeri editione hujus Operis Ciceroniani. Lips. formâ 8ª.

1822. *D. W. Animadversiones postumae in Eunapium*, in editione Eunapiana, quam curavit J. F. Boissonadius, V. Cl. Parisiensis. Amstelod. formâ 8ª.

D. W. in varios Veterum Auctorum locos *conjecturae*, hîc illic sparsae in discipulorum Dissertationibus. Sunt autem fere hae:

1793. In *G. L. Mahnii Diatribe de Aristoxeno*, Amst. — ad p. 60, sq., 102, 106, sq., 110, sq., et 211.

1802. In *F. G. Lyndeni Disputatione de Panaetio Rhodio*, L. B. — ad p. 75 et 94—100.

1803. In *P. G. Heusdii Specimine Critico in Platonem*, L. B. — ad p. 85.

1808. In *J. Th. Netscheri Disputatione de M. Tullii Ciceronis Oratione pro A. Licinio Archiâ Poëta*, L. B. — ad p. 24, 34 et 47: conjecturae a *D. W.* repetitae in *Philom.* I. 194, sqq.

1816. In *J. Brownii Specimine, exhibente Observationes in Xenophontis Symposium et Cyropaediam*, L. B. — ad p. 21, 27, 33 et 34.

D. W. Epistola Critica ad Ruhnkenium aliosque, ejus Orationes, Vita Ruhnkenii, disputationes, dedicationes et praefationes, item relationes breviores aliaque fragmenta e Bibliotheca Critica et Philomathia desumpta, efficiunt: *D. W. Opuscula Oratoria, Historica, Critica, nunc primum conjunctim edita*, quae 2 voll. formâ 8ª. prodierunt post Viri Cl. obitum, Lugd. Bat. et Amstelod. Anno 1821.

JOANNIS MELCHIORIS KEMPER

ORATIO

DE

GRAVISSIMIS, QUAE EX PRAESENTI PUBLICARUM RERUM CONDITIONE JCTIS PRAECIPUE NATA SUNT, OFFICIIS,

HABITA IN ECCLESIA GALLICANA, DIE XX JUNII ANNI CIƆIƆCCCXX,

QUUM

NOBILISSIMUM JUVENEM,

DAVIDEM LUDOVICUM FRANCISCUM LEOPOLDUM JOSEPHUM GHISLENUM DE GAIFFIER,

NAMURCENSEM,

PUBLICE ET MORE MAJORUM JURIS UTRIUSQUE DOCTOREM RENUNCIARET.

AUDITORES, QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, QUOS SUA QUEMQUE DIGNITAS, INGENIUM, VIRTUS ET LITERARUM STUDIA ORNANT ATQUE COMMENDANT.

Etsi vereor, ut in tanto publico dolore, quantum omnibus intulit luctuosissimus dilectissimae matris optimi Regis obitus, parum forte decorum possit videri, dicere me incipientem laetari, infitias tamen ire non possum, laetum me hodie in hanc cathedram adscendisse.

In pluribus autem duo maxime sunt, quae festum hunc diem gratum mihi reddant et jucundum. Nam et in tanta rerum novarum copia habet aliquid, quod animos recreet ac reficiat ad pristinos mores informata solemnitas, et ab eo obsoletum fere Hollandiae institutum in lucem revocari non parum gaudemus, qui ex novis cum Belgio Foederato recens conjunctis provinciis advena, ipso hoc exemplo suo publice doceat, unam tantum Belgarum patriam, omnesque in universo Belgio Belgicas Academias esse.

Neque de caussa diu aliquis vestrum quaerat, A. A., qua permotus insolitos hos quodammodo honores sibi Candidatus hicce petierit; — Ingenue,

quid ad hoc eum moverit in prolegomenis, dissertationi inaugurali praemissis, exposuit. Nec profecto tantum, ut prae caeteris, secum bene meritis, multis sese extolleret, is in animo habere juvenis potuit, qui, aliorum semper laudes celebrans, urbanitate sua et humanitate maxime omnium semper commilitonum amicitias sibi conciliavit.

Quos autem is modeste, et pietatis officio quasi se excusans, petiit honores, eos ex meritis nos illi decrevimus, et, cum sibi gratum et acceptum fore dicebat Candidatus, si solemnis haec opportunitas illi concederetur publice testandi, quantum Leidensi Academiae debeat, nos quidem lubentes eandem occasionem arripuimus, publice testandi, quanto pretio tales alumnos Academia habeat.

Cum autem et a me Promotore orationem aliquam exigeret diei solemnitas, talem mihi dicendi materiam eligendam putavi, quae et ab illa solemnitate plane aliena non esset, et praesentem aliquem usum posset habere. — Antequam igitur ad ipsos hujus diei ritus transeam, pauca mihi liceat praefari: *De gravissimis, quae ex praesenti publicarum rerum conditione, ad juris et fori normam magis quam antea composita, JCtis praecipue nata sunt, officiis.* — Dicenti vos A. A. H. H. linguis animisque favete.

Post adoptatam a Constantino Magno religionem Christianam arctiora, quam quidem unquam ante, inter religionem et civile imperium vincula exstitisse omnibus notum est. — Theocratica sacrorum librorum doctrina Principibus ac Episcopis ambitiosis conveniebat, et in dies non tantum ecclesiasticorum auctoritas gliscebat, verum et magis quotidie in civilibus rebus ordinandis ad praecepta religionis, ecclesiasticamque doctrinam respiciebatur.

Verum temperabat crescentem ecclesiae vim atque potestatem pristinorum Caesarum in successoribus etiam indignis venerabilis majestas, et qui auctoritatem suam omnem imperatoribus debebant, palam se imperatoribus superiores dicere nondum audebant.

Sed, everso nunc seculo quinto Romanorum in occidente imperio, quam diversa exstitit Europearum rerum facies? — Nova penitus instituta, novi principes, novae gentes, et in omnium antiquarum rerum eversione ita sola super-

perstes potestas ecclesiastica, quasi collapso orbe eam unam incolumem attingere ruinae non potuissent.

Quanta autem nunc illi ex ipsa ea incolumitate majestas! Quanta nunc auctoritas illorum, quibus non religionem tantum, verum et institutionem, humanitatem, omniaque fere vitae civilis commoda barbarae gentes debebant! Qui beneficiis antea creverant, illi nunc beneficia dispensabant ipsi, et, qui se principibus pares aliquando tantum et cunctanter antea dixerant, eosdem nunc, Dei vicarios, dominos cuncti fere Europae principes venerabantur; paucis quidem jugum illud abjicere conantibus, verum eo fere semper eventu, ut et amissam vim mox sub imbecilliori successore facile ecclesiastici recuperarent, et in ipsis victoriae successibus Principes illi non ecclesiasticorum quidem, sed ecclesiae tamen auctoritatem supremam agnoscerent.

Nec profecto, quae per seculorum seriem alte radices egerat opinio, eam unus potuit eventus evertere. — Itaque fregit quidem et labefactavit ecclesiasticam potestatem mutata seculo XVI rerum ecclesiasticarum in nonnullis Europae civitatibus ratio, sed non sustulit. — Neque sic erant ab omni ambitione remoti, qui novae nunc rerum conditionis auctores atque patroni exstiterunt, ecclesiastici omnes, ut omnino nullam pristinae auctoritatis vim sibi retinere voluerint.

Mansit igitur ex antiqua rerum conditione etiam illis in civitatibus pristinum inter ecclesiam et imperium vinculum; et vel propter id ipsum, qui participes esse imperii diutius non poterant, tales in eo administrando saepe erant consiliarii, ut, quae major fuerit, haec occulta, an manifesta illa altera auctoritas, nemo facile affirmaverit.

Atque haec quidem ad aetatem usque nostram Europaearum rerum ratio fuit, ut *Theologicum* fere, sive *ethicum*, si malitis, omnium civitatum quasi vitae principium dici potuerit, donec ultimo seculo exeunte adeo fuerint in oppositam rationem omnia repente mutata, ut illius quoque mutationis paulo altius repeti caussas ac principia debere facile appareat.

Et sane ita revera sese res habet. Eidem illi adversario tandem quod diximus principium succubuit, quem primum sibi contrarium ante octo nunc fere secula erat expertum.

Cum enim primis recentioris historiae nostrae temporibus non literarum tantum et doctrinae omnis, qualiscunque ea tunc temporis fuerit, verum et juris omnis atque legum depositarii essent ecclesiastici, ut ex media aetate leges barbararum gentium non paucae ecclesiasticos potissimum auctores habuerint, eos aegre quidem suae potestatis aemulos ferebant principes, verum ex ipsa rerum conditione auctoritas illis odiosa et originem et vim suam omnem ducebat.

Sed paulatim nunc praeter ecclesiasticos novum eruditorum genus exstitit, et ad lucem revocato in Italia juris civilis Romani studio, quae renatum JCtorum ordinem jam pridem Ecclesiasticorum ordini adversarium constitueret, caussa, non aemulatio tantum diversarum scholarum vulgaris, sed in primis prompta principum fere omnium solertia fuit, qua sibi novum illum ordinem conciliabant, ut et suos sibi haberent viros literatos, quos Episcopis Pontificibusque opponerent.

Verum uti honores sibi a principibus oblatos non spernebant illi, ita et periculum suae potestati imminens neutiquam negligebant Ecclesiastici. — Quod Romanorum juri civili opponeretur compilatum fuit Jus Canonicum. *Legistarum* exstiterunt cum *Decretistis* controversiae. Verum Pandectarum lucem infuscare Decretalia non potuerunt, et crescente in dies, maxime propter novas curias atque Parlamenta, quae dicebantur, ordinis JCtorum auctoritate, brevi eo res pervenit, ut, qui primas initio partes sibi summo studio arrogaverant ecclesiastici, iidem secundis tandem partibus difficulter vindicatis contenti ex certamine discederent.

At, quominus tamen plenum exitum haberet duorum illorum ordinum contentio maxime eorundem principum, qui certamen primi provocaverant, sagacitas prospexit. Judicialem absolutam potestatem, quam tuebantur Parlamenta, non minus quam ecclesiasticam sibi contrariam esse intelligebant imperantes, et, quasi mediam aliquam viam sequentes, contentionis patroni esse desinebant, qui a plena utrarumque partium victoria aeque sibi multum esse metuendum intelligerent.

Quae autem principum voluntate in scholas relegata, publice nunc sopita vi-

videbatur controversia, eam, principibus invitis, in lucem nostra aetate retraxit Philosophia politica; nec tamen prudens illa et modesta, qualem aut Plato aut Cicero tradiderunt, verum tumultuaria et superba, quae, civilia omnia instituta novo examini submittens, vel ipsius adeo juris, ad cujus normam omnia revocari volebat, pristinam disciplinam ita funditus subvertebat, ut ex veteri licet contentione novi penitus effectus deberent oriri, si successum conatus haberent.

Quales autem successus conamina habuerint, omnes novimus. — Disruptum penitus vidimus in civitatibus multis quod antea fuerat religionem inter et imperium vinculum. Ad solius juris normam magis magisque in dies etiam nunc reduci omnia quotidie observamus, et quantum his omnibus ipsorum quoque JCtorum in rebus publicis auctoritas et debuerit crescere et revera creverit, nemo sane poterit dubitare, qui vel sola nomina eorum respexerit, quorum in nostrae aetatis vicissitudinibus praecipuae aliquae partes fuerunt.

Verum haec satis quidem, credo, ut constet, inter reliqua nostrae aetatis insignia, quibus ab anteriori aetate haec distinguitur, non ultimo sane loco et majorem ordinis JCtorum auctoritatem censeri debere, atque in omnibus rebus aestimandis magis juridicam formam.

Uti autem de re ipsa atque facto nemo jam facile dubitaverit, ita de novae illius rationis laudibus ac vitiis multa sane possunt argumentis et rationibus praeclare disputari; nostrum vero hoc loco tantum est paucis historicos illius rei in vita civili effectus attendere.

Neque tamen hic locis communibus ac vulgaribus immorabimur. — De injustis dissentientium persecutionibus, de impotenti ecclesiasticorum dominatione, de cogitandi libertate, de diversis religionis atque civilis vitae rationibus declamarunt multi, graviores, licet aliquantulum remotiores, effectus pauci attenderunt.

Atque primum quidem in oculos statim hic incurrit alia longe ratio, qua civile imperium ipsum, omnemque imperii majestatem utraque ratio aestimat. — Quos divinae auctoritatis depositarios pristina ratio dicebat imperantes, eorum officia et jura ex mandati solo contractu derivanda esse altera schola disputat. —

tat. — Qui ex priori doctrina Deo tantum et conscientiae respondere de imperio debebant, secundum novae disciplinae principia mandantibus reddere rationes tenentur. — Quibus ad patrumfamilias exemplum arbitrariam fere et amore tantum in populos paterno temperatam potestatem tribuebat antiquius vitae civilis principium, illis perfectorum tantum, quae dicuntur, jurium vindicationem recentiora praecepta concedunt, et qui sancta denique majestate sua tanquam involuti vix ullos actionum suarum aestimatores habebant, ab iisdem ne vilissimos quidem iniquissimosque ex infima plebe mandantium reprehensores coërceri posse, frequens in opposita schola ac vulgaris vox est.

Nec minoris profecto aut pauciores in ipsa imperii administratione novae disciplinae effectus fuerunt. — Qui ex pristina doctrina legibus et condendis et applicandis simul praeërant, illos, siquidem de jure inter privatos dicendo sermo non esset, sine injuria legum severitatem vel augere vel minuere, prouti quaeque res postularet, videbantur, nam voluntas ipsa in singularibus caussis lex erat, et frequentes ex aequitate dispensationes, exceptiones, transactiones, remissiones, quot et quanta sibi consectaria pristinum principium habuerit, facile ostendunt. — Ex novo autem principio alia penitus rerum forma. — Quod antea ultra caussas forenses privatas vix extendebatur praeceptum, omnia lege et lege sola aestimanda esse, nunc ad publicas quoque res coepit applicari, adeo quidem ut non de illis tantum quae privatus cum privatis egerit, verum et de his, quae imperii jure imperans sive jusserit sive vetaverit, cognitionem ex lege ad interpretes legum, Tribunalia, pertinere plurimi cum applausu defendant.

Quot et quanta vero ex mutato sic penitus vitae politicae principio vel in ipsis legibus, cum civilibus tum criminalibus nova penitus et majoribus inaudita oriri debuerint ac revera orta sint, dici omnino vix potest. — Ut, cum omnia, quae originem hinc traxerunt, enumerare, unius horae brevitas non sinat, paucos tantum in jure criminali, verum gravissimos illos, effectus indicasse satis sit, quo intelligant indocti, rationem ipsam, cur nonnulla nunc impunita penitus aut leviter tantum coercita videant, quae ante annos non adeo multos exquisitissimis poenis vindicabantur, nullam aliam esse, nisi hoc ipsum mu-

mutatum muneris legislatorii principium, cujus praestantiam in abstracto extollunt, cujus consectaria intelligere ac perspicere non videntur.

In summo imperante et legislatore Vicarium Dei pristina doctrina existimabat. — Omnia igitur, quae judicio divino subjecta essent, modo definitionem admitterent, etiam legibus subjici posse cuncti credebant, et, meliorem nullam criminum aestimationem, quam quae ex ipsa actionum turpidine proficisceretur, inveniri posse, omnium erat et consentiens doctrina, cui non parum auctoritatis addebat vulgaris opinio, statim post adoptatam publice religionem Christianam recepta, atque perpetuo deinde propagata, melius nullum et perfectius legum exemplum exstare, quam Mosaïcarum, quae supremum Numen ipsum auctorem prae se ferrent.

Itaque primum nunc atque principem locum in omnibus omnium gentium legibus criminalibus occupabant ex Theocratico illo principio, quae in Deum et religionem committi dicebantur delicta. — Gravius nullum, quam Divinae majestatis laesae crimen, — secundum, quo principes, Dei vicarii, laederentur, ut vel simplices injuriae verbales aliquando morte coercerentur: et in reliquis omnibus eadem plane ratio, ut, quin plura, etiam contra bonos mores, delicta, quae antiqui Graeci ac Romani legislatores plane non attenderant, gravibus et capitalibus adeo poenis potuerint ac debuerint coerceri, nulli fere ex antiquioribus juris criminalis interpretibus dubitaverint.

Verum novi plane ex recentiori doctrina limites. — Qui jure tantum et legibus omnia aestimari volebant, etiam leges ipsas intra juris limites coërcendas putabant. — Quod de delictis contra religionem aliquando Romanorum Imperator dixerat: *Deorum injurias Diis esse relinquendas*, illud nunc ad omnia, quae turpia tantum et inhonesta, non autem injusta, essent, novae disciplinae patroni extendebant: et quin protinus, eo adoptato principio, multa ex Codicibus antiquioribus penitus ejici, alia ad inferiores delictorum classes referri oportuerint, nemo, paulum supra vulgus sapiens, non intelligit: ut hoc nomine certe leves illorum reprehensiones sint, qui mutatam hac in re juris nostri criminalis rationem Gallicae gentis levitati tantum et corruptis moribus tribuunt, quasi turpia non habuissent legis auctores, quae levioribus

aut aliquando etiam nullis poenis publicis coercenda putarent. — Principia enim non sunt, de quibus illi queruntur, verum consectaria; neque de consectariis justae videntur eorum querelae, qui principia ipsa summis laudibus efferre, atque quantum injustitia distet a turpitudine late disputare solent.

Sed ne hic quidem novi principii constiterunt effectus; et in publica ac privata vita multa sunt, quae non nisi hinc explicari possint. — Nec profecto talis rerum humanarum est conditio, ut impune, quae per secula steterant et cum moribus gentium quasi coaluerant, leges immutari sine insigni morum quoque mutatione potuerint. — Quas per longum tempus severissimis legibus coercitas actiones populi viderant, eas ex omni legum potestate velut manumissas videre nequeunt, quin simul pristinae quoque de illarum actionum honestate vel turpitudine opiniones labefactentur. — Nec profecto aliquis est, qui ignoret, quantum hoc nomine Belgarum quoque moribus semel et simul introductae, nullisque mediis praeparatae, Gallorum de matrimoniis, adulteriis, omnibusque contra mores delictis, leges nocuerint.

Quod si vero dubitet quis utrum de publica quoque vita, de necessitudine singulorum civium cum summis imperantibus, dicendum sit; — age, — legat is pristinos illos scriptores, qui amore, qui fide, qui benevolentia vincula inter imperantes et populos necti disputabant, et cum illis scriptoribus comparet oratores publicos, qui socialis omnis vitae fundamentum, libertatisque omnis praesidium non nisi in vigili semper et indefessa diffidentia diffidentiaque sola versari cum applausu dictitant. — Aut, si ex vita potius quam ex scriptis exempla malunt, — age, — in memoriam revocent, quam et nos juvenes vidimus, aetatem, qua vel ad levissimam Patriae, magistratibusque honestis factam injuriam, tanquam de caussa communi ageretur, omnium animi exardescebant: et cum illa rerum conditione comparent studium, quo in omnis generis scripta injuriosa nunc plerique feruntur, aviditatemque, qua scurriles quasque ineptias, modo contumeliae aliquid habeant, fere omnes devorant; et profecto, nunc mores facere, quod antiquitus leges faciebant, neque mutatis legibus mutatam inde vitam fuisse, non facile credo aliquis serio defenderit.

Sed

Sed de effectibus etiam haec pro nostro instituto, et angustia temporis sufficiant. Quodsi vero nunc de effectuum commodis et incommodis quaeratur, primo quidem loco observandum, hanc de commodis et incommodis quaestionem, longe a quaestione de utriusque principii veritate remotam esse.

Etiam nobis verius videri recentius principium, quod humanam omnem jurisdictionem, humanum omne imperium, solius juris limitibus circumscribit, et aliis saepe opportunitatibus diximus, et nunc etiam palam et ingenue profiteri non dubitamus. — Sed et veritas ipsa suos limites habet, ultra quos falsum esse incipit quod intra eosdem verissimum est, et non ea profecto rerum humanarum hominumque natura est, ut veritatem, vitamque civilem ad solius veritatis praecepta compositam, ferre semper populi valeant; et quin inter effectus illos, praeter laetos, praeclaros, omnique virium intentione vindicandos fructus, etiam spinae sentesque multi suboleverint, creverintque, mihi quidem dubium plane non est.

Sed de laudibus quidem et commodis, loco grato et populari, multi dixerunt; de incommodis et periculis monere magis fructuosum est.

Propius autem nunc ad te maxime spectat Oratio, ornatissime Candidate! et ad vos omnes, A. A. H. H, quotquot hic adestis, qui, Academicae vitae absoluto stadio, ad publicam vitam mox accedetis. — Gravis est, quam vobis sustinendam Patria dabit, provincia. — Verum, uti in armata militia plurimum solent periculi habere stationes, quae praeclare vindicatae plurimum laudis atque gloriae habent, ita et in militia hac nostra togata gravitas ipsa et momentum ordinis nostri in praesenti rerum publicarum conditione novorum nobis officiorum fons atque caussa est.

Viribus potissimum suis pristina imperia consistebant; hodierna communi magis civium existimatione, sive publica, quam vocare solent, opinione, fortia sunt. — Verum, uti antea semper, ita et nunc, suos habet opinio illa sive existimatio moderatores; nec profecto, quantae in hac temporum ratione eo nomine JCtorum partes sint, aliquis dubitaverit.

Sed, quo major alicujus auctoritatis vis est, eo major quoque in auctoritatis illius usu jure requiritur prudentia. — Facile est, reprehensionibus, ca-

 vil-

villationibusque eorum, quae publice fiunt, gloriolam sibi aliquam apud indoctam omnium ordinum plebem quaerere; verum (animis illud precor insculpite, Juvenes optimi) verum difficillimum est, quae ex cavillationibus illis civitati infliguntur, quaeque in dies graviora fiunt, vulnera sanare, ubi in re praesenti, inopinato existente periculo, non nisi concordia omnium salva esse res publica potest. — Primum sine dubio et praeclarum rationis praeceptum est, ut humanae naturae praestantiam in se quisque veneretur. — Nec sane ulla re magis illa veneratio conspicua est, quam si spe nulla, metu nullo, aliquis moveatur ad deserendam caussam, quam semel veram justamque esse intellexerit. — Sed praecepto locus non est, nisi ad suscipiendam caussam alicujus officii necessitate obligamur. — Quamdiu vero tale non apparet officium, per Patriam, per omnia, quae Patriae nomine cara comprehenduntur, Vos obtestor, Juvenes, ne hoc unquam obliviscamini, in civili non minus quam in privata vita benevolentia, fide, et amore omnia consistere, maledicentia vero suspicionibusque majores has, quas civitates dicimus, familias non minus quam domesticas turbari, atque reprehensionis, ex levitate forte profectae, facile quidem et saepe, excusationis autem et benevolentiae fere nunquam nos poenitere.

Sed hoc quidem omnium est commune officium, cujus in JCtis propter praesentem rerum conditionem frequentior tantum usus et applicatio est; — quae sequuntur ad ipsum muneris exercitium propius pertinent.

Neque hic prius aliud quid aut antiquius praeceptum est illo, ut ne ultra fines juris atque judiciorum auctoritas extendatur. — Grave est sine dubio lateque patens et fructuosum admodum principium, *leges*, *non homines*, *imperare*, et praeclarum sane libertatis praesidium, *ab omni imperio liberam esse tribunalium jurisdictionem debere.* — Sed ne salutaris lex in exitium civitatis tendat, JCtorum maxime nobile est officium prospicere.

Prudentissimo sane consilio fundamentalis nostrae legis auctores triplicem civitatis auctoritatem, quam vocare solent, legislatoriam, administrantem, atque judiciariam, distinxerunt. — Nam in legibus condendis lentam maxime prudentiam, in administrando efficacem magis sed aequitate temperatam prompti-

tu-

tudinem, in judicando tandem firmam solum et immotam legum observantiam necessarias esse bene intellexerunt, et hoc nomine nihil omnino a tribunalium sanctitate ac libertate remitti debere, nemini magis quam mihi persuasum esse potest.

Sed, quae invicem separatae, in communem civitatis salutem, tanquam in centrum, concurrere diversae civitatis et imperii vires atque facultates debent, earum nulla alteri plane subjici ac submitti debet, et, qui ab una parte judiciorum dignitatem, libertatem, majestatem semper omni modo vindicandam suscepi ac suscipere nunquam desinam, idem palam quoque profiteri non dubito, nullam mihi perniciosiorem, nullam exitiosiorem pestem cognitam esse ea doctrina, quae nuperrime gliscere coepit, et applausu fuit a plurimis excepta: *non de legibus tantum ipsis, earumque applicatione, verum de finibus quoque auctoritatis legislatoriae atque administrantis, judicium tribunalium atque judiciariae potestatis esse.*

Etenim, cum doctrinae illius ea sit vis, ut a tribunalibus negligi atque sic facto rescindi possint, non decreta tantum legibus contraria, verum decreta omnino omnia, in quibus extra terminos suae potestatis evagatus summus imperans possit videri, atque leges adeo ipsae cum fundamentali lege pugnantes; nemo sane vestrum est, quin intelligat, semel admissa hac doctrina, non tres amplius auctoritates distinctas esse, quas illi commendant, verum unam tantum supremam judiciariam, cujus an magis commendanda sit absoluta auctoritas, Gallica nos sub regibus imbecillioris ingenii *Parlamenta* doceant.

Huic igitur malo frenum injicere, nobilis vestra est provincia, qui, forensibus rebus admoti, illud sane nunquam obliviscemini, inter prima liberalitatis officia, quam laudari, nec immerito laudari, quotidie auditis, etiam illud nec sane ultimum officium esse, ut non minus in actionibus contra civitatem aut civitatis magistratus, quam in actionibus contra privatos ea moderatione utamur, quae ingenuos atque vere liberales viros decet, atque semper despiciamus omnes, qui ab imperantibus magistratibusque omnia semper

menis auctor exposuit; post auditos, clarissimos antecessores Bruxellenses, GOBBELSCHROYUM, TARTIUM, ERNSTIUM, nulli non scholae juridicae Leidensi cum successu interfuit, ex qua novos sibi fructus polliceri potuerit.

Atque huic quidem studiorum diligentiae, cum praeterea vitae integritas, morum honestas, atque modestia non vulgaris accederent, post defensam heri publice ac solemni ritu Dissertationem, *de initiis incrementisque Juris Criminalis in Belgio*, jure sane censuit Facultas Juridica, universusque Senatus Amplissimus Academicus, in eum petentem posse Majorum More supremos in Romano et Hodierno jure honores conferri, qui majorum more studiis incubuisset.

Horum vero honorum conferendorum provincia cum ad me ordine pervenerit, eam lubentissime nunc suscipiens rogo te, Nobilissime Candidate, ut in hanc cathedram doctoralem adscendas.

Pervenisti igitur, Juvenis optime, quo tam diu contendisti. In loco consistis, quem nemini occupare licet, nisi publica lege ad docendum admisso. Praemium accipies eruditionis ac virtutis maximum, quod nisi bene merentibus nunquam offert Academia; tantorumque successuum testem habes patrem optimum et egregie de te meritum, testem omnem hanc coronam virorum, dignitatum splendore minus etiam quam meritorum in patriam fama illustrium, testes denique commilitones hos omnes, quorum unanimis ad honores tuos applausus amicitiae benevolentiaeque sinceritatem testatur.

Itaque; bonum, felix et faustum quod esse jubeat Deus O. M. Pro potestate nobis concessa, ex auctoritate Rectoris Magnifici, ex amplissimi Senatus Academici consensu, et nobilissimae Facultatis Juridicae decreto, ego te

DAVIDEM LUDOVICUM FRANCISCUM LEOPOLDUM JOSEPHUM
GHISLENUM DE GAIFFIER,
Namurcensem,

Ju-

Juris Romani ac Hodierni Doctorem solemniter creo et renuncio; facio tibi potestatem cathedram doctoralem conscendendi, inde leges et jura interpretandi, de jure respondendi, consilia dandi, apud magistratus quoslibet postulandi, caussas in foro orandi; tribuo tibi insuper jura privilegiaque omnia, quaecunque rite creato Juris Romani ac Hodierni Doctori ex lege vel consuetudine concedi tribuique solent, quorum omnium in fidem diploma accipies, majore Academiae sigillo munitum, et a TYDEMANNO, Viro Clarissimo, nunc Senatus Academici actuario, subscriptum.

Atque nunc salve, Juris Romani et Hodierni Doctor! Quae dicenda restant pauca sunt, verum gravia. Nec profecto cum ritus quosdam huic solemnitati accedere majores voluerunt, aut cum antiquos ritus illos penitus abrogandos non censuerunt novae legis Academicae auctores, illud eo animo factum est, ut haberet aliquid puerilis superbia, quo se jactaret, verum eo potius, ut qui majori solemnitate propter studiorum praestantiam ad summos in jure honores admitterentur, etiam ipsis illius solemnitatis ritibus ad diligentiorem meditationem ducerentur officiorum, quibus ipsi honores illos accipiendo se submittunt.

Majorum more *togatus* in omnium conspectum prodibis, Doctissime GAIFFIERI. Non inanis hic ritus est. Togatam illam militiam te suscepisse omnes videbunt, quae in defendenda civium vita, fortuna, fama, omnique securitate versatur. Coram toto quasi populo promittis omnia hujus militiae officia te suscipere, et majorum hoc vestimentum intuens majorum quoque gravitatem, simplicitatem morum, et constantiam animi in memoriam revocabis.

Codicem legum apertum tibi exhiberi majorum instituta jubent. Quam praeclara fuit patrum etiam in ritibus constituendis sapientia! Non ex cerebrina aliqua aequitate, non secundum variam aliquam ac mutabilem philosophiam civium jura aestimanda sunt. Ex lege sola respondere, secundum legem solam agere JCtum majores voluerunt, nec profecto tibi continuatam

assiduamque legum lectionem commendare necesse habeo, cujus in lege civili scrutanda indefessam diligentiam omnes praeceptores tui mecum noverunt.

Sed neque semper ad manus leges sunt, neque omnibus etiam caussis leges prospiciunt. *Clausum* igitur *legum codicem* ex majorum institutis tibi exhibeo, ut scias et omnes tecum sciant, non in sola facilitate legum Codices evolvendi, articulosque conquirendi qui ad caussam vel defendendam vel impugnandam valeant, veram jurisperitiam versari. In succum quasi et sanguinem convertendae leges sunt. Ex analogia et ratione juris magis saepe quam ex singularium articulorum verbis vera legum vis et potestas elicitur, et vel legibus deficientibus tamen ex legibus verum JCtum respondere posse debere, *clauso hoc Codice* monere majores voluerunt.

Quid peritiae ac doctrinae nomine a te Patria exspectet, Vir Doctissime, audivisti; verum parvam esse doctrinae ac peritiae laudem in caussarum patrono, vel judice, nisi et virtus ac honestas accedat, non potuerunt non attendere majores, honestissimi ipsi. Liberum esse ac ingenuum justitiae administrum majorum instituta jusserunt, quasi justitia neminem esse superiorem indicare voluissent. Libertatis ac ingenuitatis antiquissimum insigne *Pileum* esse omnes noverunt. *Pileum* capiti impono secundum illius aetatis mores informatum, ex qua sane illustrissima verae ingenuitatis exempla ad nos pervenerunt. Signum illud libertatis accipiens, quasi palam nunc promittis, nunquam te vel propter potentiorum iras, vel propter impotentis plebis furores, vel propter insolentium demagogorum irrisiones ab uno justi tramite deflexurum; declaras te nullis partibus addictum tui juris manere velle, et hac ipsa declaratione polliceris, neque famae, neque fortunae, neque vitae adeo periculum unquam te eo perducturum, ut aliorum caussa deseras, quod semel justum et bonum esse ipse intellexeris.

Talia autem promittentem laeta inter juris atque justitiae defensores patria

tria recipit: verum et fidei tesseram aliquam esse mores majorum voluerunt. *Annulum* igitur *hunc aureum* indice digito dextro recipias, ut jam firmo et indissolubili sacramento tete Themidi vovisse scias, neque per integram vitam unquam obliviscaris, inter veros sacerdotes neminem nisi justum et propositi tenacem virum Themidem agnoscere.

Atque nunc quidem ex discentium subselliis ad publicam vitam te dimittit Pallas Leidensis; sed tam laetis auspiciis dimisso, etiam Sui et Urbis memoriam commendare ex majorum more Urbis Magistratus voluit. — Accipe igitur, quod pro sua in bene meritos liberalitate Consules hujus urbis, Viri Gravissimi, tibi decreverunt, accipe hoc *numisma aureum*, cui nomen tuum inscriptum est; publice illud ex collo tuo suspensum hoc solemni die habeas, ut intelligant cives quanto et nunc pretio virtus et eruditio a Leidensi Magistratu habeatur, atque discant ipsi merita et doctrinam revereri. — Tibi certe, quoties nummum illum respicies, grata erit annorum memoria, per quos, Leidae degens, humanitatem hospitalitatemque ubique semper pro meritis invenisti.

Unum igitur restat, quo laetissimo hoc die defungar, officium. Sed gratissimum illud et jucundissimum. Totius JCtorum ordinis nomine, *porrigo tibi dextram.* Lubens admodum te socium commilitonemque in communibus studiis, in communi justitiae caussa recipio, lubens eum publice amicum appello, qui discipulus mihi carus propter morum urbanitatem studiorumque diligentiam diu fuit.

Absoluta sunt, quae diei solemnitas exigebat, omnia. Gratulor igitur tibi, vir doctissime, dignitatem et honores, quos tuo merito consecutus es. Et, cum unanimis sententiae suae me interpretem elegerint, Rector Magnificus et Senatus Academiae Amplissimus, gratulor omnium nomine. Fausta tibi tuisque eveniant omnia, semperque tibi, in virtutis, doctrinae atque justitiae stadio ad veram gloriam tendenti, propitio numine adsit Deus O. M.

DIXI.

NARRATIO

EORUM, QUAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE ANNO PRAETERITO EVENERE,

FACTA

A

NICOLAO SMALLENBURG,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM TERTIA VICE DEPONERET,

D. VIII. *Februarii*, MDCCCXXI.

VIRI PERILLUSTRES: AMPLISSIMI, GRAVISSIMI: CLARISSIMI: PERITISSIMI: PLURIMUM VENERANDI: CUJUSCUNQUE PORRO ORDINIS, LOCI, DIGNITATIS, AUDITORES HONORATISSIMI: VOS DENIQUE, ORNATISSIMI ADOLESCENTES, SPES ACADEMIAE, PARENTUM, PATRIAE.

Nemini vestrum A. A. mirum videatur, si dixerim, non sine magna animi commotione in hunc me locum conscendisse. Non, quod vestrum de oratore judicium adeo pertimescam. Nam primum quidem, in hoc humanissimorum hominum conventu si quid aliud suspicarer, nisi summam humanitatem, adeoque et benevolentiam et benignitatem, ipse mihi viderer humanitatis regulis adversari. Deinde, neque orator sum, neque hanc mihi facultatem tribuo. Jurisprudentiam profiteor: in qua mea statione si quid praestare possim, quod operae pretii sit, satis superque habeo, quod mihi gratuler, et oratorem agere relinquendum iis, qui hanc artem profitentur, aut, quamvis non profiteantur, re docent, se ea facultate valere. Ut hac die publice verba faciam, necessitatem mihi *Lex* imponit. Huic igitur, quaeso, omnem culpam adtribuatis, si vestro hodie desiderio, et fortasse etiam exspectationi vestrae, non satisfiat.

Sed quod in primis me commovebat, praeteriti erat temporis memoria. Recordabar, tertiam fere seculi partem effluxisse, quum primum ex hoc ipso

 loco

loco munus, quod etiamnum sustineo, auspicarer, et hanc summam erga me Dei benevolentiam cogitans, animo simul repetebam illam rerum varietatem, quae hoc temporis intervallo acciderunt cum patriae, tum Academiae, tum etiam privatae meae domui, et quarum memoria variis quidem de caussis grata mihi est et jucunda, sed multis etiam modis tristis et luctuosa.

Ne tamen existimetis A. A. molestum me vobis futurum eorum omnium, quae animo obversantur, recensione. Nam, quae privatim mihi obvenere laeta et tristia, privatus potius recordor et veneror. Eorum vero, quae patriae acciderunt et Academiae, recens plerorumque memoria est: alia malim tacita relinquere, quam iis memorandis vulnera retractare, quae vix consanuisse videntur. Sed, quid magis aequum est, quam ut illos hac die reminiscar Viros Clarissimos, quos primum ex hoc loco Collegas compellare mihi licuit, sed quos, quocunque oculos converto, frustra nunc quaero. Plures exstincti sunt aetate florentes. Alios urbis calamitas una cum tot aliis optimis civibus eripuit. Alii aetati ingravescenti succubuere. Omnes Viri egregii, exquisitioris doctrinae laude in omni scientiarum genere insignes: quorum amicitia et consuetudine uti mihi licuit, et quorum nonnullos veluti parentes amabam et colebam. Unus tamen ex hoc veluti communi naufragio mecum servatus etiamnum superest, venerandus senex Te Waterus.

Gratulor mihi, Vir optime, vehementer gratulor, quem ante triginta et quod excurrit, annos primum Collegam salutavi, etiamnum me posse caro hoc nomine compellare. O! si in memoriam rediremus eorum, quae interim fieri vidimus, quam possemus ad multam noctem confabulari. Sed quid juvaret? Summa confabulationum foret, quod bona subinde commutari vidimus cum malis, et vicissim mala cum bonis: atque ita fieri solet in rebus humanis: felices, qui minima malorum viderint. Bonis autem haud dubie mecum in primis etiam annumerabis, quod, quamvis tot cara capita amiserimus, quorum memoriam nulla unquam delebit oblivio, in eorum tamen locum subinde succedere vidimus alios viros egregios, qui etiam doctrina et in literas meritis Academiam ornarunt, et etiamnum ornant, ejusque gloriam augent, amplificant: quorum etiam amicitia et familiaritate uti nobis licet, et in

in quibus quoque sunt, qui tui quondam fuere discipuli, mei quondam in hac Academia commilitones, vel in alia Collegae. Tu, Vir optime, ad eam nunc pervenisti aetatem, qua omni labore, ultra quam lubet, supersedere honeste possumus, in primis si integriore aetate praestiterimus, quae patriae, Ecclesiae, Academiae a te praestita esse, omnes et lubentes et grati agnoscimus. Fruaris igitur honestissimo otio tuo. Fruaris eo per omne quod reliquum tibi erit vitae tempus, felix, curis solutus, senectutis incommodis liberatus, laetissimam in primis certamque spem fovens vitae deinde beatioris; meque, ut facis, diligas, qui te amo, carumque habeo.

Sed videri sic possem mei temporis historia occupatus, quum Lex necessitatem mihi imponat referre, quae anno praeterito Academiae obvenerunt. Fateor A. A. sed mallem equidem, hoc mihi non esset injunctum officium: quamvis enim non omne, quod memorandum est, triste sit et luctuosum, agnoscendum tamen, hunc annum multis modis Academiae exitiosum fuisse et dolorosum.

Vix eram magistratum meum ingressus, quin nuntius fuerit allatus tristissimus, obitus conjugis carissimae aestumatissimi Collegae Borgeri. Omnes tum luximus acerbam optimi Viri sortem, iterum dilectissima conjuge orbati, et novo hoc illato vulnere summo moerore lacerati et confecti.

Sensim tamen sensimque paulo majorem animi firmitatem non adeo a tempore, quod nondum ei erat datum, sed a ratione in primis et religione nactus, videbatur Borgerus quodammodo reviviscere, et, quamvis pristinam hilaritatem non recuperasset, restitutum tamen eum existimabamus, et laetabamur, nobis, Academiae, litteris. Ita existimabamus. Sed quam fallax saepe est nostra existimatio. Ecce, rumor est, Borgerum ipsum morbo correptum esse, periculoso morbo, et dum alter alteri tristem hunc nuntium anxio animo nuntiat, eheu! certiores fimus de ipsa optimi Viri morte.

En igitur jam exstinctum lumen, cujus radiis nos vix delectabamur, sed

qui jamjam claram ubique lucem spargebant, et multo adhuc clariorem diem praedicabant.

A teneris deditus litteris, miros in iis progressus brevi fecerat Borgerus, ut mox in Academiam delatus inter principes ejus cives haberetur. Quam frequenter eum audivimus, certe multi nostrum eum audiverunt, in hoc ipso auditorio adversus Commilitones suos disputantem, summa cum voluptate, admirantes cum juvenis ingenium in excogitandis argumentis, quibus adversarium adoriebatur, tum ejus facilitatem, qua, quae cogitaret, Latine proferret. Quum autem dein ipse pro Gradu disputaret, Summisque in Theologia Honoribus ac Privilegiis rite et legitime consequendis, quis auditorum, qui magna aderant frequentia, hunc locum tunc temporis reliquit, qui non summis laudibus efferret totius hujus actus solennis praestantiam, nec admiraretur et diligeret juvenem, quem modo audiverat Dissertationem (*) docte et eleganter, ut omnes agnoscebant, conscriptam, non minore doctrina et elegantia defendentem.

Magnopere igitur mirandum fuisset, si qui curam eo tempore Academiae agebant, Viri Perillustres, animum non advertissent in Borgerum, nec operam dedissent, ut quem inter alumnos suos Academia habuerat primarium, eundem continuo, ut omnes optabant, inter suos posset Doctores numerare.

Vix quoque aliquot menses erant praeteriti, quum Borgero offerretur munus *Lectoris Hermeneutices Sacrae* in hac Academia: quod mox auspicatus est habita Oratione *de Modesto ac prudenti Sacrarum Literarum interprete*, et qua huic se muneri parem esse luculenter probabat.

Per integrum lustrum hoc munere functus est summa diligentia, magno applausu, dilectus ab auditoribus suis, quos ipse pari amore complectebatur. Nec sors ejus magnopere mutata est eo tempore, quo Academia Lugduno-Batava proh dolor! pars facta est Universitatis Francicae. Facultati enim Theologicae tunc temporis Adjunctus, easdem, quas antea solebat, scholas habere perrexit. Donec patria servitute, qua opprimebatur, liberata, et Aca-

(*) Exhibentem *interpretationem Epistolae Pauli ad Galatas.* Lugd. Batav. 1807.

Academia Lugduno-Batava restaurata; atque nova lege constituta, Borgerus tandem, tandem inquam, fieret *Theologiae Professor Ordinarius.*

Non tamen interim latebant, aut negligebantur Borgeri merita: nam praeterquam quod etiam Orationibus suis sacris, subinde habitis, doctissimis, elegantissimis, magnam adeptus esset celebritatem, ut in omnium ferme ore esset: variae quoque Societates Literatae Borgerum socium sibi coöptaverant, in iisque etiam celeberrima Societas Harlemensis eum sibi socium adsciverat, quem brevi ante a Societate Teyleriana viderat auro coronari, et quem ipsa deinde iterum iterumque eodem honore honoravit.

Vix autem annus, ex quo Facultati Theologicae esset adscriptus, erat praeteritus, quin, occasione oblata, transiret in Facultatem *Philosophiae Theoreticae et Literarum*, novam hanc demandatam sibi provinciam suscipiens habita oratione *de Historiae Doctore, Providentiae Divinae administro.* Hac oratione, quae rursus ubique testatur elegans viri ingenium, et accuratam ejus doctrinam, ut facile Wyttenbachii discipulum agnoscas; etiam non obscure significavit, hujus tam subito mutati consilii rationem non levitatem quamdam fuisse, animique inconstantiam, sed suum in primis, quo a teneris imbutus fuit, in litteras amorem, quibus se nunc totum redditum laetabatur, et cujus restitutionis fructus brevi illo tempore, quo novam hanc professionem ornavit, jam dare nobis coeperat uberes, et haud dubie multo etiam uberiores dedisset, si longior ei vita obtigisset.

Atque ita saepius accidere videmus. Stulti, et qui onera existimantur societatis humanae, haud raro vivunt, et in longos annos vitam protrahunt; dum, qui propter egregias suas ingenii animique dotes civitatis ornamenta sunt et lumina, suisque carissimi, in aetatis flore exstinguuntur, nobisque eripiuntur. Horum eventuum caussas indagare rationesque, longe difficillimum est, neo aliud quid plerumque proferre valemus, nisi quod ita Supremo Numini placuit: et hoc etiam nobis sufficit, qui voluntatem Divinam agnoscimus semper sapientissimam atque optimam.

Non tamen hoc impedit, quominus tales nobis acerbos casus jure meritoque doleamus, et lugeamus. Nec quisquam adeo, nisi omnis humanitatis

ex-

expers, moleste feret, Academiam in primis Lugduno-Batavam justo suo moerori et luctui indulgere, quae profecto, si qua alia, acerbos illos casus experta est, et subinde orbatam se vidit suo Schultensio, Broesio, Nieuwlandio, Ravio, aliisque viris eximiis, integra aetate exstinctis, et nuperrime rursus hunc casum tulit in suo Borgero.

Lugeat igitur Academia Lugduno-Batava novam hanc cladem acceptam. Lugeat immaturam mortem Viri, qui insigne ejus ornamentum erat et decus: qui veteri doctrina et elegantia plene imbutus, et eximio ingenio praeditus, raram illam in homine facultatem sibi comparaverat, difficiliora ita exponendi et explicandi, ut viderentur leviora; obscuriora nova saepe luce collustrandi; exiliora ita ornandi, ut grata redderentur: quem propterea in scholis suis libenter audiebat juventus Academica, publice dicentem omnes admirabantur, cujusque scripta (*) summo plerumque honore honorabantur, omnia

(*) Scripta Borgeri, typis excusa, quorum auctorem se professus est, sequentia sunt:

1807. *Spec. Hermen. Inaug. exhibens interpretationem Epistolae Pauli ad Galatas*, 8vo. Lugd. Bat.

1808. *Oratio de modesto ac prudenti Sacrarum literarum interprete*, habita Lugd. Bat. exeunte anno 1807; prodiit ibid. formâ 4ta, anno sq.

1813. *Iets nopens een Brief aan een Vriend, betrekkelijk het Godsdienstig vieren van Leydens Ramp, en de Aanmerkingen op denzelven*, 8vo. 's Hage.

—— *Brief aan een Vriend, over de zoogenaamde Toepassingen achter de Leerredenen*, in Diario *Tijdschrift van Kunsten en Wetensch. (Vad. Letteroef.)* 1813. N°. 3. bladz. 116—124.

1814. *Leerredenen*, 8vo. 's Hage. — typis repetitus liber, Anno 1820, et additum Titulo *eerste deel.*

1815. *Disputatio Latina de quaestione a Societate Teyleriana Theologica proposita*, quae sic se habet: Men verlangt een beknopt Onderzoek der Stellingen, voorkomende in het voor weinige jaren uitgegevene Werk van Wijlen den Hoogleeraar *J. A. Eberhard*, getiteld: *der Geist des Urchristenthums*, en vooral, of meer bepaaldelijk, eene bondige wederlegging van het hoofdzakelijk in het derde of laatste Deel van dit Werk beweerde: *Als of de oorspronkelijke en zuivere leer des Christendoms, niet dan uit eene* vereeni-

omnia avide legebantur ab omnibus, qui exquisitiorem doctrinam amant, et ingenii acumen.... Sed quid ego, justo dolore incensus, laudes Borgeri cele-

eeniging *van het* OOSTERSCH GEVOEL *met het* WESTERSCH *of* GRIEKSCH *verstand of denkvermogen* (Sinn) *zoude ontstaan zijn, en dus, volgens een natuurlijk beloop van zaken, bij eene trapswijze beschaving der beide Werelddeelen, van louter Menschelijke afkomst wezen, als voornamelijk ontleend zijnde uit de begrippen der* JOODSCH-ALEXANDRIJNSCHE *Geleerden, en inzonderheid der zoogenaamde* MADRASCHITEN; *en als of, ingevolge hiervan, zoo wel de voorname of* HOOFDLEERINGEN *des Evangelies, nopens den Persoon, de Waardigheid en het Karakter van haren Stichter, als al het* WONDERBARE *en* REGTSTREEKS GODDELIJKE, *waarmede de eerste verkondiging van hetzelve, volgens de verhalen van de Gewijde Schriften van het N. T. vergezeld ging*, in geenen eigenlijken, *maar enkel* ALLEGORISCHEN *zin opgevat, en inzonderheid het laatste, alles namelijk wat de verhalen der Wonderwerken betreft, slechts als* DICHTERLIJKE BIJSIERADEN, *aan den stijl der Geschiedschrijveren van dien tijd eigen, en overeenkomstig den toenmaligen heerschenden smaak, beschouwd zoude moeten worden?* Verhand. van Teylers Godgel. Genootschap. D. 26.

1815. *Disputatio Latina* de quaestione a Societate Hollandica Scientiarum Harlemensi proposita: *Is het eene volmaaktheid der Historie, en dus een pligt van een Geschiedschrijver, zich alleen te bepalen tot het mededeelen van daden en gebeurtenissen? of mag hij zich veroorloven zijne gedachten en oordeelvellingen tevens mede te deelen, zoo wel omtrent de bronnen en oorzaken dier gebeurtenissen en beweegredenen der daden, als ook omtrent de lessen van Wijsheid en Menschenkennis, welke daaruit zijn af te leiden?* Letter- en Oudheidkund. Verhand. van de Haarl. Maatschappij, D. 1. Recusa Hagae-Com. 1818. formâ 8va.

1816. *De constanti et aequabili Jesu Christi indole, doctrina ac docendi ratione, sive Commentationes de Euangelio Joannis, cum Matthaei, Marci, et Lucae Euangeliis comparato*, Pars I. Lugd. Bat. et Hagae-Com. formâ 8va.

1816. *Fragment eener Voorlezing over de Godenleer van Homerus. Mnemosyne* van de H. H. *Tydeman* en *van Kampen*, II. D. bl. 57—74.

1817. *Oratio de Historiae Doctore, Providentiae divinae administro*, habita Lugd. Bat. 27 Sept. 1817. Recusa Hagae-Com. 1818, formâ 8va.

lebrem? quem qui digne laudet, alterum esse oportet Borgerum, vel — nostrum Palmium (*).

Persequarne A. A. anni praeteriti historiam? — Videri possem jam satis ad- ver-

1819. *Disputatio Latina* de quaestione, a Societate Teyleriana Theologica proposita: *Welke zijn de redenen, dat bij vele Godgeleerden en Wijsgeeren zeker geheimzinnig gevoel, ook* Mysticismus *genoemd, sedert eenigen tijd meer veld schijnt te winnen? Is hetzelve niet gevaarlijk voor Godsdienst en Zedelijkheid? Zoo ja, op welk eene wijze kan dat gestuit worden? En in hoe verre mag en moet het gevoel de koele redenering te hulpe komen of vervangen, bij het onderzoek, de beoordeeling en toepassing der waarheden en voorschriften van den Natuurlijken en Geopenbaarden Godsdienst?* Verhand. van Teylers Godgel. Genootschap, D. 29. — Recusa Hagae-Com. 1820, formâ 8vâ, cum praefatione Borgeri.

— *Voorrede* voor de te Breda, in 8vo. uitgekomene Nederduitsche Vertaling van *C. H. Sack's Werth und Reiz der Theologie und des Geistlichen Standes*, 8vo. Berlin 1814.

1820. *Relatio procuratae editionis Xenophontis Ephesii a Peerlkampio.* (Harlem. 1818, formâ 4ta.) in de *Vaderl. Letteroef.* 1820. N. 2 en 3. pag. 75 — 84. et 117 — 127.

— *Disputatio Latina* de quaestione, a Societate Hollandicâ Scientiarum Harlemensi proposita: *Is het gebruik van vele oude en ook latere Geschiedschrijvers, om verdichte Aanspraken, Redevoeringen en soortgelijke stukken van Welsprekendheid aan hunne Oorlogshelden, Staatslieden en andere voorname Mannen in den mond te leggen, goed- dan af- te keuren?* Letter- en Oudheidkund. Verhand. der Haarl. Maatschappij, D. 3. St. 2.

Carmina aliquot minora Belgica, e quibus in primis memorandum, cujus Titulus est: *aan den Rijn in de Lente van het jaar* 1820.

1821. Prodiit etiam, post mortem V. Cl., sacrarum concionum Belgicarum Tomus alter.

(*) Cujus Orationem Belgicam in obitum Borgeri, junctim editam cum carmine eleco eximii Belgarum Poëtae, Tollensii, nemo non noscit Belgice sciens.

versi dixisse, et Academiae luctuosi, necdum tamen subsistere mihi licet. Omnes cogitatis obitum Viri Celeberrimi, Adolphi Ypei, minus quidem hac ratione acerbum, quod attingere eum aetatem vidimus, ad quam plerique homines non perveniunt: sed tamen etiam valde lugendum, si egregias ejus respiciamus ingenii dotes, et praeclara in omni fere doctrinarum genere merita, ut raro reperiantur, qui tam varia et multiplici eruditione excellant. Quae dixi, brevis et simplex vitae narratio poterit confirmare, qua simul, ut spero, legi satisfiet, et etiam vestro forsitan desiderio.

Natus est Adolphus Ypeus anno superioris saeculi quadragesimo nono, in celebri Frisiae urbe, Franequera. Parentes habuit Nicolaum Ypeum, Matheseos et Architecturae militaris in Academia Franequerana tunc temporis Professorem celeberrimum, et Elisabetham Helenam Smit, genere honestissimam matronam.

In disciplinam scholae urbis natalis traditus, Ypeus, qui adhuc puerulus jam varia dederat ingenii et docilitatis indicia, tam celeres egregios in Graecis Latinisque literis fecit progressus, ut anno aetatis decimo tertio vix impleto, seu ea aetate, qua multi adhuc in tyrociniis morantur, dignus censeretur qui ad Academicas lectiones promoveretur.

Mox igitur ad Academiam patriam accessit, eo adhuc tempore florentissimam. Ibi tum Latinas literas et Historiam docentem audivit Johannem Schraderum, Virum Celeberrimum, Literatorem et Poëtam eximium. In Graecis literis Praeceptorem praecipue habuit Ludovicum Casparum Valckenaerium, Academiae etiam Lugduno-Batavae singulare deinde ornamentum, patrem Jani Valckenaerii, Juris Professoris etiam primum Franequerae, deinde Leidae, celeberrimi, aliisque summis dignitatibus, quas gessit, et in patriam meritis, clarissimi, nuperrime morte nobis erepti. In Mathematicis pater filium erudivit, Vir Celeberrimus, rerum Mathematicarum scientia insignis. Denique in Philosophia praecipue audivit Antonium Brugmansium, Professorem deinde Groninganum, dignissimum patrem filii dignissimi, immortalis nostri Brugmansii.

 Ne-

Nemini igitur mirum videbitur, nostrum Ypeum, qui a natura adeo praestanti ingenio erat praeditus, et tanto flagrabat discendi ardore, talibus Praeceptoribus usum, magnos brevi tempore in his scientiis progressus fecisse. Horum quoque Specimen in publicum edidit. Nam, quum annum aetatis decimum octavum nondum attigisset, Dissertationem conscripsit *de igne*: qua publice et summa cum laude defensa, Artium liberalium Magister et Philosophiae Doctor creatus est, atque ita praemium tulit ducentorum quinquaginta Florenorum, olim Ordinum Frisiae decreto indigenis constitutum, qui ea aetate praecoci quodam studio hunc honorem in Academia patria consequerentur.

Sic jam magnam, quamvis adhuc adolescens, famam consecutus, mox arti medicae addiscendae praecipuam operam impendit, Praeceptoribus in primis usus Feyone Udone Wintero, et Christiano Everardo de Lille, viris in arte medica peritissimis, eamque tunc temporis in Academia Franequerana magno applausu tradentibus. Hos Ypeus rursus adeo diligenter et tanto cum fructu andivit, ut biennio postea Medicinae Doctor fuerit creatus, publice iterum defensa Dissertatione *de putredine*.

Abhinc artem salutiferam inter cives suos exercere coepit Franequerae, et multos deinde per annos fuit aegrorum sospitator promtus et alacer, ut ipse quoque expertus sum, et grato etiamnum animo recordor, quum Franequerae degens, et tanquam collega ejus consuetudine et familiaritate utens, me meosque, quoties opus, ejus peritiae confiderim.

Sed quantumcunque nobile sit hoc munus, et civibus utile, dolendum tamen fuisset, si noster Ypeus, non tantum artis medicae peritia clarus, sed etiam aliarum artium et doctrinarum scientia excellens, omnem vitam unice transegisset aegrotos visendo, iisque, quantum ars valeat, opem ferendo. Imo magnopere mirandum fuisset, si Perillustres eo tempore Academiae Franequeranae Curatores animum non advertissent in eximium hunc juvenem, eumque non sibi vindicassent, ut inter Doctores relatus gloriam augeret et amplificaret Academiae, cujus jam ornamentum fuerat tanquam alumnus.

Vir

Vix quoque triennium erat praeteritum, quin nancisceretur titulum *Lectoris Botanices*, cui deinde accessit titulus *Lectoris Medicinae Legalis*, et mox etiam *Lectoris Anatomiae*. Singulis his muneribus summa tum functus est diligentia, et magna cum laude, lectus interim Societatis Scientiarum Harlemensis socius, et magnam etiam famam nactus Dissertatione (*) Belgice conscripta *de aggeribus maritimis*, qua suam in hoc etiam scientiarum genere insignem peritiam luculenter probavit.

Patre autem Ypei deinde vita defuncto, eo casu graviter, ut aequum erat, filius adflictus est; sed ex eodem honoris mox accessionem tulit. Existimarunt enim Academiae Franequeranae tunc temporis Curatores, nemini se melius cathedram patris vacantem posse offerre, quam digno patre filio, cujus praeclara in hoc doctrinarum genere merita palam celebrabantur. Oblatum igitur nostro Ypeo mox est munus *Professoris Matheseos et Architecturae militaris*, et, quem antea gesserat, *Lectoris* titulus simul mutatus in honorificentiorem *Professoris Medicinae et Anatomes*. Hic honos Ypeo habitus eo major erat, quod decennio circiter antea ab Ordinibus Frisiae, sic scil. aerario publico consulendum putantibus, lege constitutum fuisset, ne quis in posterum ad mathesin docendam, si quando locus vacaret, surrogaretur *Professoris* honore et emolumentis, sed *Lectoris* solummodo: a qua tamen lege, quod rarissimum erat tunc temporis in Frisia exemplum, in gratiam et favorem nostri Ypei recessum est.

Biennio post auctus est titulo *Professoris Chemiae*, remisso onere docendae *Matheseos*, et munera sua, cum antea, tum nunc demum delata, *Professoris Ordinarii Medicinae, Anatomes et Chemiae*, auspicatus est habita oratione *de Frisiae salubritate nativa, optimaque eandem conservandi augendique ratione*: et qua publice, ut tunc moris erat in Frisia, typis deinde expressa, existimatio de scriptoris ingenio et eruditione insigniter crevit.

Hoc

(*) *Verhandeling over de Zeedijken in het algemeen, en die der vijf deelen in het bijzonder.* Harling. 1777. 8vo.

Hoc etiam munere summa cum laude tum functus est, in eoque continuavit per decem circiter annos, seu ad difficilem illum annum superioris saeculi nonagesimum quintum, quando, quum iis, qui Frisiae administrandae tunc temporis praeërant, displicuisset, ut in republica turbata non raro accidit, Academicis muneribus exauctoratus est.

Hanc sibi factam injuriam aegre quidem, sed sedato tamen animo, ferens, brevi post Amstelodamum abiit, ibique plures per annos vixit privatus, non tamen otiosus, sed tempus in primis transigens medicina factitanda, et opusculis etiam quibusdam medici praecipue argumenti scribendis et edendis: donec anno hujus saeculi quinto, decreto Summorum tunc Frisiae Magistratuum, in pristinam dignitatem et Academiae restitutus est, ornatusque titulo *Professoris*, *ejusque primarii*, *Medicinae*, *in primis Pathologiae et Praxeos*: eamque demandatam sibi noviter provinciam mox suscepit habita oratione *de Praecipuis*, *quae nostra in primis aetate inclaruerunt*, *Medicorum Systematibus*: qua rursus peritum se medicum probavit, et artis suae historiam atque fata apprime edoctum.

Non tamen diuturnos hujus in integrum restitutionis fructus percepit: nam munere suo eadem, qua ante solebat, diligentia fungens, anno hujus saeculi undecimo Rector Magnificus a Senatu Academico Franequerano designatus est: sed quum Imperatoris Francici, cui tunc temporis obediebamus, confirmatio frustra esset diu exspectata, ejusque deinde jussu Academia Frisiaca esset suppressa, omnique auctoritate Academica orbata, Ypeus iterum ad vitam privatam rediit. Brevi tamen post vocatus est in Academiam Lugduno-Batavam, tunc quasi instauratam, ibique artem medicam, ut omnes novimus, ad mortem usque suam summa diligentia tradere perrexit (*).

Atque ita miro rerum cursu etiam Academia Lugduno-Batava inter Doctores suos vidit Adolphum Ypeum, sed jam senescentem, sed miseris temporum, quae viximus, tempestatibus varie jactatum, et valde debilitatum. Sed qua-

(*) Quae de *Ypeo* retuli, pleraque omnia me debere Viro Celeberrimo *de Crane*, in Academia Franequerana collegae quondam meo aestumatissimo, gratus profiteor.

qualis quantusque vir fuerit, Franequeram roga, quae eum habuit aetate florentem, cujus ornamentum diu fuit atque decus, et quae nobiscum jure meritoque nunc luget obitum Viri, qui varia et multiplici eruditione, qua excellebat, cujusque egregia monumenta (*) reliquit, magnam domi forisque

(*) Scripta Ypei, quae in lucem prodierunt, praeter jam memorata, sequentia sunt:

1773. *Verhandeling over de opslurpende Tepelen der Plantgewassen.* Verhand. der Haarl. Maatschappij, D. 14. p. 363.

1775. *Observationes Physiologicae de motu musculorum voluntario et vitali.* Leovard. formâ 8va.

—— *Antwoord op de Vraag: Waarin bestaat het uitwendig gebruik en misbruik van Spaansche Vliegen in het algemeen, en bijzonderlijk met betrekking tot de Vleek- of Rotkoortsen, welke zedert eenige jaren in ons Vaderland zoo sterk gewoed hebben?* Hand. van het Genootsch. *Servandis Civibus*, D. 1. p. 189.

1776. *Waarnemingen over eenige Stoffen, die de verrotting bevorderen of tegenstaan.* Verhand. der Haarl. Maatschappij, D. 16. st. 2. p. 85.

—— *Antwoord op de Vraag: Welke middelen zijn, in kwaadaartige te zamen vloeijende pokjes, de bekwaamste en veiligste, om de kwyling zoo te regelen, dat zij niet te hevig worde, noch te traag in haren voortgang zij; om dezelve, wanneer zij omtrent den elfden dag eensklaps ophoudt, op nieuws te verwekken; of indien zulks onmooglijk bevonden wordt, om de gevaren, die uit zulk een toeval ontstaan, af te wenden?* Hand. van het Genootschap *Servandis Civibus*, D. 2. p. 87.

1777. *Antwoord op de Vraag: Welke zijn de geschiktste middelen om den gemeenen man in ons vaderland, zoo ten platten lande, als in de steden, tot het gewillig gebruik maken van de inenting der kinderpokjes aan te moedigen, en van deze praktijk op de minst kostbare wijze, en zonder gevaar van de besmetting te verspreiden, aan hun toe te dienen?* Verhand. van het Genootschap te Rotterdam, D. 4. p. 99.

1781. *Antwoord op de Vraag: Hoedanig is het eigenaartig en onveranderlijk onderscheid tusschen zuuren, die men uit het rijk der delfstoffen vervaardigt, en zuuren, welken het groeijend rijk verschaft? en welke invloed heeft dat onderscheid op de Geneeskunst?* Hand. van het Genootschap *Servandis Civibus*, D. 6. p. 1.

1781.

que famam adeptus est, et etiam majorem forsitan nactus fuisset, si aetas ejus in tranquilliora incidisset reipublicae tempora.

Quae

1781. *Berigt van de gelegenheid, ziekten, levenswijze, overledenen (van het jaar 1776—1780.) te Franeker.* Verhand. van de Geneesk. Correspondentie-Societeit in 's Hage, D. I. Afd. 2. B. p. 854.

—— *Antwoord op de Vraag: Kan men den juisten tijd en geboorte der Texelsche Zeegaten uit echte historische bewijzen bepalen? welke zijn de voornaamste veranderingen, die dezelve ondergaan hebben? en van welken invloed is dit een en ander op de Zuiderzee en het Ye, mitsgaders op de Kusten en Zeeweeringen der Provincien, welke aan deze wateren palen?* Verhand. van de Haarl. Maatschappij, D 21. p. 193.

1782. *Antwoord op de Vraag: Hangt het lichamelijk levensbeginsel (vita corporea) der dieren in zijn bestaan, werking, voortduring of vernietiging, ook af van den onmiddelijken invloed van eenig ander beginsel of kracht der natuur, de lucht, het vuur, de electriciteit, de magneetkracht, enz.? Zoo ja, uit welke proeven en waarnemingen blijkt zulks? en welke nuttige gevolgen of leeringen zijn daaruit te trekken?* Verhand. van het Genootschap te Rotterdam. D. 7. p. 61.

—— *Aanmerkingen over de ademhaling in het algemeen, en derzelver verband met het leven.* Verhand. van de Haarlemsche Maatschappij. D. 20. St. 2. p. 199.

—— *Aanmerkingen over den aart der uitwaassemingen van bedorven water.* Alg. Vaderl. Letteroeffen. T. 4. *b.* p. 438.

1783. *Antwoord aan J. N. Michell M. Dr., strekkende tot verdediging der denkbeelden des Schrijvers aangaande de schadelijkheid der dampen van rottend water.* Alg. Vaderl. Letteroeffen. T. 5. *b.* p. 53.

1785. *Elementa Physiologiae corporis humani.* Franeq. 8vo.

—— *Tweede Antwoord op de Vraag, door de Heeren Volmagten der vijf deelen Zeedijken Buitendijks in Vriesland d. 30. July 1787. voorgesteld: welke zijn de beste, zekerste en minst kostbare middelen, om door afleiding des strooms, de oude of Buitendijk der Zuriger oord tegen de woede der Zee*

te

Quae porro A. A. ad anni praeteriti historiam pertineant, eorum pleraque — miserum me qui non *omnia* dicere possim — laetiora sunt et gratiora.

Externa Academiae forma, ut inde ordiar, multum hoc anno mutata est, sed ita, ut ornatu simul et pulchritudine pariter creverit.

Museum, quod historiae naturalis dicitur, locum adquisivit multo ampliorem et elegantiorem, quo insignes ejus divitiae conservari possint, et ordine collocari. Imo et ipsas suas divitias mirum in modum augeri vidit, non tantum variis donationibus sibi factis a nonnullis Viris Nobilissimis, Academiae nostrae fautoribus: sed in primis benignissimo illo Augustissimi Regis nostri decreto, quo placuit, ut Museum rerum naturalium, quod Reinwardtius, Vir Clarissimus, ante discessum suum in Indiam Orientalem Amstelodami sumtu publico erigere et ornare coeperat, huc transferretur, et museo Leidensi adjungeretur. Nec substitit hic Regia munificentia, quamvis jam insignis, sed quo majorem celebritatem et perfectionis gradum museum, quod Leidae est, consequeretur, optimus Rex comparavit celeberrimam collectio-

te beveiligen, en de aanslijking of aanwinst van strand aldaar te bevorderen? en welke gevolgen staan er geboren te worden, indien de Zuriger oord geabandonneerd wordt? Franeker. 1790. 8vo.

1799. *Introductio in materiem medicam.* Lugd. Batav. 8vo.

1803. *Afbeeldingen van Artzeney gewassen.* Amsterd. 8vo.

1804. *Systematisch Handboek der beschouwende en werkdadige Scheikunde.* Amsterd. 7. Deelen. 8vo.

1809. *Handleiding tot de Physiologie.* Amsterd. 8vo.

1811. *Handboek der Materies Medica.* Amsterd. 8vo. 2de druk, ibid. 1818.

1815. *Primae lineae Pathologiae generalis.* Lugd. Batav. 8vo.

1817. *Principia anatomico-physiologica.* Lugd. Batav. 8vo.

1819. *Institutiones medicae practicae.* Lugd. Batav. 8vo.

Notitiam horum operum in primis debeo humanitati nostri Sandifortii.

tionem avium, piscium, aliarumque rerum pretiosarum, ad historiam naturalem pertinentium, quam multa opera et magnis sumtibus sibi adornaverat Vir Amplissimus, et in hoc scientiarum genere peritissimus, Temminckius; et hanc etiam collectionem, ejus generis omnium, quae cognitae sunt, pulcherrimam habitam et locupletissimam, Leidensi museo adjungi voluit: quod nomen nunc accepit *Musei Regii*, eique Rex simul praefecit eundem Virum praestantissimum Temminckium, cui hoc honore vehementer gratulamur, ab ejus peritia, studio, industria omnia sperantes et exspectantes, quibus musei Regii nomen celebrari possit, ejusque gloria augeri et amplificari. Sed quis mecum A. A. summam hanc optimi Regis benevolentiam erga Academiam Lugduno-Batavam grato animo agnoscens, non simul admiratur Regiam constantiam, qua Academiam, quam, ut antiquissimam, sic principem haberi voluit, primariis quoque beneficiis suis ornare et amplificare pergit. Gaudeamus igitur sorte nostra. Laetemur ob nova, quae rursus accepimus, magna beneficia. Gloriemur Rege, scientiarum fautore eximio, et ardentissima simul pro salute Augustissimi laetitiae et gloriae nostrae auctoris, totiusque domus Regiae, vota voveamus.

Contiguum museo Regio aliud conspicitur aedificium etiam recens hoc anno eleganterque exstructum, adcommodatum, ut ibi conserventur et ordine collocentur monumenta prisci temporis, marmora literata, numismata, aliaeque similes reliquiae, sive verae, sive fictae, antiquitatis Graecae et Romanae, quibus vel oculi delectantur, pulchrique sensus excitatur et acuitur, vel animus pascitur antiquitatis et antiquae eruditionis amans. Haec collectio, cujus originem, ut notissimum, debemus Papenbroekio, Viro amplissimo, doctissimo, variis deinde aliis Graecae et Romanae antiquitatis monumentis locupletata, et superioribus annis, et hoc iterum anno tantas accessiones nacta est, ut coeperit praestantissimis ejus generis collectionibus assimilari posse, et magis magisque in dies crescet, curam agentibus Reuvensio nostro et Humbertio, Viris antiquae eruditionis et elegantiae laude praeclaris.

De

De *Horto Botanico* quid multa dicam? nomen nostri quondam Brugmansii, et quid contulerit ad egregium hoc Academiae ornamentum augendum, amplificandum, jam toties jure celebratum est, et nuperrime rursus a Clarissimo Decessore meo, ut nova commemoratione supersedere possim, qui me quoque imparem agnosco celebrandis laudibus Viri, quem nostra jam aetas incomparabilem nuncupat, et nuncupabit posteritas. Sed tacere nec debeo, nec volo, amplissimum illud Brugmansii opus cura et studio discipuli quondam ejus, Collegae, amici, nostri Sandifortii, adeo egregie conservatum esse et excultum, ut nihil pristini decoris sui amiserit. Quin et hoc iterum anno magis ornatum est novis egregiis accessionibus plantarum rarissimarum, et pretiosissimarum, quas vel futurus noster Reinwardtius ex India sua misit, vel alii Viri nobilissimi, reique Botanicae et Academicae fautores, dono dederunt, in quibus silentio praetermittenda non est rarissima illa in nostris regionibus et pulcherrima *Amaryllis Gigantea*, ab Amplissimis urbis Amstelodamensis Consulibus horto nostro Academico donata, ubi jam vigens virensque crescit, pretium quod novus possessor huic dono statuit, cuique spectatori veluti annuncians diligentissima cura, qua colitur.

Chemia etiamnum laborat novo loco magis apto et commodo sibi simul et fautoribus suis, sed laetam certamque spem fovet, brevi desiderio suo satisfactum iri.

Observatorium Astronomicum eodem adhuc fulget splendore, quo ante biennium.

Physica nonnihil incrementi etiam hoc anno cepit; sed molestiam aliquam de loco sibi metuit a Chemia. Ne tamen, amica! nimis fortasse meticulosa rem nullam timeas: et quidquid evenerit, cura quidem tibi agetur, ut succumbens fortasse existimanda sis victoriam reportasse.

Transgrediamur ad *Bibliothecam publicam.* — Sed quid video? aedificium

exspecto nihil pulchritudinis habens neque gratiae, sola superbum antiquitate sua, et thesauro, quem intus continet, ad quem tamen etiam satis difficilem praebet aditum: nunc vero mutatum illud videtur in aliud novum eleganter exstructum et ornatum. Profecto, haud scio, debeamne magis Academiae gratulari novas, quas fecit, accessiones, an Leidae novum, quem his accessionibus nacta est, ornatum. Sed quid opus scrupulosa hic disquisitione? Gratuletur Academia Leidae suae, et Leida Academiae suae, duarum instar amicarum sororum, quarum altera alterius commoda et gaudia, aeque ac sua, laetatur, lubenterque augeri videt et amplificari.

Nec tantum lucrata multum est Bibliotheca forma externa, sed thesaurus, quem jam continebat locupletissimum, hoc etiam anno nonnihil auctus est novis libris praestantissimis: in iisque silentio praetermittenda non est nova editio celebratissimi carminis Epici, Lusiados Camoënsii, quam suis sumtibus procuravit *de Souza-Botelho*, Portugallus, dignitate non minus quam eruditione excellentissimus, patriaeque suae honoris et gloriae amantissimus. Hujus editionis, quae longe elegantissima est, sive artem spectes typographicam, sive pulcherrimas tabulas, quibus est ornata, eo magis laetamur possessione, quod nullo pretio comparari potest: pauca enim, quae typis expressa sunt, exempla nusquam prostant, sed ab illustrissimo editore gratis, sed magno cum delectu, distributa sunt, nec aliis data privatis aut publicis Bibliothecis, nisi quae celebritate sua et praestantia ceteris excellunt. Quapropter hoc donum, pro quo Viro Illustrissimo gratias nostras publice repetimus, non tantum insigne efficit Bibliothecae nostrae ornamentum, sed eximium simul praebet testimonium celebritatis et famae, quam etiam peregre nacta est.

Idem, quod Bibliothecam continet, aedificium etiam locum complectitur, adcommodatum habendis lectionibus anatomicis, conservandisque anatomicis apparatibus, quales celebratissimos habemus Ravii, Albini, Doevereni, a nostris Sandifortiis, patre et filio, subinde locupletatis. Sed hic etiam locus multum amplificatus est, multoque ornatior factus, adeoque dignior nunc redditus, qui divitias illas comprehendat: quibus si accesserit ditissimus Brugman.

mansii thesaurus, superiore jam anno Academiae comparatus, haec etiam nostra apparatuum anatomicorum collectio, nisi ceteris antecellat, saltem poterit praestantissimis ejus generis collectionibus aequiparari.

Superest A. A. *Nosocomium Clinicum*, elegans illud extrinsecus aedificium, nobis omnibus cognitum. Sed intrabimusne? dicetis fortasse, satis miseriarum spectatores nos esse coactos, ne igitur fiamus spontanei. Non dissentio. Inanis quoque foret nostra curiositas, qui certi esse possumus, omnia quae intus sint, et ad aegrotorum salutem promovendam pertineant, bene ordinata esse, et in dies meliora futura, curam agentibus Viris illis celeberrimis, Nosocomii Clinici hoc tempore Professoribus.

Quae dixi de externa Academiae forma, sufficiunt, ut intelligatur, multum eam hoc anno pulchritudine crevisse, cum munificentia et benevolentia optimi Regis nostri, tum opera et studio Viri Excellentissimi institutionis publicae Praefecti, Virorumque Perillustrium, quibus curam Academiae demandatam omnes laetamur.

Sed quid juvat forma externa, quantumvis grata et optabilis? quid omnes apparatus et divitiae? nisi usui simul inserviant, adeoque nisi sint, qui utilitates, quas praestant, demonstrent, et etiam quibus possint demonstrari. Atque ita sponte pervenio ad ultimam narrationis meae partem, quae erit de Academiae Doctoribus ejusque alumnis.

Laetamur, venerandos senes nostros, quorum nomina superiore anno memoravit Clarissimus meus Decessor, si Ypeum, quem supra luximus, excipias, etiamnum omnes superesse, nec tantum superesse, sed quamvis docendi onere omnes liberatos, quosdam tamen eorum perrexisse, suam eruditionis copiam juventuti Academicae impertiri, nullum vero desiisse eximium literarum fautorem. Haec felicitas, ut nobis, Academiae, literis diu adhuc contingat, faxit Supremum Numen!

Magnopere etiam gaudeo, et vos omnes A. A. mecum laetamini, quamvis morte nobis ereptum lugeamus Borgerum nostrum, ceteros, quos ineunte hoc anno Academia Lugduno-Batava habuit Doctores, benevolentia Divina etiamnum salvos superesse. Hoc eo magis laetandum, quo majora sint singulorum et omnium in Academiam merita, quae tamen sigillatim enumerare, neque hujus loci est, neque a me postulabitis. Sed taeendum non est, quosdam etiam plus operis Academiae praestitisse, quam muneris eorum ratio exposceret. Memoremne *Voorstium* nostrum, indefesso labore pergentem in ordinando Bibliothecae publicae catalogo, quo facilior sit commodiorque hujus usus? Nec non *Hamakerum*, Virum Clarissimum, in conficiendis Manuscriptorum Orientalium notitiis, eorumque speciminibus edendis pari diligentia et eruditione versantem. Memoremne *Clarissium*, *Sandifortium*, *Kraussium*, eas disciplinarum partes, quae morte Brugmansii Doctore carebant, summa laude interim tradentes, donec designatus Brugmansii successor, Reinwardtius, advenerit: quem ut brevi possimus salvum et incolumem salutare, Collegamque compellare, Deum precamur. Memoremne nostrum *Bakium*, locum interim supplentem sui quondam Borgeri? cujus sortem acerbam in amittenda conjuge carissima quum nobiscum, Vir praestantissime! plorares, quis tunc cogitaverat, idem eodem adhuc anno tristissimum fatum etiam tibi imminere. Accidit tamen hic casus, et universus Senatus tuam quoque sortem acerbam tunc ploravit, et etiamnum plorat. Vix etiam aliquid reperio, quo te consoler, dilectissima conjuge orbatum, in aetatis flore exstincta, et te viduum relinquente una cum liberis carissimis, sed quam fecerint jacturam adhuc vix intelligentibus. Dicamne cum Cicerone tuo, oportere nos non tam graviter ferre casus, quos nullo consilio vitare possimus? an potius, nihil nobis accidere sine voluntate Divina, semper sapientissima, et optima, in qua acquiescere officii est et decet. Hac igitur animi firmitate Deus te beët! Leniat tuos dolores aliis bonis in te tuamque domum largiter conferendis! Servet te diu incolumem in utilitatem tuorum, et literarum commodum, quas adeo egregie ornas! et videas brevi locum Borgeri vacantem digno Borgero successore impletum, ne gemino onere nimium

mium premaris, et corporis vires fortasse praestare negent, ad quae alioqnin animi facultates abunde sufficerent.

Intelligitis igitur A. A. quamvis non una, eheu! cathedra in Academia Lugduno-Batava vacet, nullam tamen etiam hoc anno scholam sine doctore relictam fuisse, opera et studio Virorum Clarissimorum, quos nominavi, et quibus nemo negaverit summam pro hoc officio Academiae praestito gratiam deberi: in primis etiam a vobis, Ornatissimi Juvenes, quos tandem compello, et quibus sic data est occasio in omni doctrinarum genere eam recipiendi opem, quam optare potuistis.

Laetamur numerum vestrum hoc anno non esse deminutum, imo potius auctum. Magis etiam laetamur vestram, qua excelluistis, discendi cupiditatem, cum morum probitate conjunctam, cujusque quam plurima etiam hoc anno dedistis egregia specimina. Facultas Juridica hoc peculiare habuit, quod unus (*) ex ejus alumnis Gradum Doctoratus adeptus est *more majorum:* quem etiam actum solennem raro contingentem magna cum voluptate celebrari vidimus, et majore etiam laetitia celebratus fuisset, nisi interruptus esset tristissimo nuntio de obitu carissimae matris optimi Regis nostri. Sed haec fuit hujus anni sors, ut laetis fere semper immiscerentur adversa. Et sic etiam, praestantissimi juvenes, dum in laudes vestras meritissimas lubens excurro, animum turbat cogitatio, e vestro quoque ordine quosdam juvenes eximios immatura morte hoc iterum anno nobis esse ereptos. An nominabo? recens omnium memoria est, et quid nomina referendo desiderium excitarem eorum, qui nobis fuerunt carissimi, sed quibus, ut speramus, jam vita beatior obtigit. Leniatis igitur, Optimi Juvenes, justissimos alioquin vestros do-

(*) DAVID LUDOVICUS FRANCISCUS LEOPOLDUS JOSEPHUS GHISLENUS DE GAIFFIER, *Namurcensis.* Idem actus solennis altero etiam Magistratu meo Academico locum habuit, quando *more majorum* promotus est Franciscus Godardus van Lynden, Nobilis Frisius, illustris Athenaei Franequerani nunc Curator, Promotoris quoque partibus me tunc pro viribus fungente.

dolores! agnoscatis beneficium, quod Deus vobis concessit, vitam vestram conservans! et gratum propterea animum vestrum in primis ostendatis, virtutes eorum, quos caros habuistis, imitando, augendo, et ea qua decet industria, ut instituistis, porro in litteras incumbendo, ut, quum ornamenta fueritis Academiae, mox etiam ornamenta sitis patriae, parentum, amicorum.

Sic igitur A. A. quantum facultas tulit, in memoriam revocavi praecipua, quae magistratus mei anno in Academia Lugduno-Batava accidere. Maluissem non necesse habere tot tristia referre; sed secus placuit Supremo Numini, cui tamen gratias agere debemus, quod tot adversis et luctuosis tot alia immiscuerit prospera et grata.

Accedamus ad ultimum hujus solennis diei actum, eumque jucundissimum, distributionem nimirum praemiorum, quae a variis praestantissimis juvenibus reportata sunt responsis suis, datis ad varias quaestiones, a singulis Facultatibus propositas. Hic actus ut eo quo decet ordine peragatur, rogo te, Clarissime Tydemanne, qui acta Senatus hoc anno curasti, ut Judicum de conscriptis Commentationibus sententias, et coronandorum Juvenum nomina promulges. Vos vero, ornatissimi Juvenes, ut singuli recitato quisque suo nomine huc accedatis.

Quos habuisti, praestantissime *Cocki* (*), in hoc ludo literario collusores, ad-

(*) HENRICUS COCK, Jur. Cand. in Acad. Rheno-Trajectina, mox designatus Juris Professor in illustri Athenaeo Daventriensi. Argumentum, a *Facultate Juridica* propositum, hujusmodi erat: *Quandoquidem proximis hisce annis, tam super origine, quam super utilitate* Judicii Juratorum, *sive* Jurati (*quod dici solet*) *multum fuit disceptatum*, Facultas Juridica Academiae Lugduno-Batavae, *non quidem in tanta re sententiam exquirit Juvenum; sed desiderat, ut tam illius Judicii historia succincte exponatur, quam argumenta praecipua, quibus vel impugnata Judicii illius forma, vel defensa fuerit.*

admodum dubiam tibi fecerunt victoriam. Sed jam saepius, amice, hunc ludum lusisti, et quemadmodum in quacunque alia re, sic etiam in ludendo multum juvat exercitatio. Victor es. Gratulor tibi hunc honorem, ex animo gratulor: en praemium, quod meruisti.

Auri, mi *Tydemanne* (*), non plus habeo. Sed ecce Diploma, quod Facultas Juridica tibi offert in signum honoris, quem habet virtutibus tuis, qui novitius dubiam veterano victoriam feceris. Gratulor igitur tibi has industriae tuae primitias. Gratulor eas patri tuo fratrique, Viris Clarissimis, Collegis meis aestumatissimis. Pergas, o bone, ut instituisti, ut nominis Tydemanniani celebritas etiam per te conservetur, augeatur.

O me infelicem, cui ne hunc quidem actum jucundissimum peragere licet, nisi tristia ei immisceantur et luctuosa. Quam fuisset mihi gratissimum, praemio condecorare juvenem eximium, patrique aestumatissimo gratulari insignem honorem, quem iterum nactus est filius carissimus, sed cujus mortem nunc luget, et cum patre luget tota Academia. Sentio, optime Suringare! sentio, si quis alius, sortem tuam acerbam. Sed, quamvis fortasse *παράδοξον* nunc videatur, crede mihi, amicissime, consolatio est lugere, quos lacrymis nostris dignos censemus. Talis etiam est filius tuus, cujus praeclarae ingenii animique dotes, quibus erat praeditus, et tibi et nobis omnibus cognitae sunt, quarumque novum rursus dedit testimonium egregia sua commentatione (**), quae praemium reportavit a Facultate Theologica. Hoc prae-

(*) FRANCISCUS CONSTANS CORNELIUS TYDEMAN, MEIN. FIL., Jur. Cand. in hac Academia, idem argumentum tractavit.

(**) FRIDERICUS GUILIELMUS NICOLAUS SURINGAR, Theol. Cand. in hac Academia, Commentationem conscripsit ad quaestionem ab *Ordine Theologico* propositam: *Philologice et Critice illustretur locus insignis Matth.* XXII. 37—40. *habita etiam contextae orationis ratione, deque officii, a Sanctissimo Servatore praescripti, nexu cum universa Ethice Christiana de industria exponatur.*

praemium tibi trado, praestantissime Bax, qui vis quidem triste hoc officium praestare amici tui carissimi defuncti patri aestumatissimo, cui, ut ipse huic actui intersit, recens vulnus non concedit, sed cui tamen gratulor honorem filio post mortem habitum, quod persuasum mihi est, gratissimum ipsi esse hunc eventum, qui novum sic documentum accipit, lugere se filium lacrymis suis dignissimum.

Sic, ornatissime *Uylenbroeki* (*), tritum tibi fiet iter ad honorem, quod jam toties perfecisti. Gratulor tamen tibi novam lauream, quam tua in rebus mathematicis scientia meruisti, et quam capiti tuo lubens impono. Non tamen moleste feres, me etiam publice nominare competitorem tuum, praestantissimum Juvenem *Cost Jordens* (**). Imo gloriaberis fortasse, nec injuria, hunc te nactum adversarium, et victorem tamen excessisse. Uti ille gloriari potest, quod praestitit, adeo proxime accedere operi Uylenbroekii, ut, nisi ab eo superatus, praemio condecoratus fuisset. Gratulor igitur etiam tibi, praestantissime Cost Jordens, pretium, quod ordo disciplinarum Physicarum et Mathematicarum tuo quoque labori statuit. Pergas Philosophiam conjungere cum studio Juris Civilis, more Veterum JCtorum, eosque imitando etiam eorum gloriam adsequaris.

Quid hoc est, amicissime? an nunquam cessabis praemia petere? Vereor, ut quis amplius in arenam descensurus sit, quamdiu possit *Uylenbroekium* (†) ad-

(*) PETRUS JOANNES UYLENBROEK, Math. et Phil. Nat. ut et Phil. Theor. et Lit. Hum. Cand. et Stud. in hac Academia, respondit ad quaestionem Mathematicam: *Explicetur methodus interpolandi, et uno alterove exemplo illustretur.*

(**) GUILIELMUS HERMANUS COST JORDENS, Jur. Cand. in hac Academia.

(†) Idem UYLENBROEKIUS respondit quoque ad quaestionem Astronomicam: *Quaenam est Micrometrorum in tubis Astronomicis Theoria? Quinam eorum usus?*

adversarium metuere. Quidquid sit, gratulor tibi etiam hunc honorem, qui adeo egregia dedisti specimina tuae in disciplinis Physicis et Mathematicis peritiae: en alterum, quod hodie meruisti, praemium: aditus tibi sit ad alios honores eruditione tua dignos.

Diversarum quidem rerum, sed tamen haud dissimilium, limites ostendere et definire, opus plerumque est longe difficillimum: expertus tamen id es, praestantissime *de Haan* (*), et hoc quidem successu, ut opera placuerit. Gratulor tibi tuisque hunc eventum: en virtutis tuae praemium, quod lubens tibi trado.

Ordo disciplinarum Physicarum et Mathematicarum etiam te, ornatissime *van den Broecke* (**), dignum censuit, qui praemio condecoreris. Accipe nummum aureum, peritiae tuae in Chemicis testem. Pergas, ut instituisti, ut tuum quoque nomen inter medicos peritos aliquando referatur.

Gratulor Antipatro (†), quod tot nactus sit Juvenes eximios, qui in ejus Frag-

(*) GUILIELMUS DE HAAN, Math. et Phil. Nat. Stud. in hac Academia. Quaestio, ad quam respondit, haec erat: *Quinam sunt limites inter Vitam Vegetabilem et Animalem?*

(**) JACOBUS CORNELIUS VAN DEN BROECKE, Med. Stud. in hac Academia, respondit ad quaestionem: *Quousque ex cognita compositione aquae, hujusque solubilitate per Aërem Atmosphaericum, nec non ex iis, quae a fluidi Electrici turbato aequilibrio pendent, phaenomena possunt explicari ad meteora, vel ignea, vel aquea, pertinentia?*

(†) *Ordo Philosophorum et Literatorum* postulaverat *Disputationem de* L. COELIO ANTIPATRO, HISTORICO BELLI PUNICI SECUNDI: *in qua colligantur loca scriptorum, qui ejus vel sententias, vel ipsa verba referunt; praeterea eorum, qui, eandem historiae partem explicantes, tacite ejus auctoritatem sequi videantur: singulaque illustrentur adhibita interpretatione, cum historica, tum grammatica.*

Fragmentis et sententiis colligendis, iisque cum historice tum grammatice illustrandis, adeo egregie elaborarint, ut omnes digni sint judicati, quorum nomina publice recenseantur. In primis autem vestra, praestantissimi *Nauta* (*) et *Groen van Prinsterer* (**), opera placuit, adeo ut Ordo Philosophorum et Literatorum dubius haeserit, utri vestrum palma esset porrigenda, imo maluerit ejus rei decisionem sorti relinquere, quam ipse eam sibi arrogare. Ambo igitur pari laude digni estis, et par adeo honos cuique vestrum debetur. Sed Lex aliquam nobis hic facit molestiam. En igitur, praestantissime Nauta, nummum aureum, quem sors tibi dedit: et tu, praestantissime Groen van Prinsterer, testimonium accipe, quod, quamvis sors Commilitonem tibi praetulerit, par tamen laus utrique vestrum debeatur.

Sic igitur tertium Rectoris Academiae munere pro viribus meis perfunctus sum. Iterum magistratum hunc me obiturum, neque probabile est, neque etiam vehementer opto. Sed nolo hunc locum relinquere, priusquam Tibi, Summe Deus, debitas publice persolverim gratias pro auxilio mihi praestito, proque tot beneficiis et nunc, et ante, et per totam vitam in me collatis. Si quid recte egerim, Tibi sit laus et honos. Adsis, precor, etiam per reliquum, quod erit, vitae tempus, mihi propitius. Floreant artes et doctrinae! Floreat Academia Lugduno-Batava! Floreat patria, Regiaque domus!

DIXI.

(*) B. A. NAUTA, Phil. Theor. et Lit. Hum. Cand. in hac Academia.
(**) G. GROEN VAN PRINSTERER, Lit. et Jur. Cand. in hac Academia.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

PUBLICE DEFENSARUM,

inde a d. VIII *Februarii* CIↃIↃCCCXX, *ad d.* VIII *Februarii* CIↃIↃCCCXXI.

1820.

d. 7 Martii. Specimen Medicum Inaugurale de Normali et Abnormali Urinae indole, defensum in Auditorio Majori, a Joanne Thoma Nieuwenhuisen, Bredano, pro Doctoratu Medicinae.

d. 11 Martii. *Specimen Juridicum Inaugurale de gravamine Portioni legitimae non imponendo*, defensum a Johanne Downie, Dingvallensi-Scoto, pro Doctoratu Juris.

d. 18 Martii. Specimen Medicum Inaugurale de Ascite, defensum in Auditorio Majori, a Francisco van Moorsel, Helmundano, pro Doctoratu Medicinae.

1820.

d. 15 Aprilis. Dissertatio Juridica Inauguralis ad locum Juris Hodierni de Prohibitione Fideicommissorum, defensa in Auditorio Majori, a Jacobo Hermano Philipse, Nieuwerkerka-Zelando, pro Doctoratu Juris.

d. 15 Aprilis. Specimen Juridicum Inaugurale de Obligatione Fidejussoria secundum principia Juris Hodierni, defensum in Auditorio Majori, a Joanne Jacobo Berdenis van Berlekom, Medioburgo-Zelando, pro Doctoratu Juris.

d. 27 Aprilis. *Specimen Juridicum Inaugurale de T. Flavio Domitiano, Imperatore Romano, ejusque Jurisprudentia*, defensum a Petro Mario van Goens, Haga-Batavo, pro Doctoratu Juris.

d. 7 Junii. *Specimen Academicum Inaugurale, exhibens Historiam Juris Feudalis Hollandici*, defensum ab Arendt van Wassenaer-Catwyck, Haga-Batavo, pro Doctoratu Juris.

d. 12 Junii. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de Consensu Parentum in nuptias Liberorum*, defensa a Jano Arnoldo Musquetier, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris.

d. 17 Junii. Specimen Juridicum Inaugurale, de antiqua Juris Puniendi conditione apud Romanos, defensum in Auditorio Majori, a Jacobo Petro van Walree, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris.

d. 19 Junii. *Specimen Juridicum Inaugurale, exhibens Quaestiones Varii Argumenti*, defensum ab Arnoldo Adolpho Bentinck, Transisalano, pro Doctoratu Juris.

d. 20 Junii.

1820.

d. 20. Junii. Specimen Juridicum Inaugurale, de initiis et incrementis Juris Criminalis in Belgio, defensum die 12 Junii in Auditorio Majori, a Davide Ludovico Francisco Leopoldo Josepho Ghisleno de Gaiffier, Namurcensi, pro Doctoratu Juris obtinendo MORE MAJORUM.

d. 21 Junii. Specimen Academicum Inaugurale, de ratione, qua Sophocles Veterum de Administratione et Justitia Divina notionibus usus est, ad voluptatem Tragicam augendam, defensum in Auditorio Majori, a Petro van Limburg Brouwer, Dordraceno, Medicinae Doctore, pro Doctoratu Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

d. 21 Junii. *Specimen Juridicum Inaugurale, continens Quaestiones Varii Argumenti*, defensum a Cornelio Joanne Luzac, Jani Fil. Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris.

d. 22 Junii. *Specimen Juridicum Inaugurale, exhibens Quaestionum Juridicarum Syllogen*, defensum a Petro Gerardo Dalen, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris.

d. 22 Junii. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de patria potestate secundum Jus Hodiernum Gallicum*, defensa a Petro Nicolao Quarles van Ufford, Harlemo-Batavo, pro Doctoratu Juris.

d. 23 Junii. Disputatio Historico-Critica Inauguralis, de C. Asinio Pollione, defensa in Auditorio Majori, a Jano Rudolpho Thorbecke, Zwolla-Batavo, pro Doctoratu Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

d. 23 Junii. Nicolaus Gothofredus van Kampen, Harlemo-Batavus, Vir Doctissimus, Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Doctor *honoris causa* creatus est.

1820.

d. 23 Junii. *Specimen Medicum Inaugurale, de Cephalalgia*, defensum a Jano Adamo Muller, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Medicinae.

d. 24 Junii. Dissertatio Juridica Inauguralis, de Auctoritate et usu Disceptationum et Orationum, quae occasione conficiendi commendandique Codicis Civilis Gallici sunt habita (vulgo *Discussions et Motifs*) in interpretatione legis, defensa in Auditorio Majori, a Guilielmo Ludovico Friderico Christiano van Rappard, Arnhemiâ-Gelro, pro Doctoratu Juris.

d. 24 Junii. Disputatio Geologico-Inauguralis, de Granite, defensa in Auditorio Majori, ab Henrico Carolo van der Boon Mesch, Delphis-Batavo, pro Matheseos Magisterio, et Doctoratu Philosophiae Naturalis.

d. 26 Junii. Specimen Juridicum Inaugurale, de Seditione ac Tumultu, secundum principia Juris Romani, defensum in Auditorio Majori, a Josepho Joanne Gerardo Francisco van Lamsweerde, Zutphaniâ-Gelro, pro Doctoratu Juris.

d. 26 Junii. *Specimen Juridicum Inaugurale, exhibens Quaestiones Varii Argumenti*, defensum a Christiano de Haan, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris.

d. 27 Junii. *Dissertatio Anatomico-Physiologica Inauguralis, de Oculo*, defensa a Jacobo Imans, Goudano, pro Doctoratu Medicinae.

d. 27 Junii. *Dissertatio Medica Inauguralis, de Ira*, defensa a Regnero Regenbogen, Stavorâ-Frisio, pro Doctoratu Medicinae.

d. 28 Junii. *Specimen Medicum Inaugurale, de Menstruis, illorumque pubertatis tempore proruptione*, defensum a Joanne Jacobo Verzyl, Medioburgo-Zelando, pro Doctoratu Medicinae.

d. 28 Junii.

1820.

d. 28 Junii. *Specimen Inaugurale, de Divisione Laboris, ejusque effectu in tribus Industriae generibus*, defensum a Danielo Jacobo Daey, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris.

d. 29 Junii. *Specimen Juridicum Inaugurale, continens Quaestiones Varii Argumenti*, defensum ab Adriano Heringa Cats, Leovardiâ-Frisio, pro Doctoratu Juris.

d. 29 Junii. *Specimen Inaugurale Juridicum, exhibens Quaestiones Varii Argumenti*, defensum a Leonardo Antonio Lightenvelt, Sylva-Ducensi, pro Doctoratu Juris.

d. 1 Julii. *Specimen Juridicum Inaugurale, de Actione Exercitoria*, defensum a Wilhelmo Jano Cornelio van Hasselt, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris.

d. 1 Julii. *Specimen Juridicum Inaugurale, de Judicio Juratorum Anglico*, defensum a Jacobo Henrico de Wit, Hagano, pro Doctoratu Juris.

d. 20 Septembris. *Dissertatio Medica Inauguralis, de Erysipelate*, defensa ab Antonio Ildefonso Gomes, Brasiliensi, pro Doctoratu Medicinae.

d. 4 Octobris. *Dissertatio Medica Inauguralis, de Influentia Aëris Temperaturae tam in statu sano, quam morboso*, defensa ab Andrea Francisco Josseran, St. Torpatolis Galliae, pro Doctoratu Medicinae.

d. 2 Novembris. *Specimen Medicum Inaugurale, quo inquiritur in Febris notionem*, defensum a Leonardo de Sonnaville, Alcmariensi, pro Doctoratu Medicinae.

1820.

d. 6 Decembris. *Specimen Juridicum Inaugurale, de Advocato Romano*, defensum a Guilielmo Ludovico Sluiterman van Loo, ex Pago Goedereede, pro Doctoratu Juris.

d. 13 Decembris. Specimen Literarium Inaugurale, exhibens Quaestiones in Socratis sententiam de Deo, et de ejus καλοκἀγαθίᾳ, defensum in Auditorio Majori, a Christophoro Josepho Brand, ex promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

d. 13 Decembris. Dissertatio Politico-Juridica, de Jure Coloniarum, defensa in Auditorio Majori, a Christophoro Josepho Brand, ex promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Juris.

d. 14 Decembris. Dissertatio Physico-Mathematica, de Compositione et Resolutione Virium, defensa in Auditorio Majori, a Lione Salomone van Praag, Lugduno-Batavo, pro Matheseos Magisterio et Doctoratu Philosophiae Naturalis.

d. 14 Decembris. Dissertatio Medica Inauguralis, de Rhoë radicante, sive Rhoë Toxico-dendro, defensa in Auditorio Majori, a Lione Salomone van Praag, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Medicinae.

d. 16 Decembris. Dissertatio Medica Inauguralis, de Gastritide, defensa in Auditorio Majori, a Johanne Jacobo Bibau, Aardenburgo-Zelando, pro Doctoratu Medicinae.

JUDICIA

JUDICIA FACULTATUM DE COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES SUPERIORIS ANNI AD SE PERLATIS.

JUDICIUM ORDINIS JURISCONSULTORUM.

Quandoquidem proximis hisce annis, tam super origine, quam super utilitate *Judicii Juratorum*, sive *Jurati* (quod dici solet), multum fuit disceptatum, Facultas hujus Academiae *Juridica*, non quidem in tanta re sententiam juvenum exquisiverat; sed desideraverat, ut, tam illius Judicii *historia* succincte exponeretur, quam argumenta praecipua, quibus vel impugnata Judicii illa forma vel defensa fuerit.

Ad hanc quaestionem quinque acceperat Dissertationes: quae quidem omnes (*unica* scilicet excepta) laudabile studium et industriam scriptorum suorum testabantur. Quod et omnino dictum volumus de illis quae tertio et quarto loco nobis allatae sunt; quamvis illis quae prima atque postrema advenerunt, postponendae visae fuerint. Ex hisce duabus autem, plenius fortasse omnem quaestionem tractaverat Dissertatio quinta, hoc symbolo: *Non nostrum — tantas componere lites.* (VIRGIL. Ecl. III. vs. 108.); et praemium facile tulisset, nisi fecisset altera, N. 1., symbolum habens:

> Τοῦτο μέντοι τὸ ἔθος πολλὰς ἂν παράσχοι λόγων ἀφορμάς· τοῖς ἐπαινεῖν βουλομένοις, ἢ ψέγειν. (DION. HALIC.)

in qua dissertatione judicii magis firmati vigor, et stili magis exercitati color Facultati magnopere placuerunt. Haec igitur commentatio praemium tulit. Nec mirum! Auctor enim inventus est HENRICUS COCK, *J. U. Cand. in Academia Rheno-Trajectina*, qui et in illa et in Groningana Academia certaminis Juridici palmas jam tulerat.

Al-

Alterius Dissertationis, cui symbolum:

Non nostrum — tantas componere lites,

quae ad victricem proxime accessisse publico diplomate declarabitur, auctor apparuit FRANC. CONST. CORN. TYDEMAN, HEIN. FIL. *J. Utr. hac in Academia Candidatus.*

Scriptores quoque Dissertationum, N. 3., cui inscriptum,

Boni venatoris est, indaganter feras quam plurimas capere; nec cuiquam culpae fuit, non omnes cepisse. COLUMELLA.

et N. 4., cui inscriptum:

In magnis, voluisse sat est;

publica laude citandos et commendandos existimavit Facultas. Itaque se praedicare posse gaudet, Dissertationis N. 3. auctorem, GER. DE WAEL, *J. U. Cand. in Acad. Groningana*, Dissertationis autem N. 4. PETRUM JACOBUM VAN DER DOES DE BYE, *J. U. Cand. in Acad. nostra*, sed mense Septembri proximo in Academiam Groninganam studiorum causa profectum.

JUDICIUM FACULTATIS THEOLOGICAE.

Facultati *Theologicae* ad propositam ex Doctrina Morali Christiana Quaestionem una tantum oblata est responsio, cum Symbolo:

Πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη, ROM. XIII. 10;

quae vero visa est ea diligentia, perspicuitate, elegantia conscripta esse, ut ejus auctor erogatum praemium meruisse censendus esset. Itaque reserata est schedula, et auctor innotuit: FRIDERICUS GUILIELMUS NICOLAUS SURINGAR, *Theologiae in Acad. Lugd. Bat. Cand.*

Hic vero, quominus ad examen, ex Lege instituendum, evocari posset, immatura morte praepeditus, quin verus esset scriptionis auctor, minime dubitandum esse, quippe de cujus profectibus et eruditione jam aliunde sibi satis superque constaret, omnium, qui aderant, (aberat autem juvenis optimi parens, domi per liberorum morbum mortemque retentus) Professorum suffragiis decretum est.

JU-

JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET *PHYSICARUM.*

Ad propositum e *Physico* genere argumentum, nemo se in certamen contulit.

De *Mathematica* vero quaestione tres exhibitae sunt commentationes, quarum *Primae* inscripta sunt haec verba:

Nec tam turpe vinci, quam contendisse decorum.

Secundae adjunctum est dictum Cl. LA LANDE:

Les sciences mathématiques captivent l'ame, et l'occupent d'une manière noble, délicieuse et exempte de danger, elles élèvent l'imagination, elles perfectionnent l'esprit, elles remplissent et satisfont le coeur, elles éloignent les dessins dangereux et frivoles, elles procurent sans cesse une nouvelle puissance.

Tertiae symboli loco addita sunt verba Cl. LA GRANGE:

La Methode d'interpolation est après les logarithmes la découverte la plus utile, qu'on ait faite dans le calcul.

Tres illae commentationes Nobilissimae Facultati mirifice placuerunt, sunt diligenter scriptae, et omnino ita ut in earum Auctoribus et peritia et ingenium laudari debeant; quaelibet digna visa est, quae praemio condecoraretur, quod tamen cum ex lege fieri non posset, ea reliquis est anteposita et Regio praemio, si unquam, nunc omnino digna, qua omnium optime quaestioni erat satisfactum et igitur ea, quae numero tertio in fronte habet: *La methode d'interpolation etc.* cujus auctor est PETRUS JOANNES UYLENBROEK, *Math. et Phil. Natur. ut et Phil. Theor. et Litt. Hum. Cand. et Studiosus in Academia Lugduno-Batava.*

Commentationis priori loco memoratae, huic quae palmam praeripuit, proxime,

me, id est, parvo intervallo accedentis, Auctor est GUILIELMUS HERMANUS COST JORDENS, *Juris Utriusque Candidatus in Academia Lugduno-Batava.*

Astronomica Quaestio a duobus bene ampliter doctissime est elaborata.

Altera haec Cl. HENNERTI habet adjuncta.

Tantus est Machinarum apparatus, ut minimae, quae in immenso coelorum spatio contingunt, apparitiones, speculatorum vigilantiam vix effugiant.

Altera illa:

Nostrum igitur artificium est hujusmodi.

Cujus Auctor omnia uberius et absque ullo dubio palmam praeripuit; et igitur nunc duplici praemio ornandus, PETRUS JOANNES UYLENBROEK, *Math. et Philos. Natur. ut et Phil. Theor. et Litt. Hum. Candidatus in Academia Lugduno-Batava.*

Ad Quaestionem ex *Historia Naturali* unum acceptum est responsum, praemio dignum, praeferens Symbolum:

Natura duce discimus.

Auctor est GUILIELMUS DE HAAN, *Math. et Philos. Naturalis Studiosus in Academia Lugduno-Batava.*

Denique ad propositam *e Chemia* Quaestionem duae exhibitae sunt Commentationes ampliter et bene conscriptae.

Altera habet haec TIBULLI verba:

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina.

Altera inscribitur:

Ve-

Veniet tempus, quo ista quae nunc latent, in lucem dies extrahet, et longioris aevi diligentia.

Auctor hujus Commentationis universam Quaestionem singulasque ejus partes diligenter et perspicue explicuit; non quidem ita ampliter ac ejus aemulus, sed magis proprio Marte omnia elaboravit; egregia, non alterius, sed ipsius, judicii et peritiae documenta dedit; protulit fructus, non alterius, sed sui ipsius, studii atque laboris; et igitur nunc praemio Regio ornandus, JACOBUS CORNELIUS VAN DEN BROECKE, *Medicinae Studiosus in Academia Lugduno-Batava.*

JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET *LITERARUM HUMANIORUM.*

Ad Quaestionem philosophicam ab Ordine Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum anno praecedenti propositam nemo respondit.

Ad Quaestionem literariam hujus Ordinis quatuor Facultati allatae sunt Dissertationes. Prima inscripta erat his THEOGNIDIS versibus:

Ἐλπὶς καὶ κίνδυνος ἐν ἀνθρώποισιν ὁμοῖοι.
Οὗτοι γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφότεροι.

Secunda symboli loco habebat haec HERODOTI verba:

Αὐτόματον γὰρ οὐδὲν, ἀλλ' ἀπὸ πείρης πάντα ἀνθρώποισι φιλέει γίνεσθαι.

Tertia munita erat hac inscriptione, ex WYTTENBACHII Bibl. Crit. desumta:

Argumentum scribendi vix aliud est, in quo adolescens literarum studiosus operam suam — sibi — utilius collocet, quam illud, quod in alicujus veteris scriptoris vita scriptisque recensendis versatur.

Quarta denique, symboli loco, notata erat his OVIDII versibus:

 Tem-

Tempus edax rerum, tuque, invidiosa vetustas,
Omnia destruitis.

Censuit Facultas, omnes has disputationes iis se diligentiae, eruditionis et judicii dotibus commendare, ut nulla non ipsa per se praemio digna videretur. Prae reliquis tamen placuerunt tertia et quarta, utpote duabus prioribus et accurata et docta argumenti tractatione, et orationis Latinae bonitate atque elegantia haud dubie antecellentes. Deliberanti autem Facultati, utri harum disputationum praemium esset tribuendum, nulla satis gravis et justa causa apparuit, quae, altera posthabita, alteram anteferendam suaderet. In priori mirifice placebat lucidus ordo et eximia in singulis quaestionis partibus accurate explicandis elegantia et judicandi facultas; alterius auctor, in excellenti orationis puritate, diligentiam adferebat, quae minima etiam docte et ingeniose persequeretur; neque tamen, quibus alterutra excellebat, dotes ita in altera desiderari videbantur, ut propterea minus digna censeri posset, cui praemium adjudicaretur. Itaque non dubitavit Facultas, ambabus disputationibus praemii honorem tribuere, ipsosque auctores ad sortitionem vocare, uter praemium, lege destinatum, uter pari honore judicium Facultatis, in membrana perscriptum, laturus esset. Apertis schedulis, eodem, quo dissertationes, symbolo munitis, tertiae auctor repertus est G. GROEN VAN PRINSTERER, *Litt. et Jur. Candidatus in Academia Lugduno-Batava;* quartae vero B. A. NAUTA, *Phil. Theor. et Lit. Hum. in eadem Academia Candidatus;* qui juvenes praestantissimi dein, postqnam Facultati abunde probaverant, se illarum disputationum esse auctores, coram Facultate de praemio inter se sortiti sunt hoc eventu, ut ornatissimo NAUTAE nummus aureus, ornatissimo GROEN judicii ejus scriptum testimonium obtingere constaret. — Denique Facultas censuit, auctores primae et secundae Dissertationis, qui victoribus cedere debuerant, publice esse invitandos, ut nomina sua Facultatis Actuario significarent, quo debita iis diligentiae et doctrinae laus publice posset tribui. Facultatis votis satisfecit auctor secundae Dissertationis, HERODOTI verbis inscriptae, qui ex sua significatione, Facul-

cultati idonee probata, repertus est C. D. BEELS, *Phil. Theor. et Litt. Hum. Candid. et J. U. in hac Academia Studiosus:* quem egregium juvenem Facultas ob praesentia eruditionis judiciique bona libenter collaudat et ad majora persequenda hortatur.

JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad propositam ab Ordine Medicorum Quaestionem una duntaxat responsio accepta est, his SYDENHAMI verbis inscripta:

Sine opio manca est et claudicat Medicina.

Haec scriptio, quamvis omni diligentiae laude non destituta sit, tamen singulas quaestionis partes, praecipue binas priores ita breviter exponit, ut Auctor eas potius adtigisse quam elaborasse videatur. Jubebat autem rei dignitas his diutius insistere, ut virtutis opii ratio dilucide explicaretur. Auctori igitur praemium adjudicari non potuit.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII,

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

D. VIII MENSIS FEBRUARII

A. CIƆIƆCCCXXI

INDICTI.

Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae, ex Augustissimi Regis Edicto d. 2 mensis Augusti A. CIƆIƆCCCXV. N°. 14., omnes Academiarum Belgicarum Cives et Athenaeorum Alumnos in annum sequentem ad certamen literarium invitant et evocant, et propositas a singulis Ordinibus Academicis quaestiones promulgari jubent.

ORDINIS THEOLOGICI Quaestio.

Quaeritur, quid e loco 1 Petr. V: 1—4, *recte intellecto constet de muneris sacri ratione et officiis: et quid adeo inprimis agere, quid vitare oporteat eos, qui in Ecclesia Christiana hoc munere funguntur?*

ORDO

ORDO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM sequentes proponit Quaestiones:

E PHYSICA.

Exponatur Barometri, ad objectorum altitudines determinandas destinati, cum constructio, tum usus.

E MATHESI.

Problema de Quadratura Curvarum explicetur et exemplis illustretur.

Ex ASTRONOMIA.

Quaenam phaenomena pendent praecipue a Refractione, quam radii luminis in Atmosphaera patiuntur? et quomodo illa phaenomena sunt explicanda?

Ex HISTORIA NATURALI.

Quid est optimum fundamentum systematis Mineralogiae?

E CHEMIA.

Unde pendet Plantarum Vegetatio?

ORDO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM has proponit Quaestiones:

HOOFTII *in vertendo* TACITO *virtutes et vitia, in quae inciderit, allatis idoneis ex* Quinque Historiarum Librorum *versione exemplis, exponantur. Ipsa autem exempla cum textu latino accurate conferantur, et locorum ac dictionum difficiliorum atque obscuriorum interpretatione illustrentur.*

ALTERA.

ALTERA.

Exponantur et dijudicentur. cum Scholae EPICURI *ac* ZENONIS *ex Veteribus, tum* LEIBNITII *et* KANTII *e Recentioribus, dogmata de nexu inter virtutem et felicitatem.*

ORDO MEDICORUM

Quaerit *Anatomico-Physiologicam considerationem Hepatis, nec non demonstrationem, in quantum ex observationibus Anatomico-Pathologicis hujus organi functio sana explicari possit.*

Quaestio ORDINIS JURISCONSULTORUM.

Fontes et subsidia, e quibus Historia Politica et Notitia Statistica Regionis alicujus haurienda est, generatim describantur; et quidnam pretii singulis generibus statuendum sit, indicetur: ita, ut res exemplis, ad Patriam nostram spectantibus, illustretur.

Commentationes, Latina tantum oratione conficiendae, et alia quam Auctorum manu describendae, ante diem 1 Novembris hujus anni mittantur ad Virum Clarissimum, Academiae Actuarium, M. S. DU PUI, ita ut nullis ab Academiae parte faciendis expensis detur locus. Lemmate autem omnes inscribendae, iisque adjungendae sunt schedulae obsignatae, Auctorum nomina continentes, eodemque in exteriore parte lemmate insignitae.

Universa vero concertationis ineundae et dijudicandae ratio cognosci potest ex Edicto Regis, supra dicto, Art. 205 — 213.

HENRICI COCK,

TRANSISALANI,

JURIS UTRIUSQUE IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Quandoquidem proximis hisce annis, tam super origine, quam super utilitate Judicii Juratorum *sive* Jurati (*quod dici solet*) *multum fuit disceptatum*, Facultas Juridica Academiae Lugduno-Batavae, *non quidem in tanta re sententiam exquirit Juvenum; sed desiderat, ut tam illius Judicii historia succincte exponatur, quam argumenta praecipua, quibus vel impugnata Judicii illa forma, vel defensa fuerit.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

HENRICI COCK,

TRANSISALANI,

JURIS UTRIUSQUE IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Quandoquidem proximis hisce annis, tam super origine, quam super utilitate Judicii Juratorum *sive* Jurati *(quod dici solet) multum fuit disceptatum,* Facultas Juridica Academiae Lugduno-Batavae, *non quidem in tanta re sententiam exquirit Juvenum; sed desiderat, ut tam illius Judicii historia succincte exponatur, quam argumenta praecipua, quibus vel impugnata Judicii illa forma, vel defensa fuerit.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM.

PRAEFATIO.

Est ea fere communis novi cujusque instituti ratio, ut ab aliis quidem laudibus efferatur, ab aliis contra maximopere vituperetur. Idque cum universe licet observare, tum vero in iis maxume cernitur institutis, quae cum politicis hominum opinionibus sunt conjuncta. Neque adeo est quod eam sentiendi miremur diversitatem; nam, quae plurimum valent in hominum opiniones, diversa eorum commoda, diversae conditiones diversaque item cogitandi ratio, ea pro variis, quibus singula quaevis considerari possunt, modis, varia eaque inter se diversissima gignunt judicia.

Si quod autem in toto juris ambitu est argumentum, in quo praecipue haec opinionum varietas cernatur ac discrepantia; est sane celebratissimus ille de judiciis juratorum locus. Ex quo enim in continentem Europae terram haec a Francis inducta fuit judiciorum forma, ab aliis quidem populis, tanquam eximium, cum publicae, tum privatae libertatis praesidium, avide fuit arrepta, ab aliis vero, vel statim contumeliose repulsa, vel non nisi reluctanter accepta, atque, ubi primum data fuit occasio, tanquam foedum servitutis vestigium, continuo iterum abolita.

Neque vero in solis populorum opinionibus hicce aestus observatur ac discrepantia, sed, uti varia eorum hac de re fuere judicia, ita et varias deprehendimus eruditorum sententias, quippe quorum ab aliis in coelum evehatur laudibus, ab aliis omni argumentorum ope vehementer improbetur.

Quae cum ita sese res habeat, idoneam sane praebere videtur materiam, in qua vires suas exerceat, qui adolescens ad pleniorem aliquando adspiret juris ac prudentiae civilis cognitionem. Investigandis quippe atque inter se conferendis rationibus hinc inde

allatis et ingenium acuitur et judicandi facultas excolitur, eaque optima sane videtur esse via, qua certa, eaque naturae congrua licet investigare principia.

Hoc equidem et antea semper existimavi, atque adeo saepius mecum ipse cogitavi de eo disceptandi argumento in posterum eligendo, si quando, exacto vitae academicae curriculo, dissertatio, de more, esset conscribenda. Ubi vero, in honestissima hacce concertatione, eam disceptandi materiam propositam esse cognovi, hanc potius opportunitatem arripiendam censui, de grata prae caeteris et commendata quaestione disputandi. Cum enim dissertationis academicae ratio videretur exigere, ut, alterutra de judiciis juratorum opinione comprobata, eam a dissentientibus defendere conarer; ita quidem fore praevidebam, ut, utram ego sententiam comprobassem, a multis, nec omnino sine veritatis specie, reprehenderer, quod et juvenis et imperitus et parvae auctoritatis a viris, iisque et doctis et gravibus, non solum differre sententia, sed et meam qualemcumque sententiam auderem profiteri. Si vero ad eam responderem quaestionem, quae et a vobis, VV. Cll.! esset proposita et vero, in tanta re, non quidem ullam exquireret adolescentis sententiam, at solam, cum judicii jurati desideraret historiam, tum vero argumentorum, quibus vel impugnata illa judicii forma vel defensa esset, expositionem; ita, sine ulla temeritatis suspicione, scribi posse existimabam, et vero ita scribi, ut meum qualecumque judicium suspenderem inque maturioris aetatis tempus differrem.

Praeterea vero, ut, quod intimo sedet animo, ingenue vobis profitear, VV. Cll.! vires mihi tenuiores esse sentiebam, quam ut non satis multa proferrem inconcinniora et a proposito aliena. Ea si plura essent ac majora, quam ut juvenili aetati commode possent condonari; alterutrum videbam eventurum: Si quidem ea dissertationis inauguralis loco ederem, mox undique reprehensionibus exceptum iri videbam; si vero in nobilissimam hancce juventutis concertationem ea mitterem, digniori alia commentatione praemio ornatâ, ea non nisi vobis innotescere sciebam solis, quorum cognita nobis est et perspecta in juvenes humanitas ac benevolentia.

Haec quidem animo agitans consilia commentatiunculae huicce conscribendae ferias destinaveram aestivas. Sed ecce, cum jam in eo essem, ut operi manum apponerem, subito domesticis negotiis implicor et occupationibus, quae, cum multum diuque me detinuissent, serum dederunt ad studia reditum. Exactis enim jam prope feriis repetitisque solitis studiorum vicibus, vix aut ne vix quidem novae gravique laboris accessioni locum tempusque reperiebam. Itaque de abjiciendo penitus respondendi consilio saepius fui sollicitus ac satius forsitan egissem, si illud penitus omisissem. Attamen, ne quid intentatum reliquisse, ne, quod quidem in me esset positum, quidquam omi-

omisisse mihi viderer; potius, quod a praeceptoribus accepissem „ nihil ordiri, nisi „ quod ad finem perducas, nihil inchoatum relinquere, ingenui esse adolescentis (1) " id et hac in re mihi tenendum existimavi. Igitur alacri animo rem aggrediendam censui, temporis quidem brevitatem diligentia compensari, operis autem difficultatem assiduo labore ac studio superari posse ratus. In arenam itaque descendo, non inani de me ipso inflatus opinione, sed tenuitatis meae probe mihi conscius, nec turpi virium elatus confidentia, sed vestra admonitione incitatus vestraque humanitate et indulgentia confirmatus. Quis enim VV. Cll.! vestra evocantium audita voce, propositaque, quamvis e longinquo, quamvis ulterius forte remota, quam spe pertingere liceat, nobili palma victoriae, non animum erigi suum et inflammari sentiat?

Verum haec de consilio nostro dicta sunto. Quod ad formam hujus scriptionis et ordinem attinet, ut via quadam et ratione tota procedat disputatio, eam quadrifariam dividemus, ac

I. Primum quidem in ipsam judicii jurati notionem inquiremus:

II. Deinde historiam ejus breviter enarrabimus:

III. Tum praecipua argumenta, quibus ea judiciorum forma fuit impugnata, exponemus:

IV. Ultimoque tandem loco ea, quibus defensa fuit, explanabimus.

Vos autem, VV. Cll.! hunc ingenioli nostri foetum, e manibus abeuntem, bonis ominibus prosequamini!

(1) *Wyttenbachius*, Philom. III. p. 213.

CAPUT PRIMUM.

DE NOTIONE JUDICII JURATI.

Si quid est, quod, in omni quaestionis genere, ad accuratam valeat disputandi rationem; est sane rerum, de quibus disseritur, recta et explorate percepta notio. Eam enim nisi diligenter habeamus cognitam, periculum est, ne in verborum rerumque maximos incidamus errores, iisdemque appellationibus de rebus inter se plane diversis loquamur.

Quodsi autem de rebus quaeratur non sola eruditorum commentatione cognitis, sed in ipso rerum usu et experientia positis, ea non ex ingenio erit effingenda aut ex reconditis doctrinae principiis eruenda, sed rerum potius origo, indoles ac ratio consideranda, indeque talis earum notio erit informanda, qualis in ipsa rerum natura deprehenditur. Ita quippe genuinam illam invenimus simplicique rei veritati consentaneam; qui eam aliunde velit repetere, is vanam quandam et inanem sectatur imaginem, ac nubem, ut ita dicam, pro Junone amplectitur.

Haec autem uti universe vera sunt, ita et de judiciis valent juratorum, quae si quis probe velit cognoscere recteque dijudicare, in veram earum notionem ante omnia est inquirendum, eaque, non ex meri juris theoria, quae dicitur, aut ex juridiciali quadam necessitate est derivanda, sed ex politicis potius opinionibus cum populorum, qui eam judiciorum formam receperunt, tum vero legislatorum, qui eam instituerunt. Neque enim ex altioribus illis doctrinae principiis exstitit juratorum institutum, sed ex solis prudentiae civilis ideis orta, confirmata magisque identidem exculta fuerunt ea judicia. Quae cum ita sese habeant, operae sane praetium fuerit, si, priusquam historiam ejus instituti exponamus variasque doctorum de eo sententias enarremus, in ipsam ejus notionem inquiramus easque prudentiae civilis ideas, unde tota haecce judiciorum forma exstitit, investigemus.

Potestas itaque puniendi, ajunt (neque enim meam adeo sententiam propono quam alie-

alienam enarro) uti maxima est e variis imperii civilis partibus, ita etiam, soli imperantis libidini permissa, omnium maxime est periculosa. Ubi ab ipsa velut justitia administratur, eximium habet communis legitimaeque omnium libertatis praesidium; ubi vero libidini subjicitur, communis foedaeque tyrannidis praebet instrumentum. Cui summum est nullisque finibus circumscriptum de vita civium ac libertate judicium, is simul infinitam habet in reliqua potestatem. Ei omnia licet exigere, cum nihil ipsi possit recusari, omnia velle, cum ejus voluntati nemo possit resistere. Liberum quippe de vita, de libertate arbitrium nihil aliud est nisi ipsum hominis dominium. Sive autem ipse per se potestatem illam exerceat summus imperans, sive per judices ab ipso constitutos, par est idemque publicae libertatis periculum. Ab ipso enim pendent, quos ita constituit, judices, nec fere sunt nisi voluntatis illius instrumenta.

Sed haec quamvis ita sese habeant, jus tamen puniendi ab exsequenti civitatis potestate non potest sejungi. Illo enim destituta haec inanis quaedam potestatis umbra existeret, quae velle quidem posset, minime vero perficere, quaeque in profundum consideret, simul alia, jure puniendi ornata, potestas emergeret.

Quodsi igitur summum imperantem puniendi quidem jus habere velis, sed non pro lubitu puniendi, ne ita injuste puniat; nihil aliud superest, nisi ut juris illius exercitium conditione adstringatur, quae voluntati ejus non sit obnoxia. At qualis quaeso est illa conditio?

Unumquodque scilicet legumlationis systema, quin et singula quaeque lex poenalis, duabus constat partibus, cum definitione factorum, quae poena sint prosequenda, tum vero ipsius poenae constitutione. Hae autem partes ad semet invicem eadem ratione comparatae sunt, qua caussa ad effectum, qua conditio ad id quod est in conditione positum. Uti autem ipsae leges poenales, ita et earum applicatio duabus iterum quaestionibus absolvitur principalibus, quarum altera est facti quaestio, altera vero, cum in juridiciali consecutione cum facto, de quo jam constat, conjungendo versetur, nudam juris quaestionem continet. Posterior sine priori nullum habet sensum ac ne proponi quidem potest, nisi ad priorem affirmando fuerit responsum.

Hac itaque via reperitur illa conditio, quae liberam plenamque summi imperantis libidinem suis contineat finibus. Quaestio, sitne sons an insons reus, ab ordinarii judicatus quasi ambitu sejungitur et in alium quemdam refertur locum, imperantis libidini, quantum fieri possit, inaccessum.

Ita quidem integra summo civitatis imperio et illibata facultas accusandi poenaeque, cum irrogandae, tum exsequendae relinquitur. Ipsam vero facti quaestionem, utrum ma-

maleficii noxius sit reus, eam nec affirmare possit nec negare oportet, ne justitiae manus ad injuriam possit converti.

At vero quis civium ordo reperietur, ab ordinariis judicibus diversus, cui ultimum hocce de facti controversia tribuatur judicium?

Singulis quidem hominibus haud facile quisquam tale quid commiserit, quippe qui ad cunctas potentiae dolique machinationes ita soli impares objicerentur et inermes. Neque tutius etiam perpetuo plurium collegio illud commiseris. Hi enim ipsa muneris perpetuitate in ordinariorum judicum conditionem devenirent tandemque in eandem imperantis delaberentur servitutem.

Nemo itaque restat, nisi universus populus, qui omnis una sumtus ab omni vi et corruptela ac reliquis ejus generis momentis est inexpugnabilis, simul autem justus et a personarum ratione alienus. At ille judex sedere universus non potest.

Cum itaque nec a summo imperante, nec ab ejus administris, nec a singulis civibus, nec ab universis exercenda sint judicia; nihil aliud remanet, nisi ut de facti controversia populus, non quidem ipse per se, judicet, verum per plures quosdam selectos, quorum potestas, vel singulae cujusvis caussae finibus, vel brevi certe temporis spatio circumscribatur, quique ita in conspectum quasi prodeant, ut mox iterum ante oculos evanescant aliisque locum cedant.

Ita populus de facto revera judicat, nec tamen omnis populus judicat, ita judicium prodit quidem a singulis, nec tamen ab iis prodit velut a singulis, sed velut ab universitatis partibus ac membris. Ita non minus in tuto collocatur judiciorum integritas, quam si ipsa judicia penes universum essent populum. Cum enim nemo sit antea designatus, qui de culpa rei pronuntiet, nemo est quem tyrannis adeat aut cui insidias collocet; cumque plures simul judicent, quod apud unum forte tyrannidi successerit, apud alterum saepe redigetur ad irritum.

Scilicet justorum quorumvis civium interest plurimum, ut, qui in noxa sit, is noxius declaretur, cum in singulos tandem publica civitatis redundent incommoda, quodque hodie uni eveniat, cras et alteri possit contingere. Sed et ab altera parte non minoris eorum interest, neminem damnari innocentem. Impotentis enim tyranni gladius ipsis sicariorum telis multo est periculosior: haec quippe non nisi paucos attingunt, ille vero cervicibus imminet omnium.

Haec igitur utrimque posita justi cujusque civis utilitas, quae pariter maleficos vetat absolvi atque innocentes condemnari, eam judiciorum aequilibritatem inducit, quae nullis rerum momentis alterutram in partem impellitur atque, a dominationis aeque libidine atque a latronum saevitia remota, non nisi justam fert sententiam. Sic itaque

o-

omnes solvuntur nodi, omnes difficultates, si, in ipsa lege fundamentali civitatis, illud ponatur principium, ne quis ab exsequenti civitatis potestate nec vita nec libertate possit mulctari, nisi a civibus suis criminis illius, cujus arguitur, revera noxius sit declaratus.

Et hoc quidem principio propria judicii jurati idea nititur (1). Hoc ubi adest, ibi nemo, priusquam apud judicium reus agitur, de ullo alio cive dicere possit oportet, hic est vitae meae ac libertatis dominus. Adest quidem in tali civitate hominum ille ordo, qui justitiae tenet gladium, sed ita adest, ut extrinsecus intuentibus non appareat, sed in multitudinem velut absconditus oculis quasi subducatur (2).

Haec autem juratorum judicia, de quibus hucusque vidimus, in ultima versantur de ipso maleficio quaestione (3); praeterea vero aliud quoddam habetur juratorum judicium, quod ex interiori libertatis studio exstitit, nec injustis solum condemnationibus opponitur, sed et eo valet, ut omnis accusationum tollatur licentia. Innocentem accusari minus certe malum est, quam innocentem condemnari, at malum tamen est, idque minime contemnendum. Reus quippe ad tempus saltem libertate privatur vel publico civium suorum contemtui exponitur, quaestionis criminalis incommodis objicitur, ipsique adeo condemnationis periculo. Quamvis itaque reis in juratorum judicio ultimum quoddam repositum sit libertatis praesidium, pro lubitu nihilominus a potentioribus contumelia affici possunt, ac sollicitudinibus, curis et angoribus excruciari. Hujusce itaque calumniae mali averruncandi gratia, aliud quoddam excogitatum est juratorum judicium, quod de accusatione permittenda cognoscat, numque idonea sit caussa, quare quis in discrimen quaestionis adducatur, judicet (4). Verum cum ad alteram illam judicii jurati speciem proposita pertinere videatur quaestio, quodque de altero illo valeat instituto, huic facile possit applicari, nisi quatenus utriusque diversa materia diversitatem aliquam afferat; de solo priori juratorum judicio agemus, quod de ipsa reorum noxa decernit. Iisdemque de caussis judicii jurati in caussis civilibus usum, Anglis receptum, tanquam a quaestionis mente alienum, mittimus.

Sed ex superioribus quidem generalior jam effici potest judicii jurati notio. At praeterea complures sunt definitiones singulares, quae partim ex illa velut necessaria fluunt consequentia, partem ad majorem ejus perfectionem referuntur atque in considerando hocce instituto non sunt praetermittendae.

Ju-

(1) Cf. *Feuerbach*, Betrachtungen über das Geschwornen-Gericht, Cap. I. p. 9.

(2) *Montesquieu*, Esprit des Lois XI, 6.

(3) Francis hocce dicitur: *Jury de Jugement.*

(4) Anglis: *grand Jury*, Francis: *Jury d'Accusation.*

Judicium itaque juratorum universe acceptum rei tantum cives requirit, qui, non tanquam publici magistratus, sed tanquam privati homines de ipso judicent, quique adeo, cum illam civium qualitatem cum reo communem habeant, *pares* ejus dici possunt seu ejusdem cum eo fortunae, ejusdem conditionis. Verum pro varia ratione, qua constituta est Respublica, variis, iisque angustioribus finibus circumscribitur illa conditionis aequalitas. Si enim civitas variis distinguitur ordinibus, qui, juridiciali aut politico discrimine separati, propriis simul ordinis utilitatibus sibi invicem sunt oppositi, civis in solo cive non agnoscit parem, nisi ad communem civitatem ejusdem ordinis accedat communio. Sic v. gr. ubi adest aliquis in civitate praecipuis quibusdam juribus ornatus ordo nobilitatis, ibi cives inter ac cives quasi carceres quidam constituti sunt et cancelli, qui omnem fere civium intercludant contactum. Nobilis enim vult privilegia, haud nobilis jura sibi postulat; ille principatum quaerit, hic aequalitatem desiderat; ille caeterorum cupit oppressionem, hic vero libertatem sibi vindicat. Ita contrariae civium utilitates partium gignunt studia, partium vero studia injurias pariunt. Ac si quidem unus civium ordo de reliquis judex sedeat, ad tuenda vindicandaque unius cujusdam ordinis commoda convertuntur judicia.

Hinc Romae, quamdiu e solis Patribus conscriberentur judices, invidiosam judiciorum saevitiam querebantur Equites ac Plebs. At postquam eos Equites, Gracchanis legibus, a subselliis detruserant, hi acceptam a Patribus injuriam iis, pari cum invidia, rependebant (1).

Itaque ne, quod ipsa judicii jurati idea habet eximii, parum idonea ejus institutione intereat, generalior illa aequalitas, in sola civitatis communione posita, veriori conditionis ac fortunae aequalitati locum faciat, oportet.

Quatenus vero conditionis illa aequalitas sit porrigenda, ex diversa civitatis ratione ac proprio cujusvis ordinis charactere metiendum est, prouti externis solum et fortuitis differentiae notis distinguantur, aut interna veraque jurium et utilitatum discrepantia sejungantur. In Anglia quidem duplex habetur judicium, alterum Nobilium priori Senatus Supremi Curiae adscriptorum, quod de solis ejusmodi cognoscit Nobilibus; alterum reliquorum quorumvis civium, quod et caeteros omnes Nobiles, nudum gerentes nobilitatis titulum, quin et eorum, qui Superiori Curiae adscripti sunt, liberos, fratres et reliquos agnatos complectitur (2). Neque enim talis apud Anglos habetur nobili-

(1) *Appianus* B. C. Lib. I, Edit. Steph. p. 363. *Vellej. Pat.* II, 6. et II, 13.

(2) Vid. Examen du Gouvernement d'Angleterre, comparé aux Constitutions des Etats Unis, par un Cultivateur de New Jersey, Londres 1780, p. 185 sq.

litas, quae utilitatibus, studiis et voluntatibus a tota civium universitate dissidens, cum ea perpetuis de libertate contendat litibus, dubiisque et ambiguis majorum meritis magnum illud rependit beneficium, ut nihil quidem sit, ast omnia tamen valeat. Sola nobilis cujusdam in priorem Supremi Senatus Curiam adscriptio eum populo quasi eximit mediumque velut Regem inter ac Populum constituit, atque ita majorem inducit conditionis inaequalitatem, quam ut aut caeteros possit judicare, aut ab iis ipse judicari. Sed hi potius ad hereditarios magistratus referendi sunt, quam ad solitam illam nobilitatem, qualis in reliquis habetur Europae regionibus.

Similis autem quodammodo rerum conditio in Franciam quoque similem quandam invexit rationem.

Verum uti in haecce judicia plurimum valet juratorum conditio, ita et multum a vario pendet modo, quo ex tota civium universitate seliguntur. Id quidem vix aliter quam a publico fieri potest magistratu (1). Sic in Anglia a Comitatus cujusque magistratu, qui *Sheriff* dicitur (2), in Francia vero a Praefecto Provinciae (3) juratorum series describitur. Sed ita quidem, si a solo scilicet magistratus illius arbitrio penderet juratorum electio, omnis facile praeverti posset hujus instituti utilitas. Sic enim a magistratu legi invitisque reis obtrudi possent jurati, qui, vel pecunia dolisve corrupti, vel et propria studiorum improbitate ducti, impotenti cuivis tyrannidis libidini facile morem gererent.

Utrum autem tantam in aliquo fidem reponere possit reus, ut, sine ullo injuriae metu aut periculo, summum ipsi de capite suo committat judicium, id nemo sane rectius, quam ipse, valet dijudicare, cum sua cuique negotia optime cognita sint existimanda. Hujus itaque nudae affirmationi, non esse dicentis, quod ab hoc illove juratorum aequum sibi speret judicium et ab omni personarum ratione alienum, per se et absolute fides erit habenda, quamvis nulla ejus idonea ratio afferatur. Ea enim vel sola rei de fide jurati dubitatio judicii integritatem in periculum adducit.

In judice quidem, cui secundum legitimas probationis regulas est judicandum, anxiae hujusmodi cautiones plane viderentur supervacaneae, cum ejus judicium legi jam per se alligatum sit legisque violatio ex ipso judicio possit probari. Sed contra est in juratis, quorum intimae et subjectivae, quam vocant, animi conscientiae seu persuasioni om-

(1) Novi equidem, in Francia nuper a quibusdam fuisse propositum, ut ex universis cujusque provinciae incolis, certam quandam tributorum summam solventibus, sorte legerentur. Hoc autem tanquam minus idoneum a plerisque fuit improbatum.

(2) Cf. *Blackstone*, Commentaries on the Laws of England, III, v, 23.

(3) Code d'Instruction Criminelle, Art. 387 sqq.

omnia sunt relicta, quorumque adeo judicium in hanc illamve partem inclinari vel minimis potest rerum momentis, quorum ne sibi ipsi quidem conscii sint jurati.

Quod vero ad civitatem attinet eumve, qui civitatis nomine accusat, procuratorem publicum, si non eaedem plane, at similes tamen valent caussae recusandi. Inde etiam leges Anglicae, cum reo, tum accusatori publico recusandi facultatem tribuunt, ita tamen, ut illi simpliciter juratum liceat rejicere, huic contra non, nisi idonea recusandi caussa allegata (1).

Similis quodammodo in Francia quoque (2) valet recusatio, olimque apud veteres valuit Romanos (3). Caeterum vero, qua tandem forma instituatur rejectio quibusque regulis sit adstricta, vera est ac necessaria judicii jurati consecutio, qua, et ab humanitate, et a popularitate maximopere sese commendat. Non solum enim a paribus, sed et ab iis judicatur accusatus, quos sibi ipse judices constituit quorumque ore velut suam ipse pronuntiat sententiam.

Cum autem jurati, data demum occasione, ad obeunda judicia evocentur, nec tanquam magistratus caussas cognoscant, sed tanquam homines privati, qui e medio populo quasi prodeunt, ut de facti controversia cognoscant, absolutoque judicandi munere ad sua quique negotia redeunt; non potest a doctrinae copia vel a juris cognitione pendere juratorum electio, nec adeo doctum ab iis et artificiale requiritur, sed commune quoddam sanae, licet non excultae, rationis judicium. Ubi contra judicialis, de facti cujusdam veritate aut falsitate, persuasio certis legum regulis est adstricta, ubi antea legibus definita sunt principia, unde historica rei veritas in judicio derivetur; ibi nudum de facti quaestione judicium est judicium juridiciale. Ibi enim judex, non ad eam persuasionis vim, quam in intimum ejus animum exseruit allata probatio, suum de facto judicium debet exigere, sed ad legum praecepta potius, quae, cum multos persuasionis fontes, in vita quotidiana usitatos, rejiciant, certas quasdam ac definitas conditiones, tanquam veritatis judicialis fundamenta, considerant. Quoties itaque juridicialis habetur probationis theoria, judex, in dirimendis facti controversiis, non adeo suam ipsius propriam privamque declarat persuasionem, quam communem illam, antea a legislatore comprobatam, eamque rebus ac personis obvenientibus applica-

(1) Cf. *Blackstone*, op. c. IV, VI, 27. et III, V, 25.

(2) Code d'Instr. Crim. Art. 399 sqq.

(3) Cf. *Cic.* pro Plancio 17, in Verr. II, 31, pro Cluentio 58, in Vatinium 2, pro Milone in fin. Cf. Consultiss. *E. R. van Nes*, in Diss. Inaug. de Judiciis Judicum Juratorum, publice defensa Trajecti ad Rhenum 1804. Sed Romanorum alia fuit ratio, cum privati apud eos accusarent. Simile institutum in Anglia superest. Cf. *Fielding*, Causes of the Increase of Robbers, Sect. VII.

catam. Sic igitur cum judicis sententia, vel quod ad historicam attinet facti veritatem, generalibus legum regulis sit adstricta, inter persuasionem vulgarem et juridicialem, inter historicam et legalem cognitionem, interque communem et judicialem rei veritatem magnum quoddam discrimen exoritur, quod interdum maxima in rebus cernitur discrepantia, ita ut judicantis animus diversas in partes contrariis distrahatur persuadendi momentis. Ibi quis forte jam certo novit privatus, quod judex ignorat, vel tanquam JCtus certior est de eo, de quo tanquam homo dubitat.

Haec autem in juratis cessant omnia. His nulla valet probationum theoria, horum nullis adstrictum legibus, nullis artis disciplinaeve regulis definitum est judicium. Quod sana, licet non exculta juratorum ratio, ex rebus factisque propositis adhibitisque probandi persuadendique momentis, verum falsumve agnoverit, cujuscumque tandem generis aut ponderis ea sint subsidia, pro ipsa rei habetur veritate. Haec autem juratorum agnitio et propria eorum animi conscientia, sive actis nitatur et probatis, sive aliunde arcessita rei notitia, sive unius, sive plurium testimonio confirmetur, sive signis, indiciis vel instrumentis fulciatur, sive ex suspicionum concursatione oriatur; haec intima inquam juratorum conscientia ipsum est veritatis fundamentum, quod legem nullam agnoscit superiorem. Hic itaque, non vulgaris illa persuasio juridiciali subjicitur, sed contra juridicialis veritas ex communi et intima judicantium conscientia et persuasione repetitur (1).

Quodsi autem illam, de culpa rei vel innocentia, sententiam vivae juratorum et inartificiali conscientiae velis inniti; tota caussae controversia coram iis peragenda ipsaque et accusatio et defensio coram iis instituenda est, ut omnis ita vis argumentorum in eorum sensus velut incidat et in animum integra et illibata defluat. Intima quippe illa hominis persuasio innumeris adhaerescit punctis, iisque subtilioribus quam ut signis exprimi aut verbis ullis possint comprehendi. Uti enim JCtus (2) ait: „ Plurimum in excutienda veritate vox ipsa et cogitationis subtilis diligentia adfert; nam „ et ex sermone, et ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid dixerit, vel „ cujus existimationis quisque in civitate sua est, quaedam ad illuminandam veritatem „ in lucem emergunt. " Quanta vero quamque multa persuasionis elaberentur momenta, si ea non ex vivo praesentis cognitionis fonte, sed ex impuris actorum commen

(1) Cf. *Pettingal*, an inquiry into the use and practice of Juries among the Greeks and Romans, P. III. p. 187, ubi verba supremi judicis *Vaughan* refert: The judge can not fully know, upon what evidence the Jury give their verdict; for they may have other evidence than what is given in court etc. Cf. Code d'Instr. Crim. 372.

(2) L. 10. §. 5. ff. de Quaest.

mentariis esset haurienda. Intima quippe animi illa persuasio similis est librae subtilissimae, quam saepe flocci momentum alterutram in partem declinet.

Actorum vero commentarii, licet summa tandem cura, fide ac diligentia compositi, non sunt nisi velut imago quaedam veritatis, quae quidem omnes ejus partes, omnia membra, non potest ad vivum accuratissime referre. Quod enim dictum factumve est, ejus propria saepe vis et genuina significatio ita demum recte percipitur, si tanquam totius cujusdam universi pars consideretur et ad multa referatur secundaria, quibuscum subtilissimis cohaeret filis, quibusque regitur ac moderatur. Tenuissima vero illa stamina, quibus haec inter se sunt implicita, non possunt quin manu scribentis versata disrumpantur. Sed quamvis et actorum commentarii, quidquid dictum factumve esset, omne possent amplecti; nondum tamen eodem quidque modo reddere possent, quo esset actum, neque eandem adeo in animos vim exserere, quam nuda rei veritas in ipso juratorum conspectu collocata. Ubi vero legitima habetur decidendi norma, judicis persuasio non tenuibus adeo vixque percipiendis filis adstricta est, sed doctae dijudicationi generalibusque notionibus et artificialibus connexionibus innititur: ubi singularia quaevis in generaliores primum ideas conferenda sunt, eaeque ad alias notiones sunt exigendae; ibi non, nisi quod verbis possit exprimi, ad probationis substantiam requiritur, nec habet legislator quod curet, nisi ut, quoad necessarias hasce probationis partes attinet, veri, fidi omnibusque numeris absoluti sint actorum commentarii, eaque caussae descriptio, et literis velut expressa ejus adumbratio, doctae veritatis inquisitioni magis etiam est accommodata, quam, tumido velut concitatoque amne delata, praesens ejus tractatio.

Praeterea vero ubi intimae sensus communis conscientiae soli committitur caussae dijudicatio, frigidum illud aridumque doctae communicationis vehiculum toti judiciorum juratorum principio politicisque ejus rationibus ac fundamentis repugnat. Quis enim nisi magistratus quidam publicus commentarios illos describat? Hic autem uti summo imperanti est obnoxius, ita ab hujus iterum arbitrio tota penderent judicia. Etenim ipsam quidem sententiam dictare non posset, at vero acta dictaret, unde judicialis illa sententia esset conficienda. Eaque acta licet sexcentis obsignata essent annulis, licet totidem munita subscriptionibus, juratis tamen, quibus nihil nisi signa offerretur et chirographa, licet forma alligatis externa, intimo tamen animo maxima saepius superesset dubitatio.

Tandem vero, ut hoc ultimum adjiciamus, cum juratorum effata non nisi ab animorum intima fide et persuasione pendeant, non possunt, quod ad effati veritatem attinet, ullis teneri praestationibus, ulla rationis reddendae necessitate. Neque enim alia quam

quam sola conscientiae lege sunt obstricti, eorumque effata oraculorum responsis sunt similia, quorum eventus cernitur, caussa vero sacris est obducta tenebris (1).

Verum homines sunt quorum ore venerandum illud prodit oraculum, quod sacra quadam majestate de noxa hominis aut innocentia pronuntiat. Quis autem est, qui levitatem eorum et inconstantiam praestare possit, vel et improbum animi consilium? Ast utriusque gravissimum habetur libramentum. Etsi enim tribunal civile desit, quo de reddendis effati sui rationibus vocentur, est tamen altuis quoddam naturae judicium, in quo erubescunt omnes, quotquot non omnem humanitatis sensum exuerunt, publicam scilicet opinionem puto et populi velut censuram, quae honorem dispensat et ignominiam.

Judicium itaque juratorum totaque caussae disceptatio in publico instituatur oportet, ut tanquam testis adesse possit populus, qui videat, qua tandem ratione selecti ex ipso viri eo fungantur munere, quod, cum ad publica civitatis jura contra maleficum tuenda, tum vero ad communem civium libertatem a summa potestate vindicandam comparatum est. Non satis actum est, si populus juratorum sententiam audiat, sed totam caussae disceptationem ipse videat oportet et audiat, quo cum iis una judicare, eorum rationes agendique modum considerare, deque eorum effato recte possit aestimare, iisque laudem aut vituperationem, pro meritis, impertiri. Uti pro civibus suis agunt jurati, ita et coram iis agant necesse est. Quemadmodum de admissis reorum jurati pronuntiant, sic de horum iterum meritis populus ipse judicat. Ita demum, si palam omnia peragantur, omnibus numeris suis et partibus absolvitur juratorum judicium. Ita juratorum judicium omni respectu, verum fit ipsius civitatis judicium, ita horrendum illud involucrum et quasi velum panditur, quo nihil est a justitia magis alienum, nihil magis idoneum, quod impotentem dominationis libidinem obtendat.

Verum haecce quidem de judicii jurati notione sufficiant, quippe quibus eam ita universe delineatam existimem, ut, quae ad ejus substantiam pertineant, satis accurate videantur expressa. Particulares vero definitiones, veluti de juratorum numero, personis, aetate, facultatibus, de suffragiorum ratione et numero, de una facti quaestione plures in partes et membra discerpenda, de juratorum deliberationibus certo tempore et loco circumscribendis, de reorum testiumque interrogationibus, de praesidis moderatione, auspicio et oratione ac reliquis hisce similibus, praetermittendas potius esse censui, cum non adeo ad judicii jurati naturam pertinere videantur, sed et, pro varia cu-

(1) Hinc non admitti potest ab uno juratorum judicio ad aliud proprie dicta provocatio, nec sententiae recessio ab hac illave curia judiciali facienda.

cujusque civitatis ratione, sint varianda et, in diversis quoque populorum institutis, deprehendantur diversa. Itaque hujus instituti notione satis jam, ut videtur, explorata, ad enarrandam ejus historiam accedamus.

CAPUT SECUNDUM.

JUDICII JURATI HISTORIA.

Judiciorum juratorum institutum, quale in hodiernis habetur Anglorum, Francorum aliorumque populorum legibus, quamvis sine dubio proprium sit recentioris aevi inventum; modus tamen judicandi per judices e privatis lectos, absolutoque officio, inter privatos redeuntes, cultioribus antiquitatis populis non fuit incognitus. Quamvis itaque merito possit dubitari, num ea veterum populorum instituta propositae quaestionis mente sint comprehensa, non tamen ab re fore putamus, si, priusquam ad propriam judicii jurati historiam accedamus, rem paullo altius repetamus deque veteribus Graecorum Romanorumque judiciis pauca dicamus. Si quid enim est, quod in aliquo populorum instituto dijudicando, et utilitatis habeat plurimum et jucunditatis; est sane, ab initiis inde ducta, historica ejus consideratio eorumque, quae diversis populorum legibus cauta fuerunt, diversisque temporibus valuerunt, investigatio eorumque inter se comparatio.

Ut igitur a Graecis sumamus initium, ordinata a Solone Atheniensium Republica, communicatisque cum plebe judiciis, omnes cives, triginta annis majores integraeque existimationis neque aerarii publici debitores, judicum partibus fungi potuerunt (1).

Decem Athenis erant tribunalia, quorum quatuor de homicidiis, sex de caeteris caussis, tam criminalibus quam civilibus, cognoscebant (2): in singula quingenti vel etiam plures cives erant descripti, e toto populo, curantibus Archontibus, quotannis sor-

(1) Cf. Pollux VIII, 10. §. 122.

(2) Exceptis tamen criminibus, de quibus Areopagus judicabat. Archontibus itidem quarumdam caussarum cognitio erat commissa, Vid. Plutarchum in Sol. p. 88. Demosth. in Lacrit. p. 956.

sorte lecti, qui, ab omni magistratu de caetero destituti, nil nisi nudam de controversiis, ab Archontibus propositis, notionem habebant, cessante post sententiam officio. Singuli Archontes caussas, ad suam jurisdictionem pertinentes, in hisce tribunalibus dijudicandas, iis deferebant, iisque, inchoato examine, praesidebant (1).

Caussae publicae privataeque majoris momenti agitabantur in celeberrimo Heliastarum tribunali; in gravissimis autem caussis, judices, aliis tribunalibus adscripti, saepe a magistratibus adjungebantur Heliastis, ut ita mille, duo millia, quin et sex millia judicum interdum judicaverint (2). Caussa perorata secundum plurium suffragia ferebatur sententia eaque, in disceptationibus quidem civilibus, naturae negotii, quod agebatur, accommodata. In criminalibus non tantum de facto judicabant, verum etiam de poena irroganda, si certa quaedam legibus non esset scripta.

Verum haec de Atheniensium re judiciaria dicta sunto (3): de Romanis jam videamus, quorum judicia multo majorem etiam cum hodiernis juratorum judiciis habent similitudinem.

Apud Romanos autem certa juris dicendi ratio judiciorumque ordinatio a tempore XII Tabb. primum videtur repetenda; antea enim, regiis (4) legibus obsoletis, Coss. pro lubitu, sive ipsi ex arbitrio, jus dicebant, sive Senatoribus controversiarum cognitionem deferebant (5), quamvis ex lege Valeria ab eorum sententia ad populum provocari potuerit in caussis criminalibus (6).

Latis itaque XII Tabb. invaluit, ut magistratus (7), primum Consules, deinde quoque Praetores, de facti quaestionibus privatis judices darent homines privatos (8). Eundemque morem in publicis judiciis servabant extra ordinem creati parricidii Quaestores, ut scilicet de criminibus cognoscerent per judices e privatis lectos (9); isque, et post institutas quaestiones perpetuas, fuit retentus (10). Judices autem illi, a Praetore aut Quaestore in caussis, cum privatis tum publicis, constituti, homines erant pri-

(1) Cf. d. Diss. Consultissimi *van Nes*, cum de hoc loco, tum de toto capitis hujus argumento, cap. 1.

(2) *Pollux* VIII, 10. §. 123. et *Lysias* in Agorat. p. 224.

(3) Qui plura cupit, adeat *Barthelemyum*, Voyage du jeune Anacharsis, T. II, C. 15, 16 et 17.

(4) Sub regibus fluctuasse videntur judicia. Cf. *Heineccius* Antiq. ad tit. Inst. de Publ. Jud. §. 11.

(5) L. 2. §. 23. ff. de O. J.

(6) *Livius* II, 8. *Dion. Hal.* V, 216.

(7) Quin et reliqui magistratus qui consulari potestate praeerant Reipubl. v. c. Decemviri, Tribuni Militares, nonnunquam et Dictatores. Cf. *Heineccius* l. c. §. 3.

(8) Eorum jam mentio in Fragmento XII. apud *Pothier*, Tab. I, 2, 9.

(9) L. 2. §. 23. ff. de O. J.

(10) Quod ex singulis fere Ciceronis apparet orationibus.

privati, absque tribunali, jurisdictione et imperio, nudam habentes notionem in caussa, ad quam erant dati, secundum certam formulam exercendam, nec ulterius quam ad dictam usque sententiam (1). Dicebantur judices pedanei, quia in subselliis ad pedes sedebant magistratuum. Hi autem, cum in privatis (2), tum in publicis (3), de solis facti quaestionibus judicabant, nisi aliqua forte juris controversia in facti quaestionem incidisset, aut Praetor ipsum se animadversurum edixisset. Praetor vero ipse, aut Quaesitor, qui caussae disceptationi praeërat, ipse suffragium non ferebat, tantum dabat actionem aut negabat, subsortiebatur, cogebat ac dimittebat judices, testes audiebat, quaestiones habebat, tabulas inspiciebat et sententiam a judicibus latam pronuntiabat (4). Testes autem praesentes accusatori et reo adducebantur et ab ipsis litigantibus eorumve patronis interrogari poterant (5).

Ante C. Gracchi quidem aetatem Senatores soli officio judicum fungebantur, sed, cum invalescens morum corruptela judiciorum quoque minuisset integritatem, hic Patribus infensus datam occasionem invidiae, qua judicia flagrabant, Tribunus Plebis arripuit, ut ad Equites ea transferret.

Variis deinde legibus nunc Senatores, nunc equites judicarunt, donec tandem inter eos fuerunt communicata judicia. Aurelio Cotta rogante fuit constitutum, ut judices ex Senatoribus, Equitibus ac Tribunis Aerarii, qui ex Plebe erant, conscriberentur. Pompejus vero, in secundo Consulatu, legem tulit, ut ex amplissimo censu lecti judices, aeque tamen e tribus ordinibus, judicarent. Tandem M. Antonius legem promulgavit, qua Senatoribus et Equitibus adjungebantur Centuriones et Manipulares legionis Alaudae (6).

Praetor autem Urbanus (7) aut Peregrinus quotannis (8), ex Ordine Ordinibusve judicandi munere fungentibus, eorum, qui integra erant existimatione, numerum legitimum satis ingentem, qui tamen diversis Reipubl. temporibus fuit diversus (9), conscri-

(1) L. 5. §. 55. ff. de re judic.

(2) Cf. *Noodt* de Jurisd. et Imp. I, 8 et 9.

(3) D. diss. Cons. *van Nes*, p. 19.

(4) Aut ipse scilicet, aut per Judicem Quaestionis.

(5) L. 27. §. 7. ff. ad Leg. Jul. de adult. *Filangieri*, Science de la Legislation, T. III. C. 3.

(6) *Pothier*, in App. Tit. ff. de Publ. Jud.

(7) *Sigonius*, de Antiq. Jur. Pop. Rom. II, XI, 27. Decuriae autem illae judicum deinde perpetuae factae sunt. Suet. in Aug. 32.

(8) Scilicet ante Augustum.

(9) Gracchi aetate Equites, uti antea Senatores, trecenti, deinde, lege Servilia Caepionis, idem Equitum numerus et totidem judicabant Senatores. Lege Servilia Glaucia quadringenti et quinquaginta, ac postea, Augusto imperante, singula circiter judicum millia in singulas decurias erant descripta.

scribebat aliosque ad privata, alios ad publica judicia obeunda legebat (1).

Selecti illi judices tribus (2) decuriis describebantur eorumque nomina Praetor albo comprehendebat.

Hisce praemissis, primum de privatis videamus judiciis, de publicis deinde acturi.

Quoties itaque privata caussa incideret, partes aut mutuo consensu unum pluresve judices eligebant (3), aut alter alteri judices nominandi potestatem faciebat (4). Hoc si fieret, eligi etiam poterant, qui in selectorum numerum non erant relati (5). Partibus in judicem non consentientibus, secundum Noodtium aliosque, magistratus omnium, qui eo anno ad judicia privata obeunda erant lecti, nomina in urnam urnasve, si plures judicarent ordines, conjiciebat ac sorte judices dabat (6). Judices autem datos recusandi, tam actori, quam reo liberrima erat potestas (7). Judices dati et a litigantibus comprobati citabantur, ut die perendino adessent, ac tum, ad *Puteal Libonis*, jurabant, se secundum leges, ex animi sententia, esse judicaturos.

Caussa utrimque perorata, sententiam viva voce absque tabellis, absque urna, proferebant aptabantque caussae, cui, et formulae, secundum quam essent dati (8).

Atque ea quidem in privatis servabatur ratio; in publicis vero Praetor vel Quaesitor plerumque sorte judices dabat, nisi quadam in caussa aliud forte cautum esset legibus (9).

Numerus judicum de criminibus cognoscentium erat diversus pro diversis tribunalibus, ac forte etiam pro majori minorive momento caussarum, quae coram illis tribunalibus agebantur (10).

Facultas autem rejiciendi judices sorte ductos editosve libera Republ. fuit amplissima, ita ut recusationes, nulla etiam addita caussa, possent interponi (11). Saepius ta-

(1) *Gellius*, N. Att. XIV, 6, 2.

(2) Sive uno sive pluribus Ordinibus judicantibus, tres nihilominus fuisse decurias, affirmat Cujacius, Obs. II, 31. Augustus quartam, tandem Caligula quintam adjecit. Vid. *Sueton.* Aug. 32. et Cal. 16.

(3) L. 80. ff. de Jud. l. 23. ff. de appell. *Brissonius* de V. S. voce *sumsit.*

(4) *Livius*, III, 56 et 57. *Cic.* de Orat. 65 et 70. pro Rosc. Com. 15.

(5) *Schultingius*, de Recusat. Jud. Cap. 6. §. 1.

(6) l. c. de Jurisd. et Imp.; alii dissentiunt, v. c. *Schultingius*, l. c.

(7) *Cic.* pro Rosc. Com. 15. in Verr. III, 11, 59, 60. pro Cluent. 43.

(8) *Sigonius*, op. c. II, 1, 24.

(9) v. c. lege Servilia Glaucia, aut Licinia de Sodalit. V. *Ascon.* in Cic. Or. in Verr. C. 6. *Cic.* pro Planc. 15 et 17, pro Murena 23.

(10) Vid. *Plin.* H. N. XXIX, 1. *Cic.* pro Cluent. 27. In *Pison.* 40. ad Att. IV, 15.

(11) Cf. *Asconius*, in Or. Cic. pro Milon. in fin. *Plin.* l. c. *Cic.* pro Planc. 17.

tamen leges publicorum judiciorum recusationes illas coarctarunt (1). In locum rejectorum vero Praetor alios subsortiebatur, ut legitimus compleretur numerus. Post urnam autem, haud secus ac in privatis judiciis, jusjurandum praestabant judices, eorum nomina libellis consignabantur, ne, pro selectis aliqui suppositi, corruptissime judicarent.

Quamprimum uterque orator se dixisse significasset, judices ad sententiam ferendam se accingebant, ita ut in levioribus de tabula pronuntiarent (2), in plerisque vero gravioribus, acceptis a Praetore tabellis (3), quarum unam singuli judices in urnam sui ordinis conjiciebant. Tandem vero Praetor tabellas colligebat ac, de plurium suffragiis, sententiam pronuntiabat, secundum formulam legitimam (4). Poenam vero irrogandam sententiae addere non solebat, sed rem ad leges ipsas referebat (5).

Judicia vero, tam publica quam privata, ab initio ad finem usque, in foro vel in basilicis tractabantur (6).

Sub Caesaribus autem paullatim publica privataque judicia facta sunt extraordinaria (7), sublata molestia antiquorum judiciorum, quae multis formularum ambagibus morisque erant implicita, negotiaque trahendi, judices corrumpendi et praevaricandi facilem offerebant occasionem. Hinc itaque vehementer imminutus (8) fuit judicum pedaneorum usus, nec decuriarum amplius occurrit in Codice mentio; apud ipsos enim magistratus majores caussae omnis generis, quatenus iis vacare poterant, agitabantur, graviores certe omnes, quae trecentos excederent aureos. Infra eam summam dabantur judices, inque municipiis et coloniis Defensores judicabant (9).

Verum haec de Graecorum Romanorumque judiciis dicta sunto, quorum his certe maxima cum hodiernis juratorum judiciis intercedit similitudo.

Jam ad propriam hodierni illius instituti transeamus historiam. De hujus autem origine, uti et de tempore, quo primum in Anglia invaluit, multum fuit litigatum. Nonnulli illud jam apud Getas usitatum, cum iis ex Asia in Europam migrasse contendunt: alii vero *Regnerum Lodbroc*, Daniae et Sueciae regem, ejus auctorem fuisse pu-

(1) *Cic.* in Verr. II, 31. pro Cluent. 53. in Vatin. 2.

(2) *Heineccius*, ad tit. de Publ. Jud. §. 5. (3) Idem, eod. §. 32.

(4) Cf. *Brissonius*, de Formul. V, 2. 18.

(5) L. 32. ff. de poen. l. 1. §. 4. ff. ad SCtum Turpil. *Cic.* pro P. Sylla 22.

(6) Cf. *Quinctilianus*, Inst. Or. X, 5. XII, 5. (7) §. ult. inst. de Interdictis.

(8) Cf. *Quinctilianus*, Declam. 249. *Tacitus*, Ann. VI, 11. XIV, 41.

(9) L. 2. L 3. C. de pedan. jud. Nov. LXXXII, 5. N. XV. c. 3. §. 2. et c. 4. Cf. *Schultingius*, l. c. 6. §. 3 et 7. et c. 7.

putant, quoniam appareat ex historia, eo regnante, judices juratos in Dania judicasse, anno P. C. N. DCCCXX, nec ullum antiquius occurrat exemplum. Alii juratorum judicia originem debere Wodenio, primo Saxonum legislatori, conjiciunt, eaque, saeculo V, a Saxonibus in Angliam translata volunt. Sunt etiam qui existiment, ea jam in usu fuisse primis insulae Britannicae incolis indeque ad posteritatem transiisse. Secundum aliorum sententiam, Alfridus Magnus, qui ab anno inde DCCCLXX usque ad annum DCCCXCII in Anglia regnavit, uti compluriurn aliarum legum, ita et hujus instituti auctor est habendus (1). Alii denique, Normannos, cum Rollone duce in Neustria, ab iis Normannia dicta, consedissent, avitum hunc morem ex patria sua advexisse inque Angliam deinde, ab ipsis saeculo XI subactam, induxisse (2).

Quas cum omnes dissentientium opiniones adferre longum sit, caeteris quidem missis, unam, cum praecedenti hujus capitis parte conjunctam, paucis attingemus, deinde eam, quam sequendam esse ducimus, proponemus.

Quod itaque Pettingalius aliique existimant, barbaras nationes, quae Europam vastarunt et Romanum pessum dederunt imperium, suam judiciorum formam mutuatas fuisse a more judicandi per judices pedaneos, in subactis Romanorum vigente coloniis (3), id quidem nullam habet veri speciem. Eo enim tempore, praesertim inde a Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, adeo coarctatus erat judicum pedaneorum usus, ut non, nisi forte de levibus exilibusque caussis, judicasse videantur (4). Etenim Taciti aetate, qui ab initio Neronis ad Hadrianum usque vixit, eos raro, imprimis in caussis gravioribus, datos fuisse, ex Dialogo de Oratore colligi potest (5).

Porro etiamsi largiri velimus, pedaneorum judicia usque ad exitum Romani imperii non plane vigere desiisse, haud verosimile tamen est, Barbaros, exstirpatis fere nonnullarum regionum incolis, artium disciplinarumque Romanarum deletis monumentis, abrogatis, vel penitus, vel magna pro parte, eorum legibus (6), tantae cladi et rerum subversioni exiguam partem administrationis judiciariae sic exemisse atque suis institutis, caeterum plane diversis et contrariis, adaptasse.

Prae-

(1) Varias dissentientium opiniones refert *Blackstone*, op. c. III, 5, 6 et sq.

(2) Cf. Ampliss. *J. D. Meyer*, Esprit, origine et progrès des Institutions Judiciaires des principaux pays de l'Europe, L. III. Ch. 10. T. 2. p. 151.

(3) In Praefat. ad opus citatum et alibi passim.

(4) L. 2 et 3. Cod. de Jud. Ped.

(5) Cujus vulgo auctor creditur Tacitus.

(6) Cf. *Robertson*, Introduction to the History of Charles the Fifth, T. I. Sect. 2. T. II. N. 2 et 5.

Praeterea vero Britannia, Vespasiano demum imperante, a Romanis plene occupata et in provinciae formam fuit redacta (1). Tunc temporis autem de omnibus, alicujus momenti, cum juris tum facti quaestionibus magistratus majores, tam Romae, quam in provinciis cognoscebant.

Itaque magis nobis arridet sententia Baconis de Verulam (2), modi hujusce judicandi originem repetentis a Populi judiciis, apud antiquas Germaniae gentes usitatis, postquam, mitigata ista morum barbarie, quae hominibus primum in societatem sese conferentibus propria esse solet, privatam vindictam aliquantum compescere coeperant. His scilicet, quo tempore mores eorum et instituta depingit Tacitus „ apud concilium accu„ sare et discrimen capitis intendere" moris erat (3). Huic concilio intererant omnes homines liberi; verebantur enim Germani, libertatis amantissimi, ne, si caussarum criminalium cognitionem deferrent Duci vel Principi aut perpetuis quibusdam judicibus, hi potestatem sibi commissam in tyrannidis et oppressionis instrumentum converterent (4).

Cum autem ampliatis nonnullarum regionum finibus et aucto incolarum numero nimis molestum evaderet omnes convocari, deinceps nova judicandi ratio in locum veteris, iisdem tamen principiis innixa successit, qua scilicet, variis populi regnique institutis distributionibus, in singulis haberi coeperunt judicia.

Eoque modo apud Saxonas etiam, sive postquam e Germania in Angliam migrarunt, sive et antea, eandem judiciorum rationem usitatam fuisse verosimiliter affirmare licet (5).

Haec autem antiqua populi judicia, apud Saxonas aliasque Germaniae gentes usitata, in certam quandam formam modumque redegisse videtur Alfridus Magnus. Anglia scilicet in Provincias seu Comitatus divisa, hisque deinde dispositis in Centurias (*Hundreds*), seu regiones centum familias continentes, atque ex decem decuriis (*Tythings*, *Decennaries*), sive decem familiis vicinis constantes, induxit, ut de levioribus litibus in quavis decuria decem patres familias cognoscerent, cum Praeside, *Borsholder* dicto; de gravioribus autem caussis, deque controversiis inter cives, diversis decuriis, sed eidem centuriae adscriptos, judicarent curiae centuriarum. In hisce vero, quae identidem post elapsum quartum mensem conveniebant, duodecim Franco-Feo-

fa-

(1) *Hume*, History of England, T. I. c. 1.
(2) Discourse on the Laws and Government of England, Cap. 28.
(3) De Mor. Germ. C. 11. (4) Cap. 12 et 26, eod.
(5) Cf. *Meyer*, op. cit. III, 11. T. II. p. 153.

fati (1), e centum patribus familiarum lecti, jurejurando praestito, se aequam justitiam distributuros, cum *Hundreder*, sive centuriae praefecto, judices sedebant. Bis quotannis omnes Franco-Feofati totius Comitatus convocati, sub auspiciis Episcopi et Magistratus, qui Anglice *Alderman* vocatur, Curiam comitatus constituebant et cognoscebant de litibus, inter diversarum centuriarum personas ortis (2).

Ea autem ab Alfrido inducta, judiciis juratorum hodiernis jam satis affinis, judiciorum forma, ab Ethelredo rege, qui sub finem saeculi X et initium XI regnavit, magis adhuc confirmata fuisse videtur (3).

Haec autem judiciorum forma, plenae Saxonum libertati communique omnium juri civitatis consentanea, cum juris feudalis principiis, aliam rationem secutis, in concordiam redigi vix poterat. Cum itaque a Normannis, juris feudalis vinculo adstrictis, saeculo XI subacta esset Anglia, duplex ibi judiciorum forma exstitit.

Gulielmus scilicet, sive morem antiquum eo tempore communem secutus, sive, quo veteres Angliae incolas sibi devinciret, iis, quatenus quidem liberi manserant, pristinam decuriarum centuriarumque confirmavit institutionem (4), dum contra Normanni, cum inter se, tum erga veteres incolas, quos vinculo feudali tenebant adstrictos, feudalem suum morem servabant, quo scilicet vasalli ejusdem domini, in hujus Curia, ipsique iterum illi feudorum domini, in Curia regia de se invicem judices sedebant (5). Sic igitur in Anglia parium invaluere judicia, juris feudalis rationibus propria.

Cum tandem, post satis longam Angliae quietam possessionem, victores Normanni cum

(1) *Francofeofates*, quorum ante Guilielmum Conquestorem in historia Angliae mentio fit, suos agros non possedisse legibus atque conditionibus jure feudali receptis, docet *Hume* op. l. T. I. in App. 1. T. II. App. 2. Cf. Encyclopédie, in voce *Fief*. Contrarium tradit *Meyer*, op. c. III, 1. T. II. p. 1 — 23.

(2) A curia ad centuriam, ab hac ad Comitatum, indeque ad regem appellari potuisse, docet *Hume*, T. I. C. II. et App. 1. Contra negat *Meyer*, op. c. III, 16. Tom. II. p. 155. et L. II, 19. T. I. p. 452.

(3) Verba legis ab Ethelredo rege promulgatae et in Analectis *Seldeni* L. II. c. 6. occurrentis, haec sunt: „In singulis Centuriis comitia sunto, atque liberae conditionis viri duodeni, aetate superiores, una cum „praeposito sacra tenentes, juranto, se adeo virum aliquem innocentem haud damnaturos sontemve absoluturos." Hanc legem Baco ab Ethelredo, principe Merciae, unius ex septem regnis Heptarchiae Saxonicae, latam contendit. Baconis sententiam gravat, quod ante Alfridum nulla Heptarchiae, neque etiam Angliae totius divisio memoratur. Pettingal legem ab *Ethoredo*, Alfridi fratre, latam existimat. Sed differentia nominis obstat, praetereaque breve ac turbatum fuit Etheredi regnum. Itaque potius illius videtur Ethelredi, qui a postrema parte saeculi X usque ad annum MXVII imperium tenuit.

(4) Art. 64 legum Guilielmi, quem citat *Meyer*, op. l. L. III, 5. Tom. II. p. 71. Haec pristina populi judicia erant, quae dicuntur: *judicia*, seu *lex terrae*, *trial by the country*, *trial by pais*.

(5) Cf. *Meyer*, op. cit. III, 9. T. II. p. 128. Haec vero nomine dicebantur *judicia parium*, *trial by peers*. Cf. *Meyer*, eod. p. 170. not. 1.

cum veterum Britannorum, Danorum, Saxonum, Pictorum Scotorumque reliquiis, quin et cum Walliae et Cornwalliae incolis unam in gentem coaluissent, ac systema feudale magis magisque praevalesceret; antiquum centuriarum institutum maxime coepit coarctari (1). Interim tamen pristinum Saxonum institutum ab omnibus vehementer desiderabatur: ac fuerat sane antea cum Anglis gratum, quippe quod esset patrium, et vero Normannis acceptum, quippe quibus, numero longe inferioribus, magnum securitatis spondebat praesidum, cum scilicet mutuam hominum, eidem decuriae centuriaeve adscriptorum, pro sese invicem contineret cautionem. Sive igitur hisce de caussis, sive quod praecipuorum nobilium, frangere potestatem, eorumque vasallos ad se allicere conarentur reges; in domaniis quidem suis antiquam rationem videntur instaurasse (2). In egregium quippe Angliae commodum, reges Normanni domania sua diligenter conservare studuerant, nec nisi minores ejus partes in feuda concesserant, quorum domini, quamvis immediati essent regis vasalli, non satis tamen erant potentes, qui regibus possent resistere. Atque ita quidem liberis hominibus apud Saxonas propria judiciorum forma ad immediatos regum vasallos fuit accommodata (3). Cum autem identidem subinde regum extenderentur domania, magnaque feuda cum iis magis magisque conjungerentur, pariter antiquum illud Saxonum institutum latius in dies serpsit; cumque tandem feudalia instituta paullatim obscurari, eorumque in legibus fere solis vestigia superesse coepissent, pristina iterum instituta praevaluerunt locumque suum recuperarunt (4).

Quidquid sit, utraque judicia, cum feudalia illa parium, seu ejusdem domini vasallorum, tum vero antiqua populi judicia, apud Anglos fuisse usitata, cum anno 1215 Magna Charta iis a rege Joanne, cognomine *sine Terra*, concederetur, ex hujus Capite XXIX apparet, ubi haecce occurrunt: „ Nullus liber homo capiatur, vel imprisonetur, aut dississietur de libero tenemento suo, vel libertatibus, vel liberis consuetudinibus suis, aut utlagetur, aut exuletur, aut aliquo modo destruatur: nec super eum ibimus, nec super eum mittemus, nisi per legale judicium parium suorum, vel per legem terrae (5)."

Ex

(1) *Meyer*, cod. L. III. c. 1. T. II. p. 18. (2) *Meyer*, cod. III. c. 1. T. II. p. 19.

(3) Idem, cod. III, 5. T. II. p. 71. (4) Cf. *Meyer*, III, 5. T. II. p. 74.

(5) Verba scilicet: *judicium parium suorum*, denotant judicia feudalia, in Curia domini habenda; *lex terrae* est pristinum decuriarum centuriarumque judicium. vid. *Meyer*, III, 11. T. II. p. 170. not. 1. ubi inquit: „ La grande charte mentionne deux modes de procédure, *judicium parium suorum*, et *lex terrae*; aucun des deux ne convient au Jury, et c'est ce qui vient à l'appui de nos raisonnemens dans ce Chapitre et le précédent. La *lex terrae* est l'ancienne procédure Saxonne devant les plaids ou hommes libres, adaptée aux vassaux du domaine; le *judicium parium*, la procédure par Pairs dans la cour seigneuriale."

Ex hisce autem populi judiciis, feudali judiciorum formae praevalescentibus, juratorum judicia, qualia in hodiernum usque diem in Anglia usitata sunt, derivanda existimem (1); eamque judicii jurati originem, cum maxima inter utrumque formae, indolis totiusque rationis convenientia, tum vero gravissimorum scriptorum confirmat auctoritas.

Nec

(1) Nuper vir Amplissimus *Meyer*, in egregio opere saepius allato, Anglica juratorum judicia a juratis illis, in novo Hierosolymorum regno, a Cruce Signatis condito, judicantibus, quos in expeditionibus suis in Palaestinam Angli cognovissent et ad quorum exemplum magnam *assisam* (institutum ab Henrico II inductum, ad compescendam certaminum judiciariorum temeritatem) reges informassent. Verum si absque temeritatis suspicione possit dici, imperitoque adolescenti ab eruditissimo viro modeste dissentire liceat; rationes ab ipso allatae rem nondum plane conficere videntur. Primum enim juratos Anglicos inter et Hierosolymitanos vix alia intercedere videtur quam sola nominis convenientia, cum hi veri nominis magistratus seu judices fuerint perpetui. Deinde mirum videri possit, cur Angli novo et peregrino instituto, licet cum recenti Henrici II invento conjuncto, antiquum patriorum judiciorum, ab eo plane diversorum, nomen (*trial by the country*, *by peers*, etc.) tribuerint. Tum difficile dictu est, si Hierosolymis a Cruce Signatis advectum sit juratorum institutum, qua tandem ratione factum sit, ut non in aliis quoque Europae regionibus, quarum incolae frequentiores etiam quam Angli in Palaestinam fecerunt expeditiones, jurati deprehendantur, sed apud solos Frisios occurrant, populum moribus cum antiquis Anglo-saxonibus conjunctum. Denique vero gravissimorum inter Anglos scriptorum huic sententiae refragatur auctoritas.

Praeterea pleraque *Meyeri* argumenta, quibus probat jurata judicia non ab antiquis populi judiciis esse orta, refelli posse videntur, nec minus contra Hierosolymitanos illos juratos, quam contra vetera Saxonum valere judicia.

Ac primum quidem quod dicit, proprium illum antiquorum populi judiciorum characterem, quo scilicet ab ipsa judicantium auctoritate vim obligandi accipiunt sententiae, judiciis juratis deesse, quippe quorum sententiae a judicis delegati demum potestate vim illam mutuentur; id non aliunde, quam ex separatis facti et juris quaestionibus videtur repetendum.

Deinde, quod ad provocationes attinet, a populi judiciis penitus alienas, solique feudali subordinationi accommodatas, cum responderi possit, totam illam quaestionem admodum esse lubricam, cf. *Meyer*, L. II. C. 19. T. I. p. 452., necdum satis extra dubium collocatam, ut adeo *Humius* a decuriis ad centurias, hinc ad comitatus, tandemque ad regem appellari potuisse contendat. op. c. T. I, C. 2. et App. I. tum contendi possit jurata judicia id a feudali ratione esse mutuata, cum primum antiqua populi judicia immediatis domanii regii vasallis adaptarentur. At potius ego dixerim, varia illa, quae ad infirmandas juratorum sententias habentur remedia, a vera genuinaque appellatione esse longe diversa, magis recentiori Francorum cassationi affinia, atque ad supplendum quodammodo appellationis defectum videri inventa.

Tertium quod dicit *Meyerus*, si a populi judiciis esset orta controversiarum coram juratis tractatio, eam alias quasvis caussarum dijudicandarum rationes excludere debuisse, perinde contra propriam ipsius valet opinionem. Si enim a Magna Henrici II Assisa esset derivanda, vix, nisi in paucissimis quibusdam quaestionibus publice notis, posset admitti, v. c. in controversiis „de servitio, de terra et desuper de demandis „servitii et de jure advocationis alicujus ecclesiae," uti dicit *Glanvilla*, L. II. cap. 13. citatus a *Meyero*, L. III, 11. T. II. p 180. At vero quis, in tantis antiquitatum tenebris, accuratos hujus instituti fines, pro variis forte temporibus diversos, delineaverit.

Nec leve huic sententiae momentum inde videtur accedere, quod eadem appellatio (*trial by the country*, *trial by peers* etc.) quae antiquis populi judiciis, ad feudalem quodammodo rationem compositis, erat propria, judiciis quoque juratis tribuatur, ac denique in veteribus quoque legibus Frisiorum, quorum maxima cum Anglosaxonibus morum, legum, institutorum notissima est similitudo, veri quoque nominis deprehendantur jurati (1) a compurgatoribus illis, qui in nonnullarum gentium legibus juratorum nomine significantur, penitus diversi.

Tempus tamen, quo primum invaluerunt, certo definiri non posse videtur, quamvis id in illud temporis spatium, quod inter Henricum II et Henricum III intercedit, incidere, non improbabili conjectura colligatur, cum in opere, cui titulus: *Glanvilla, de legibus et consuetudinibus regni Angliae tempore Henrici II*, judicii jurati neque nomen, neque ipsa veritas deprehendatur (2); in Bractonis vero libro, qui saeculo circiter post, sub finem Henrici III, videtur conscriptus (3), prima ejus accurata occurrat mentio (4).

Ne quis tamen existimet, ea uno velut ictu fuisse inducta judicia: cum contra lentius demum serpsisse ac diutius jam usitata fuisse videantur, priusquam pleniorem stabilemque formam illam acceperint, quam nostris servant temporibus (5); ut adeo dici possit, non nisi inde ab Eduardi III lege, anno 1355 promulgata, veram plenamque eorum duci originem.

Cum autem, imprimis sub regibus gentis Tudor, multum fuissent coarctata, per jurisdictionem, quam sibi arrogabant Curiae, dictae: *the Star Chamber*, *the Court of High Commission*, *the Martial Court*, duabus prioribus abolitis, posteriorisque cognitione ad delicta militum restricta, dignitas eorum fuit vindicata (6). Plenissimam ve-

Quartum quod arguit, ita omnes omnino liberos ad juratorum munus fuisse admittendos, cum jam ab iis requiratur, ut certum quoddam praedium, feudi a rege concessi nomine, possideant, id eam, quam sequimur opinionem, potius confirmat, cum, uti supra vidimus, antiqua centuriarum decuriarumque institutio ad immediatos primum regii domanii vasallos fuerit accommodata.

Idemque de quinta ejus difficultate existimemus. Optimates quippe ea de caussa nec tanquam juratos judicare, nec ipsos a juratis judicari existimem, quod ad domanium illud regium non ita pertineant.

Sed haecce quidem ea, qua par est, eruditissimi viri reverentia, ab imperito adolescente dicta peritiorumque arbitrio modeste subjecta velimus.

(1) Quod probat *van Halsema*, over den staat en regeeringsvorm der Ommelanden, in Actis Societatis Groninganae: Pro Excolendo Jure Patrio, T. II. P. II. C. 4. §. 23. p. 376 sqq.

(2) Vid. *Meyer*, op. c. III, 11. T. II. p. 169. (3) Idem, eod. p. 171. (4) Idem, eod.

(5) Sic v. c. anno 1305, regnante Eduardo I, judicium memoratur, quo Eques Janus Cromwelius capitis fuit damnatus, cuique nulli interfuerunt jurati, *Meyer*, eod. 172.

(6) *Hume*, op. c. T. V. App. 3.

vero libertatem Carolo demum II regnante acceperunt; ad hoc enim tempus usque, in carcerem mitti aut pecunia multari a judice delegato potuerunt jurati.

Attamen hic minime est praetermittendum, juratorum judicia in Anglia non ita penitus integra valere et illibata, sed eorum usum multis in caussis, iisque in diem crescentibus, penitus esse sublatum. Cum enim plures quotannis et acerbiores leges fiscales ferendi necessitate premantur Angli, earumque strictam adeo exsequutionem, qua penitus in tuto collocetur accurata tributorum exactio, a judiciis juratorum exspectari non posse sentiant; Senatus quotannis controversias, de tributorum vectigaliumque perceptione ortas, eorum jurisdictione solet eximere, quod quantum toti instituto periculum minetur ac detrimentum, quis est qui non videat (1)?

His quidem fatis usa juratorum judicia, solis Anglis eorumque coloniis (2) propria privaque manserunt, usque ad rerum in Francia conversionem. Vix enim opiniones de summa populi majestate, de libertate civium et aequalitate praevaluerant, cum praecipui factionis duces, Anglicorum imprimis morum, legum et institutorum sectantes imitationem (3), mox eam quoque judiciorum criminalium formam poposcerunt, quippe quam solam populo libero decoram, liberaliorisque judiciorum criminalium constitutionis principium existimabant ac fundamentum.

Itaque supremus eorum senatus, pristino judiciorum ordine everso, anno 1791 judicia juratorum instituit, iisque cognitionem de facti quaestionibus in controversiis criminalibus detulit (4).

Francorum autem illa judicia jurata, quamvis ad Anglorum exemplum essent composita eique, certe quod ad ipsam rei substantiam attinet, similia, ad diversam tamen gentis conditionem erant accommodata, inque secundariis multis definitionibus ab Anglorum judiciis diversa. Sed singula quaevis utriusque instituti recensere discrimina, variasque mutationes, quas in ipsa Francia subierunt ea judicia, cum a quaestionis mente, tum et ab hujus opelli ratione videtur alienum.

Hoc unum monuisse sufficiat, pristinam judicii jurati formam, paucissimis quibusdam mutatis, novo legum criminalium codice, anno Reipublicae IV (1796) lato, esse con-

(1) Cf. libellus, cui titulus: Peace and Reform against war and corruption, allegatus a *Feuerbachio*, op. c. p. 63. n. 2.

(2) Quod cum in vulgus notum est, tum ex diversis Reipublicae Americanae Septentrionalis legibus apparet fundamentalibus.

(3) Cf. *Feuerbach*, Erklärung über seine angeblich geänderte Ueberzeugung, in Ansehung der Geschwornen-Gerichte, p. 33.

(4) Loi du 16 Septembre 1791.

confirmatam (1), deinde vero esse denuo ordinatam, ad novam imperii rationem relatam ac recentissimis de ordine judiciorum criminalium legibus comprobatam (2), ita tamen ut laeta simul florerent rerum fiscalium tribunalia (*Cours Prévôtales*) et cognitiones illae militares (*Commissions militaires*).

In veteri autem Francia primum recepta juratorum judicia mox latius inde prolata sunt in alias regiones, quas in Provinciae formam Franci redegerant. Hinc igitur et in nostram migrarunt patriam (3); uti enim caeteras quasque leges suas caeteraque instituta, ita juratorum quoque judicia novis cum popularibus suis communicabant.

Sed et ultra imperii fines ad nova illa regna, quae florentibus rebus Franci condebant, idem extendi coepit institutum (4) ac latius sine dubio manasset, nisi inopina Francorum clades supervenisset.

Sic igitur in Patria nostra, cum per tres circiter annos viguisset, mox, pulsis iterum Francis, fuit abolitum (5), quod idem in aliis factum est Europae regionibus (6).

In Rhenanis vero Borussorum provinciis cum vehementer desideraretur abolita judicii jurati forma, ea deinde, praevio rei examine instituto, a rege fuit confirmata et, quibus in regionibus jam erat abolita, denuo simul instaurata (7).

Sed investigata judicii jurati origine, ejusque progressu illustrato et ad praesens usque tempus deducto, jam satis de ejus historia videtur esse disputatum. Ad argumenta igitur transeamus, quibus vel impugnata vel defensa fuit ea judicii forma; ac quaestionis propositae ordinem secuti, ab impugnatione sumamus initium.

(1) Code des Délits et des Peines du 3 Brumaire, an IV.

(2) Code d'Instr. Crim. qui vim legis habuit inde a Kalendis Jan. 1811; Cf. Décret Impérial du 17 Dec. 1809, et du 13 Mars 1810.

(3) Décret du 11 Oct. 1810.

(4) V. c. in Westphaliam; non tamen in novum Italiae Regnum. Vid. Il Codice di procedura penale pel regno d'Italia, Art. 300.

(5) Besluit van 11 Dec. 1813.

(6) V. c. in Germanicis Italicisque imperii quondam Francici provinciis.

(7) Cf. Briefwisseling van eenige Regtsgeleerden (Mr. *H. W. Tydeman*, Mr. *J. D. Meyer*, enz.) over de aanstaande Nederlandsche Wetgeving, zesde stukje, of vijfde vervolg, p. 529 sqq. Nuper tamen ab Ordinibus Regni Bavarici agitata est quaestio de instituendis judiciis juratis, idemque apud Badenses fieri coepit.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTORUM, QUIBUS JUDICIA JURATA IMPUGNANTUR, EXPOSITIO.

In aestimandis judiciorum juratorum incommodis, exponendisque iis, quibus impugnantur, argumentis, duo imprimis separanda videntur esse loca, quorum altero nimirum continetur politica, altero juridicialis eorum consideratio. Priori quidem loco ea tamquam politiae (1), seu publicae regiminis formae partem intuemur, eaque ad prudentiae civilis praecepta referimus; posteriori vero tanquam legum poenalium instrumentum nobis ea proponimus, et ad sola puniendi consilia revocamus.

Ab illo quidem loco initium sumamus, ad huncce deinde transituri. Totum itaque judicii jurati institutum, uti ex capitis primi disquisitione intelligitur, populari seu democratico quodam principio nititur, eoque valet omne, ut a potestatis exsequentis aggressionibus immunis servetur politica civium libertas. Sed, re propius considerata, totum hoc libertatis tuendae praesidium, quod quidem in judiciis juratis sit repositum, pro varia Reipublicae conditione, vel plane supervacuum est et ad propositum assequendum inefficax, vel et ipsi imperii formae maximopere contrarium.

In popularibus quidem civitatibus, cum Rebuspublicis proprie dictis, tum et monarchiis mixtis, lege fundamentali circumscriptis, ubi legum jubendarum potestas principem inter ac populum est communicata, quamvis imprimis eorum efferatur utilitas, si tamen ex ipsa rei veritate judicare velimus, exiguam aut nullam potius merentur commendationem, a politico certe usu eorum desumtam, cum ad tuendam civitatis libertatem parum sint accommodata. Id autem, cum ex ipsa rei natura facile intelligitur, tum vero omnis aevi historia omniumque gentium, quae judiciis juratis usae fuerunt, exemplo confirmatur.

Quodsi nimirum verae libertati sit matura civitas vividoque ejus studio cives sint imbuti, eaque non mutis legum codicibus descripta, sed intimis omnium animis sit in-

(1) *Politiae* vocabulum hic scilicet vero illo sensu accipimus, quo a Cicerone usurpatur.

insculpta; nec humana vi ulla potest labefactari, nec, ad perpetuam sui confirmationem, inani judiciorum juratorum ostentatione indiget. Contra vero nullum huic instituto contra tyrannidem inest praesidium, ubi labefactata vis imperii, ubi totius populi mores corrupti non amplius liberos esse sinunt eos, qui omne libertatis studium amiserunt. Quid quaeso spei superest, quidve jurati proderunt, ubi, vel rex, vel privati quidam factionum duces, captato servilis cujusdam plebis aut militum favore, ad illud potentiae pervenere fastigium, ut, prostratis penitus legibus, earum impune violare possint reverentiam? Corruptis civium moribus, quis quaeso juratorum fidem sperabit incorruptam (1)? Verum quamvis et incorruptam eam sperare liceat, laxius tamen est vinculum nimisque longe petitum, quod judiciorum formae cum publica intercedit civium libertate, quam ut in eam vim ullam habeat. Quid enim ad principem aut civem attinet tyrannidem affectantes, qua tandem ratione de furtis et rapinis, de falso, de veneficio, de incestu aut adulteriis quaeratur, utrumque integra sint de ejusmodi criminibus an corrupta judicia. Majestatem quidem, perduellionem ac paucissima quaedam alia hujusmodi maleficia si exceperis, vix est quod, in toto rerum criminalium campo, locum ullum reperias, in quo ad compescendam tyrannidis libidinem quidquam valere judiciorum possit integritas.

At vero in his ipsis controversiis non alia est, quae uberiorem praebeat facilioremque praevaricandi occasionem, quam eadem illa juratorum judicia, ad tuendam scilicet civium libertatem comparata. Primum enim, cum vix nisi a magistratu publico confici possit juratorum series, hic autem a nutu plerumque tyrannorum pendeat; quid quaeso impediat tyrannum, quominus eos, qui facile sibi morem gerant ad judicia obeunda curet seligendos, maxime cum et ipsi tyranni nunquam satellitibus careant, et magistratus ille, qui juratorum seriem conficit, propter muneris splendorem, multos plerumque sibi obnoxios habeat, ac, in dissidiis tandem civilibus, modo ex alterius factionis hominibus juratorum seriem totam conflaveris, condemnationem vix effugere possit, qui contrarias partes secutus sit (2). Ita quidem legitimum juratorum numerum, quin et totam eorum seriem frustra recusaveris, omnes pariter habiturus infensos.

Sed licet ab initio sine ullo partium studio conscriptae sint juratorum decuriae, maxi-

(1) Cf. *van Nes*, d. diss. p. 98.

(2) Notissima sunt illa, quae in altera Supremi Senatus Francici Curia, a libertatis defensoribus, seu Liberalibus, qui dicuntur, prolata fuere, de diris illis latronibus, qui, duce impio quodam nebulone Trestaillons, Nemausi anno 1815 in Reformatos saevierunt, et judiciis absoluti sunt.

maximum semper manet periculum, ne a tyrannorum satellitibus deinceps corrumpantur. Eaque in juratis multo major est corruptelae suspicio, quam in ordinario judicum collegio. Qui enim perpetuo judicandi munere est ornatus, is in continua civium suorum celebritate versatur et conspectu; in eum omnium oculi sunt conversi. Bonae autem existimationi consulendi necessitas, quae maxima sane est in judice, plurimum valet ad sollicitationem et corruptelam ab eo penitus arcendam. Sed et praeterea, si qui forte judices ad corruptelam essent faciliores, ipsa tamen rei conditio obstaret, quominus ei cedere possent, nisi forte paucissimis quibusdam in caussis. Uti enim rarissimum unum alterumve praevaricationis exemplum, inter quam plurima fidei et probitatis documenta editum, judicis famam vix leviter sugillaret, ita injustarum sententiarum frequentia eam penitus labefactaret. Quo saepius itaque judex sese corrumpi siverit, eo difficilius corrumpetur, ut adeo in ipsa judicum nequitia gravissimum justitiae pignus sit repositum, ipsumque corruptelae principium judicum perpetuitate coarctetur.

At vero diversa plane est juratorum ratio, qui, ad omnes praevaricatorum machinationes nudi propositi, non nisi in sola animi honestate et robore ullum habent justitiae praesidium. Quanta enim quamque manifesta sit hujus illiusve sententiae a juratis latae perversitas, singuli cujusque jurati famae ne minimam quidem partem detrahit. Qui hodie sunt judices, cras inter privatos redeunt; quodque est a judice commissum, in privati existimationem nullum habet momentum. Singulisque sessionibus novi cum prodeant jurati, eandem quoque singulis malorum conatibus praebent opportunitatem, nec quidquam sententiae prioris iniquitas ad posterioris valet aequitatem (1).

Praeterea vero, quod ad decantatam illam judicum perpetuorum corruptelam attinet, equidem non video, quare eam magis a judice metuamus in splendido munere et re lauta posito, bonisque literis exculto, quam a privatis rudi et inculta de plebe ad unum actum lectis, saepiusque inter rei familiaris angustias versantibus. Quodsi vero non nisi divites probeque doctos cives in juratorum numerum referri cupias, in ipsum hujusce judicii principium ac fundamentum impingis.

Sed absit et a juratis corruptelae suspicio, absit omnis animi destinata malitia, attamen non est, quod majus ullum ab iis exspectemus contra tyrannidem praesidium, quam a perpetuo judicum collegio. Si enim ea genuina rei veritate potius quam specie quadam externa velimus aestimare, in ipsis juratorum judiciis non a juratis adeo, sed

(1) Cf. Moyens de perfectionner le Jury, par *N. T. Canard*, ouvrage couronné par l'Institut National, Moulins 1802. p. 83 sqq.

sed ab iisdem illis perpetuis judicibus revera pendet caussarum decisio, nec a totius collegii suffragiis, sed ab unius cujusdam nutu hominis, eo plerumque ad praevaricandum facilioris, quod alieno sese periculo peccare noverit.

Quae scilicet a praeside seu judice delegato, post absolutam caussae cognitionem, habetur oratio, eam fere vim habeat necesse est, ut jurati vix in aliam possint abire sententiam, nisi quam praeses antea comprobaverit. Cum enim ita natura comparati simus homines, ut, quod ipsi sentiamus, id aliis plerumque disertius, majorique cum persuasionis efficacia exponamus, ita fieri vix poterit, quin judex ille delegatus, indoctis statum quaestionis et juris doctrinam exponens, argumenta ab una parte allata magis urgeat clariorique in luce collocet, ea vero, quibus pars altera nititur, quodammodo extenuet atque ita juratos in eam, quam ipse veriorem putet, sententiam pertrahat.

Quodsi vero corruptus ipse a justitiae via deflexerit, omnes facile juratos fraudibus suis implicuerit. Cum enim paucae sane caussae adeo sint desperatae, ut non argumenta quaedam, veri certe speciem prae se ferentia, recipiant, vix dubito, quin judex corruptus legum sententiam insidiose detorquendo, levis momenti res tanquam peremtorias urgendo, vel gravissimae probationis vim callide infirmando, aut alia quacumque fraude juratos circumvenire inque malam possit inducere sententiam (1).

Si vero nullam a praeside orationem habendam esse jubeas, vel et ipse sponte sua talem habeat, qua suam de maleficio sententiam non aperiat, quid quaeso monstri a juratis exspectabimus? Cum enim peritissimi quoque judices, speciose ab utraque parte agitata controversia, dubii quandoque haereant, quid ab iis erit sperandum, qui, cum totum vitae tempus artibus ac disciplinis, a jurisprudentia prorsus alienis, impenderint, vel otio forte consumserint, ad gravissimum judicandi munus nihil afferant, praeter solum rectae rationis adjumentum ingeniumque forte perspicax quidem illud, sed ad alia eaque plane diversa compositum.

Denique vero judiciis juratis maximum publicae libertatis periculum imminet a nimia juratorum festinatione, qua facile possit incautis repente per obreptionem elici atrocissima quaeque sententia. Festinatio autem illa cum judiciis juratis ipsa rei necessitate est conjuncta.

Cum enim hominibus, oleum et operam ad vitam sibi comparandam adhibentibus, perquam foret molestum, si longiori temporis spatio a negotiis suis avocarentur, ea rei judiciariae pars, quae privatis defertur, ita necessario est ordinanda, ut eam, absque

(1) Vid. *van Nes*, l. c. p. 60.

que multi temporis dispendio, reique familiaris injuria possint curare. Eandem praeterea festinationem suadet, quod a juratorum patronis tantopere jactari solet, corruptelae periculum. Sed ut verum fateamur, dum ita juratis idoneum deliberandi tempus negarunt, medicinam malo pejorem attulerunt. Medii quippe aevi temporibus, quibus ea judicandi forma invaluit, festinatio illa parum habebat incommodi, cum barbaris judicibus nec tempus erat nec animus caussis cognoscendis diutius vacandi, ac praeterea lites pleraeque faciles erant dijudicatu, eorumque captui accommodatae ac, si qua forte caussa magis ardua incidisset, ea certamine singulari aliove Dei, quod dicebatur, judicio decidebatur. Nostra vero aetate, qua de fraudibus et insidiis occultisque criminibus frequentius quam olim est judicandum, equidem absurdum existimo, judicem cogi, qui difficillimam maximique momenti controversiam ita festinanter, ac velut in transitu, decidat. Etenim primo omnium ita oportet ordinari judicia, ut nihil impediat, quominus lites juste dirimantur, posterioris vero curae est, ut quantum fieri possit brevissimo temporis spatio ad exitum perducantur. Quodsi autem in omni judicio, imprimis criminali (1), improbanda est festinatio, in iis certe omnium maxime est periculosa, in quibus nulla potest admitti ad alium judicem superiorem provocatio. Haec autem a juratorum judicio adeo est aliena, ut primum ejus principium evertat, quo verum habetur, non quod legitime sit probatum, sed quod intima juratorum animi suadeat conscientia. Ne quis vero dicat, in subito illo hominum, indole, moribus, conditione et cultura plane diversorum, consensu, gravissimam quandam veritatis notam esse repositam. Haud leve scilicet constantis illius concordiae momentum est, quod, donec sententiam jurati pronuntiaverunt, cibus, potus, ignis et lumen iis denegentur. Si vero strictam hujus legis remittas observantiam, altercationibus, quibus inter parietes tempus terunt, defatigati, tandem ad concordem opinionem accedere coguntur. Haec sane consentientis illius judicii momenta sunt efficacissima, sed anne pariter sint utilia, ea de re quidem vehementer posset dubitari. Hoc scilicet modo, non, qui aliis de sententiae suae praestantia justis persuadeat rationibus, victoriae palmam auferat, verum, qui inediae, sitis, frigoris prae caeteris sit patientior, minusque sui taedium experiatur (2).

Verum ex accuratiori hacce rei consideratione jam satis, ni fallor, intelligitur, quam vanum sit illud et inane libertatis praesidium, quod liberis civitatibus in judiciis juratis vulgo repositum esse dicitur.

Hi-

(1) Nulla satis de vita hominis cunctatio longa est.
(2) Vid. *van Nes*, d. diss. p. 111.

Historiam quoque, cum recentiorem, tum antiquam consulentibus, mox in oculos incurrit, non esse, quod caussam libertatis tam arcto vinculo cum juratorum judiciis dicamus conjunctam, ut, hisce manentibus, illa quoque immota maneat.

Quod enim ad Angliam attinet, quam merito juratorum patriam vocaveris, nullum exstat exemplum juratorum, qui, quod a perpetuis aliarum regionum judicibus, quin et ab ipsis Parlamentis Franciae, servitute quamvis oppressae, saepius factum est, tyrannidi fortiter resistere ausi sunt, ac pessima quaevis perpeti, quam tyrannorum vindictae servire maluerunt (1). Contra ex Humio (2) apparet, Eduardo IV, Henrico VII et VIII, Maria, Elisabetha, Carolo II et Jacobo II regnantibus, juratos de majestatis perduellionis similiumque criminum accusationibus, sive imperantis metu, sive partium studio corruptissime plerumque judicasse et ad nutum principis sententias composuisse. Quae quidem tanta fuit labes, ut exempla non desint condemnationum, non tantum justae probationis, sed vel suspicionis ipsius auctoritate plane destitutarum.

Et vero Francia, libera quidem illa quae dicebatur, cum exuberantibus sanguinis inundaretur rivis, cum a furibundis latronibus, in civium suorum promiscua caede bacchantibus, intimis laceraretur visceribus, cumque ferreo deinde jaceret Napoleonteae dominationis contrita jugo, nonne eximio illo fruebatur libertatis praesidio.

Quanto laetioribus licet Patriae nostrae gratulari fatis, ubi avita illa majorum libertas, sine ullo tali auxilio orta, confirmata serisque tradita fuit nepotibus, ubi tanta semper integritatis et doctrinae laude floruerunt judices, ut a remotissimis quoque gentibus tutissimum unum haberentur perfugium (3).

Tandem vero quid Romanis contra Syllam aut Marium, contra Caesarem aut Antonium profuere pedaneorum judicia? Anne Rempublicam ab Augusto vindicarunt, aut occupatam postea instaurarunt? Ne minima quidem parte infernam planeque stygiam illam Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis aut Domitiani, Caesarum, tyrannidem mitigare valuerunt.

Verum ut paucis tandem orationem contrahamus, ex supra dictis abunde jam elucet, supervacaneum plane et ad propositum assequendum inefficax esse, quod liberis civitatibus, cum Rebuspublicis proprie dictis, tum mixtis Monarchiis, in judiciis juratis repositum esse dicitur tuendae libertatis adjumentum.

Ne-

(1) Idem, p. 98.

(2) T. III, 22, 26, 28. T. IV, 31. quo loco memorata optimi viri Thomae More condemnatione, regnante Henrico VIII, a juratis facta, addit: Trials were mere formalities during this reign. T. IV, 32. T. V. in App. 3. T. VIII, 67 — 70.

(3) Solum adducemus Cartesii testimonium, in Epistolis suis ad Balsacum amicos in Bataviam invitantis, si vere liberi esse et quiete dormire velint, sub tutela legum nunquam dormientium. Cf. *Thomas*, Eloge de Descartes No. 15.

Neque vero majorem in civitatibus mere monarchicis aut aristocraticis utilitatem habent jurati.

Si enim, quod supra dictum est, totum juratorum institutum populari quodam seu democratico nititur principio, eoque valet, ut politica civium libertas ab omni potestatis exsequentis vi defendatur, ab ejusmodi sane civitatis indole est alienum, quae, cum omnem potestatem in unam quandam imperantis personam, a populo diversam, contulit, imperantem huncce unicum omnium populi jurium effecit depositarium.

Quin, quod majus est, dici potest, in monarchia aristocratiave indivisa, quamvis lege fundamentali usa, non tantum civitatis indoli non accommodatum, sed naturae ejus ac substantiae plane contrarium esse juratorum institutum. Cum enim politica civitatis libertas a summa ejus majestate non sit diversa, nullum haberi potest institutum, legi fundamentali consentaneum, qua politica illa civitatis libertas ab eo defendatur imperante, cujus ipsum jus in eo est positum, ut totam illibatamque solus in se contineat populi majestatem. Quod in alia civitatis forma ab imperantis aggressione tuendum sit juratis, id in hujusmodi civitate deficit, ejusque ab imperante tuitio nihil aliud esset, quam imperantis adversus ipsum imperantem absurda defensio.

Sed dixerit forte quispiam, praeter politicam illam populi libertatem personalis habetur libertas singulorum. Quamvis itaque juratorum institutum summam imperantis majestatem delibare videatur; nihilominus ad tuendam singulorum civium libertatem egregie videtur esse comparatum. Ita, scilicet, sed tamdiu demum, quamdiu solum manet unicumque potestatis puniendi instrumentum, quamdiu ad libertatem vitamque civium haec sola patet via; verum subsistantne juratorum judicia, necne, id ab eo pendet imperante, adversus quem tanquam praesidium comparata sunt, nec libertatem diutius ab eo defendunt, quam eam contra se defendi velit summus imperans, ut adeo libertatem tum demum defendant juratorum judicia, cum omnis ejus tuitio est supervacanea.

Sed fingamus juratorum judicia, aliudve quoddam civitatis institutum, ita lege fundamentali penitus in tuto collocatum, ut imperantis potestati jurive nulla ratione sit obnoxium; ita scilicet voluntati imperantis aliam quandam voluntatem, ab ea diversam, opponimus, quae consilia, non solum capere, sed etiam perficere valeat, supremaeque potestati superiorem, aut certe parem aliam adjungimus potestatem, illimitatamque monarchiam in aliam quandam mixtam at imperfectam imperii formam convertimus.

Sed et ipsum illud periculum, cui avertendo comparata sunt juratorum judicia, in firma jam et confirmata monarchia, aut plane cessat, aut certe longius est remotum. Ubi vero imperium nondum satis est stabilitum, aut summa potestas principem inter

 ac

ac populum est divisa, aut optimatium usurpationibus limitata, ibi innumerae dantur opportunitates, quae principem vel cogant, vel certe alliciant, qui vitam civium aut libertatem injuste aggrediatur. Mox illum sua conservandi, mox aliena obtinendi studium, in tyrannidem propellit. Modo metus, modo spes et ambitio eum incitat.

Romani, primum post occupatam Rempubl., a Tiberio inde ad Neronem usque, continuam tyrannorum seriem experti sunt. Utrum vero ideo experti sunt, quod monarchicam Respublica formam accepisset, anne vero, quod non satis manifeste expressa esset monarchia, nec satis firmiter stabilita? Fuerunt sane Romanorum illi principes pessimi tyranni, sed non quod essent monarchi, verum quod non satis, ut ita dicam, essent monarchi, eorumque potestas nec legibus aut jure publico, nec usu et consuetudine consecrata, inter affectatae dominationis justique imperii speciem dubia velut et incerta vacillaret. Quodsi vero Octavianus Caesar mutatam Reipubl. conditionem non ad suam unice retulisset ambitionem, verum ad firmam stabilemque monarchiae formam constituisset Rempubl.; multis fortasse, quos sempiternae posteritatis ignominiae commendavit historia, splendidum juxta Trajanum et M. Aurelium assignasset locum.

Pariter Guilielmus Conquestor justus erat ac sapiens in sua Normannia, dum in Anglia internecinum se juris omnis ac libertatis hostem praestaret. Sed erat nova ejus potestas velut aedificio similis, quod, mobili et incerto solo superimpositum, ferreis vinclis alligandum est fulcrisque stabiliendum, ne aut in terram desidat, aut procellarum vi dejiciatur.

Eodemque modo Ludovicus XI Francorum Tiberius exstitit, quod imperii majestatem ab audacibus nobilium usurpationibus asserendam, superque deletis aristocratiae ruinis, imperium haberet fundandum. Arbitraria judiciorum libidine, acerba quaestionum severitate, foedis suppliciis foediorique etiam captivitate elata nobilium arrogantia ad humilem obedientiae conditionem erat demittenda; brevi tyrannum agere debebat, quo rex evaderet.

Ubi vero confirmatum est riteque stabilitum imperium, ubi nihil amplius obtineri, multum vero potest amitti; ibi, una cum impotentis dominationis stimulis et illecebris, simul omne ejus periculum, omnis opportunitas deficit. Cum jam omnia princeps habeat, nihil quod sequatur, praeter solam sapientiae et aequitatis laudem, superest.

Praeterea quoque in ejusmodi civitate princeps sublimiori super caeteris omnibus loco collocatus est, quam ut ulla civem inter ac principem utilitatum pugna possit incidere, quae huncce ad judiciariam potestatem in civium perniciem convertendam alliciat; sed in multitudinem velut absconditus civis in ipsa humilitate sua et obscuritate certis-

tissimum sui habet praesidium. Sed et insuper in tali civitate vix est quod ullam utilitatem adferre possint juratorum judicia. Institutum quippe, quod totum in ipsis populi studiis ejusque cura et sollicitudine de rebus publicis fundatum est, omnemque vim ac totam quasi vitam inde mutuatur, in absoluta monarchia nihil est, nisi vana quaedam umbra, cui nulla subest naturae veritas. Haec autem sollicita populi cura, hoc ipsis animis inditum populi studium, unde vires haurit vitales juratorum institutum, quodque nulla legum sapientia, nullis artibus gignitur, aliave ulla re suppletur, in animo illo vere civili publicoque civium spiritu (1) est repositum, quo in communibus negotiis suam quisque caussam verti, suam utilitatem existimet, quaeque Rempublicam spectent, quasi ad semet ipsos pertinentia singuli cives considerent.

In monarchiis vero indivisis, licet lege fundamentali definitis, omnis imperii notio personâ principis obscuratur, omnisque vita publica arctioribus aulae finibus eorumque coetibus circumscribitur, qui tanquam principis administri gerunt Rempublicam. Singulorum vero cura et sollicitudo propriis utilitatibus cognatorumque commodis absolvitur. Quod superest publici spiritus, ad summum in principis gloria et splendore est positum, quae, cum totam illustrare videantur gentem, hinc in singulos quodammodo redundant.

Tali quidem civitatis formae ordinaria judicum collegia multo melius sunt accommodata. Si enim ejusmodi collegium judicibus constet perpetuis, idoneoque et honesto stipendio donatis, qui, non pro lubitu, sed ex judiciaria demum alterius collegii sententia munere possint abdicari, nec ex prioribus solum civium ordinibus, multis plerumque nominibus principi devinctis, sed ex doctioribus melioribusque omnium classium civibus lecti sint, nec cuiquam sententiarum suarum rationes reddere teneantur, quibusque ex solo legum praecepto, sine ullo partium studio, jus aequum omnibus dicendi incumbat obligatio; ejusmodi quidem collegium, non justae solum exsequutioni legum, sed et personali civis cujusque libertati multo firmius certiusque adfert praesidium, quam celebrata illa juratorum judicia. Tale quippe collegium, justitiae custos ac vindex inter cives constitutum, publicam omnium venerationem excitat, tandemque publica civium opinione, una cum Palladio ipsi commisso, sacra quadam majestate obtegitur. Ejusmodi judicum curia, quamvis omni caeterum vi plane destituta, tantum a publica opinione, tamque gravissimum pondus, accipit, ut ambitiosae dominationis libidini religiosam veluti sui reverentiam injiciat, impiisque ejus conatibus fortissime resistat. Officii ipsius sanctitas, publicaque totius civitatis fides arctissimam ita parit

in

(1) *Public spirit.* Satis, ut putem, Latine.

ac velut invidam palladii illius custodiam, ac in aequa, et ab omni personarum respectu abhorrenti, immota illibataque justitia, summam judicum gloriam collocat, summamque superbiam.

Verum haec de eximio illo libertatis praesidio, quod huicce judiciorum formae inesse dicitur, satis videntur esse dicta (1).

Aliud quoddam est privum ejus commodum, quod maximis solet efferri laudibus, et, uti ex primo hujusce disputationis capite jam intelligitur, ad plenam omnibusque numeris et partibus absolutam ejus perfectionem pertinet, in eo scilicet positum, ut ab iis quisque judicetur, qui ejus conditione sint aequales. Hoc autem aequalitatis principium si constanter velimus persequi, difficultatibus implicamur maximis, ne dicam inextricabilibus, et vero praeterea in summam incidimus injuriam; si vero negligamus, ab altera parte vehementissime peccamus, qui, quod alteri civium ordini tribuamus, id alteri beneficium negemus.

Quatenus scilicet juratorum institutum ad solum principem referimus, et tanquam ejus dominationi oppositum consideramus momentum, sola sane civis conditio omnem absolvit aequalitatem. Quodsi vero id juratorum judiciis velis praestari, quod sibi vult illa conditionis aequalitas, ut scilicet reus eum sortiatur judicem, qui proprias ipsius privasque rationes accuratissime perspectas habeat; arctioribus multo finibus circumscribitur conditionis aequalitas.

Ac primum quidem, si adest in civitate ordo nobilitatis, nobilis a solis judicandus est nobilibus, et contra haud nobilis ab aliis, nobilitatis ordini non adscriptis. Sed nec ibi erit subsistendum. Neque enim solum illud discrimen, a legibus profectum, moribus, opinionibus, commodis cives distinguit; sed et tota vitae ratio, munus, educatio fortunarumque modus, non minus arctis cancellis cives intercludit et a semet invicem sejungit. Civis enim urbanus non modo in diverso rerum orbe versatur ac rusticus, sed et diversa est utriusque educatio, diversae opiniones, ideae, jucunditates, indigentiae caeteraeque omnes utilitates. Quodsi veram itaque et absolutam requiras aequalitatem, nec rusticus de urbano, nec urbanus de rustico judex sedere poterit. Sed et porro vir doctus probeque eruditus anne rustico et inculto operario videri possit aequalis? Immensa hisce morum, indolis, omnis denique studii, sensus, cogitationis intercedit diversitas, innumeraque profecto, quae turpia ille existimet, huic laudabilia, vel certe media videantur; quae illum velut numine quodam afflare videantur, hunc frigidum dimittant et ab omni sensu remotum; ubi densissimis hic oberrat tene-

(1) De toto hocce argumento cf. *Feuerbach*, Betrachtungen etc. parte II. P. 64 sqq.

nebris, ille forsan in luce versetur meridiana. Si autem doctos inter et indoctos, cultosque et inexcultos ea est ratio, ut cultis ad incultorum locum descendere non per se penitus sit negatum, inculti vero in altiorem cultorum locum subito sese extollere nequeant; ita illis forte committi possit de hisce judicium, hisce vero de illis plane sit denegandum.

Sed ut mittamus religiosi cultus diversitatem variumque fortunarum modum, quae sane hac in re maximum habent momentum, firma, sibique ad finem usque constans, hujusce principii persecutio longe majora alia parit incommoda. Quod enim de sectis religiosis saepius fuit observatum, eo plerumque vehementius esse et magis internecinum earum odium, quo magis earum inter se affines videantur opiniones, eodem jure de variis ejusdem ordinis civilis classibus affirmaveris. Sic antiqui v. c. nobiles caeteras tantum civium classes despiciunt, at novos nobiles odio suo dignantur, quippe qui pares ipsis videri cupiant pristinamque iis novitatem in memoriam revocent. Hoc itaque modo et ordines, et ordinis cujusque classes, et classium classes diligentissime essent separandae, singulisque sua essent constituenda judicia, si, quod juratorum judicio subest aequalitatis principium, ita uti par est, vellemus persequi. At vero eadem illa aequalitas omnibus justitiae requisitis vehementissime repugnat. Ita scilicet ipsa illa in judice desideratur animi indifferentia, ab omni partium studio remota, planeque reum inter et accusatorem, laedentem ac laesum aequa, in qua una omnis justitiae substantia versatur ac veritas.

Insuper autem prudentia civilis a sapienti legislatore exigit, ut aggressionis ac defensionis vires prudenter exaequet, accusatoremque et reum paribus telis instruat. Habet quidem jura sua sanctissima humanitas, sed et sua sibi jura civitas vindicat. Jam vero, si reo judices non dentur, nisi qui ab omni parte ejus sint pares, ita controversiae decisio iis committitur hominibus, qui, propter eandem illam aequalitatem, in partes ejus inclinant, ejusque adversus civitatem patrocinium et defensionem suscipiunt. Quamdiu Romae penes solos Patres erant judicia, provincias impune diripiebant Optimates: postquam ab Equitibus vero subselliis erant detrusi, horum iterum expilationibus erant propositae (1). Pariter in Anglia Christianus, maleficii accusatus in Judaeum commissi, a Christianis juratis haud raro absolvitur, quamvis caeterum facinus sit apertum (2). Eodemque modo juratorum judicium, ex solis nobilibus compo-

(1) *Appianus*, l. supra c. et *Vellejus Pat.* II, 6, 13.

(2) *Feuerbach*, op. c. p. 92. qui universe de toto hoc loco de aequalitate videatur, Cap. 3.

positum, quod nobili judicet maleficium, in vile plebeji corpus admissum, ad absolvendum multo quam ad condemnandum erit proclivius. Ita enim omnes natura comparati sumus homines, ut ignominiam, ab ordinis nostri socio acceptam, in ipsius ordinis dedecus vergere ac tandem in nosmet ipsos quodammodo redundare credamus.

Quodsi igitur, ab una parte tantum servata aequalitate, sublatum aequilibrium velis restituere, jurati, mediam partem ex rei, mediam ex accusatoris paribus essent conscribendi. Ubi vero publico nomine vindicantur maleficia, dimidiam partem admitti forte possent, qui laeso essent aequales. Verum, quid tum in delictis contra Rempublicam perpetratis? Ubi quaeso reperias, qui civitati conditione sint aequales?

At vero compositum ejusmodi judicium, pugnantibus ordinum utilitatibus, saepius in partes iret, quas non ita facile esset conciliare, nisi forte famem et inediam adhibere velis, gravissimum illud apud Anglos concordiae momentum. Sed ex hisce quidem satis apparet, perfectam et absolutam aequalitatem vix posse cum juratorum judicio conciliari. At et facile possit demonstrari, omne omnino juratorum judicium, ab inaequalitate debere proficisci, quo et firmius illud evadat judiciorumque dignitatem tueri possit et amplitudinem.

Publica nimirum civitatis salus, omnium securitas, reique sors in juratorum manu est collocata. At vivida illa de commodis et incommodis publicis cura et sollicitudo, quam necessario requirit juratorum institutio, non ab omnibus pariter civibus potest exspectari, sed ab iis imprimis, quorum privatae utilitates cum publicis arctius sunt conjunctae, quique publicae securitatis beneficium, delictorum incommodum, prae caeteris sentiunt. Humilis quidem ipsa humilitate sua, egenus ipsâ indigentiâ ab innumeris maleficiis tutus est. Sic mendicus v. gr. animo ne levissime quidem commoto, tanquam Stoicorum sapiens, inter medias ardentis urbis flammas obambulabit. Sic ab eo, qui in assiduis versatur rei familiaris angustiis, qui assiduo colluctatur vitae necessitatibus, vix altiorem ullam sollicitudinem exspectaveris. Externa scilicet conditionis humilitas tandem et animum deprimit. Cum autem ad inferiores fere civium ordines pertineant delinquentes, ita quidem, si eorum paribus sanctissimum justitiae palladium commiseris, in plerisque caussis, pro justis sententiis vana jactabuntur plebeculae commenta.

Cumque praeterea specie magis externa, quam ipsa rerum veritate regantur homines, opibusque, potentia et fortunis existimationem metiantur, ita quidem celebrato illo aequalitatis principio omnis judicum dignitas, omnis in iis reposita fides labefactatur. Haec autem uti per se verissima sunt, ita et tristi Francorum experientia fuere confirma-

mata, quae cum in vulgus sit notissima, non est quod pluribus de ea dicamus (1).

Hinc itaque necessario sequitur, quemadmodum in sapienter constituta Republica a suffragio in comitiis ferendo arcendi sunt humiliores de populo, ne justa popularis imperii forma in pessimam plebeculae dominationem degeneret; ita et judicandi facultatem ad meliorem populi partem, seu τοὺς ἀριστοὺς proprie dictos, esse restringendam.

At in eo omnis versatur rei difficultas, ut accurate distinctis terminis a reliquis civibus separentur illi ἄριστοι, quibus judicandi officium assignetur.

Hujus rei duplex in hodiernum usque diem cognita est et tentata ratio, altera, qua certo ordini, altera, qua definito patrimonii modo judicandi munus adstringitur. Prior illa ratio non minus perniciosa est, quam incommodum quod ea tollitur. Ita quippe reliqua, tali ordini priva jam, commoda majoribus aliis commodis ac praecipuâ quadam in reliquos ordines et eminenti potestate cumulantur. Soli nimirum, qui huic ordini adscripti sunt, nobiliores, judices sibi pares accipiunt. Dum altera civium pars providae suorum tutelae committitur, altera superiorum severitati et partium studio nuda proponitur. Talis profecto judiciorum forma ipsam judicii jurati naturam penitus evertit.

Itaque nihil aliud superest, nisi ut alteram ingrediamur viam eosque solos in juratos referamus, ad quos, propter majores divitias, maxime pertinere publica videatur salus. Et sane ea ratio non exiguam prae altera illa videtur habere praestantiam, quae tamen tota evanescit, simul ad ipsum hujus systematis attendamus principium, in eo positum, ut divites et opulenti de vita, de libertate egenorum pauperumque naturales sint judices.

Fortunarum scilicet inaequalitas non minus acuto discrimine cives separat, quam sola conditionis civilis differentia. Libertatis nimirum illa conscientia, quae divitias solet comitari, sponte quasi sua aliquam adfert dominationem, quae, cum efficacissimae manifestissimaeque potentiae sensui innitatur, omni alia dominatione gravior solet esse et impotentior, ut adeo, si ad solum divitiarum modum attendatur, conditionis tantum aristocratia cum aristocratia divitiarum, leniusque illud ac facilius jugum cum graviori et magis inviso permutetur. Hujusque inaequalitatis vis cum maxime in oculos incurrit, si cogitemus, ad inferiores et egenas civium classes longe majorem pertinere reorum numerum, cum opulenti, propter opulentiam, a multis delinquendi illecebris et opportunitatibus sint tuti. Quod quidem ex legibus furta spectantibus animadverti di-

ce-

(1) Cf. *Bourguignon*, Mémoire qui a remporté le prix, sur cette question, proposée par l'Institut National: quels sont les moyens de perfectionner en France l'institution du Jury? p. 17.

F

cebat Fridericus Magnus, eas a ditioribus esse factas, eodem profecto et majori etiam jure, de tali judiciorum forma dicatur.

Quodsi vero juratorum judiciis maximae laudi ducitur, quod judices omnes reorum rationes habent cognitas et perspectas, seque facile ipso rei loco collocare, eumque rectius intelligere aequiusque possint dijudicare; audacissima profecto juris fictione opus est, qua eam in tali juratorum judicio praestantiam deprehendas. Divites et opulenti non tantum alia prorsus educatione, alia institutione sunt exculti, quam, qui obscuro loco nati ab egenis parentibus sunt educati, sed et ipsa facili vitae ratione eas rerum hominumque notiones sibi comparant, quae tenuioribus aeternum manent incognitae.

Quaenam porro hic adest aequalitas? Ab una parte vita facilis adest et rerum omnium copia, ab altera forte labor durissimus cumque ipsis vitae necessitatibus acerba colluctatio. Verum, anne divitem forte esurire aut frigere coegeris, ut ipse quodammodo sentire discat, quo tandem animo sit inops pater familias, qui, fame confectam, nudam, saevo gelu constrictam prolem intuens, de divitis cujusdam vicini omnibus rerum copiis affluentis abundantia aliquid detrahit?

At noverint hoc forte divites, celebratae tamen illi conditionis aequalitati non habent, quod illud acceptum referant, nec quidquam certissime norunt sentiuntve, quod non idem nosse et sentire possit jurisprudentiae peritus judex.

Tertia denique nonnullis superesse videtur via, non quidem ea per se ipsa constans, sed ex prioribus duabus composita, eamque in seligendis juratis secuti sunt juris Francici conditores, qui utrumque systema conjungere voluerunt, ideoque certis quibusdam vitae civilis classibus, quibus cultiores, honoratiores ditioresque continentur cives, judicandi officium detulerunt (1). Haec autem Francorum ratio, cum utrumque conjungat principium, utriusque etiam incommoda cumulat. Sed cum de utroque actum sit in superioribus, non est quod singula hoc loco repetamus. Unum tamen hoc velut in transitu moneamus, Francis imprimis id fuisse propositum, ut, quantum possent, cultiores seligendos curarent, ditiores autem et honoratiores ideo quoque lege comprehendisse, quod iis ingenii excolendi non defuisse censeri possit occasio; at vero gravem eorum esse errorem, qui illiteratos quidem homines juri dicendo impares esse non diffiteantur, sed aliud existimandum censeant de iis, qui literis humanioribus, artibus liberalibus ac philosophiae imprimis studiis sint instructi, atque ita satis exculto ingenio ad judicis munus accedere posse videantur. Nam quamvis insignem bonarum artium utilitatem in jurisprudentia lubentes agnoscamus, utpote quae arctissi-

(1) Code d'Instruction Criminelle, Art. 382.

simo adeo vinculo cum ea sint conjunctae, ut a judice philosopho minus quam ab illiterato homine sit timendum; vel sic tamen existimamus, jurisprudentiae defectum nulla prudentia satis posse suppleri, cum unusquisque ad id videatur pronus (1), ut praecepta, vel e vita communi, vel e priva sibi disciplina repetita, ad disputationes forenses imprudenter transferat.

Ut igitur paucis orationem contrahamus, omnis eo redit laus aequalitatis, ut, si constanter hocce principium persequamur, difficultatibus implicemur inextricabilibus, et in maximam incidamus injuriam; si vero negligamus, ab altera parte vehementissime peccemus, qui, quod uni civium ordini concedamus, id alteri beneficium abnegemus.

Haec quidem praecipua sunt, quibus juratorum judicia, tanquam politicum institutum considerata, premuntur, difficultates. Alia quaedam eorum memorantur incommoda leviora, quae paucis attigisse digitoque velut indicasse sufficiat. Sic v. c. reprehenduntur, quod, cum palam sint peragenda, quemadmodum ex eorum notione, primo hujusce disputationis capite exposita, intelligitur, verae maximeque civitati periculosae fiant delictorum scholae. Qui enim examini adsistunt, pessimo exemplo cum ad nova scelera instituuntur, tum, alienis periculis cautiores facti, eadem quoque patrare et, com-

(1) Cf. *Feuerbach*, op. cit. p. 240 sqq. et *van Nes*, diss. ill. p. 64.

Hujus rei luculentum exemplum exstat apud A. Gellium, virum juris minus peritum, at in aliis disciplinis haud ignobilem. Narrat nempe *Gellius*, Noct. Att. XIV, 2. apud se, judiciorum privatorum judicem, petitam fuisse pecuniam, quae dicebatur data et numerata, sed qui eam petebat, neque tabulis neque testibus id factum docebat, et argumentis admodum exilibus nitebatur: caeterum constabat, eum esse virum probatae fidei, alterum autem, a quo petebatur, esse hominem in angustiis rei familiaris vitaque turpi et sordida, plenum mendacii atque perfidiae. Posterior autem is, cum patronis, clamitabat, more solito probandam esse pecuniam vere datam, alioquin se dimitti oportere, atque adversarium de calumnia condemnari; quod de utriusque autem vita et factis diceretur, frustra id fieri atque dici, rem enim de pecunia petenda apud judicem privatum agi, non apud Censorem de moribus. Amici Gellii, quos in consilium rogaverat, viri exercitati atque in patrociniis et foro celebres, non sedendum diutius neque dubium esse dicebant, quin absolvendus esset, qui accepisse pecuniam nulla probatione solemni docebatur: Gellius autem considerans, alterum litigantium fidei, alterum probri plenum, ad absolvendum adduci non potuit, sed jussit diem diffindi, atque adiit Favorinum philosophum, consilium petens. Favorinus, citatis quibusdam verbis M. Catonis, cum potius regulam simplicissimam: actore non probante reus absolvitur, adducere debuisset, respondit: „in hac caussa, de qua tu ambigis, optimus „est, qui petit, unde petitur, deterrimus, et res est inter duos acta sine testibus; eas igitur et credas, „qui petit, condemnesque eum, de quo petitur, quoniam, sicuti dicis, pares non sunt et, qui petit, melior „est." — „Hoc quidem" pergit *Gellius*: „Favorinus, *uti virum philosophum decuit*, mihi suasit, sed majus „ego altiusque id esse existimavi, quam quod meae aetati et mediocritati conveniret, ut cognovisse et condemnasse de moribus, non de probationibus rei gestae viderer: ut absolverem tamen in animum inducere „non quivi et propterea juravi mihi non liquere."

comprehensi astute sese defendere discunt, ut adeo ipsi malefici non raro optimi dicantur esse Jureconsulti, qui, astutia et calliditate freti, legibus illudunt. Idque ideo maxime est perniciosum, quod omnis aevi experientia docuit, plures ad scelera patranda allici unius exemplo malefici, poenam feliciter evadentis, quam pluribus suppliciorum spectaculis deterreri (1).

Alterum inde repetitur judicii jurati incommodum, quod civibus, oleum et operam ad victum et amictum sibi comparandum adhibentibus, perquam molestum sit, negotiis suis avocari, ad judicum personas sustinendas. Est ea scilicet communis hominum opinio, tributis, stipendiis ac vectigalibus solvendis, omnem securitatis publicae curam ab iis redimi. Jam vero, si a civitate, ad procurandam illam quietem publicam evocentur, eorumque privata quies ita perturbetur; sic fere solent ratiocinari: Me mea ipsius negotia persequi sinas, instituendis vero judiciis, quorum ego sumtus pro mea parte persolvam, is meam aliorumque procuret tranquillitatem, qui et reliquam omnem rerum publicarum curam in se suscepit.

Sic itaque poenis mulctisque cives erunt cogendi, qui juratorum officium suscipiant, eaque ratione munere suo fungentur, qua fere ab invito et refragante reliqua omnia peraguntur, tandemque civitas cogetur, ad institutionem civibus suis molestam et invisam penitus tollendam (2).

Ultimo denique hoc argumento juratorum impugnantur judicia, quod scilicet tota res judiciaria institutum sit legitimum, a quo nihil magis alienum est, quam ut ex arbitrio peragatur, aliave in ulla ejus parte norma servetur, quam quae legibus sit praescripta; cum tamen haecce judiciorum forma, pro legitimis probationum regulis, vanas juratorum opiniones eorumque intimam animi conscientiam admittat. Ita scilicet legitimi hujus instituti pars altera legibus regitur, altera vero privatorum arbitrio permittitur.

Neque vero dicat quispiam, eam rei judiciariae partem, quae probationes respicit, ita natura esse comparatam, ut legibus definiri nequeat, cum nullae possint haberi probationum regulae, quae omnibus omnino caussis conveniant. Idem enim de altera quoque rei judiciariae parte valet, quae ad ipsam poenae definitionem pertinet. Neque magis enim ullae possunt legibus scribi poenae, quae omnibus omnino delictis ita conveniant, ut non hac illave in caussa singulari leviores durioresve deprehendantur, quam vera rei ratio postulat. Itaque, si plane sibi constare velint juratorum patroni, ne poenae quidem ullae legibus erunt definiendae, sed cum facti, tum juris controversia ar-

(1) Cf. *van Nes*, l. c. p. 72, 82 et 102.

(2) Cf. *Mittermaier*, Die öffentliche mündliche Strafrechtspflege und das Geschwornengericht etc. Landshut, 1819, p. 89. ubi allata ejusmodi juratorum supplicatione, ephemeridibus Moguntiacis inserta, opinionem illam confirmat. Cf. item *Feuerbach*, op. c. p. 75 et sq.

arbitrio judicantium erit permittenda, omnesque legum poenalium codices erunt abrogandi: quod summum forte posset admitti, libellus quidam esset publica auctoritate comprobatus, qui vera genuinaque contineret juris criminalis principia, in poenis irrogandis servanda. Sed et tale quoddam opus libello magis scholari, quam vero legum codici esset similis. Si enim aliunde parum sana, poenarumque consilio parum accommodata, aut peculiari civitatis rationi contraria juratis viderentur ea principia, non possent ab iis in poenis irrogandis servari.

Sed haec de priori hujus capitis loco, quo juratorum judicia, tanquam politicum institutum considerata, impugnantur. Jam ad alterum accedamus locum, quo ea, pro legum poenalium instrumento accepta et ad sola potestatis puniendi consilia revocata, improbantur.

Hoc autem loco primum quidem ostendere conabor, juratorum judicia ad strictam legum poenalium executionem natura sua esse penitus inhabilia, insuper autem in cultiori quaque civitate facti quaestionem innumeris juris quaestionibus adeo esse implicitam, ut non, nisi a JCtis, possit dijudicari.

Omnis nimirum judicii praestantia in eo posita est, ut leges plenissimum sortiantur effectum, quatenus quidem per hominum rerumque fieri possit fragilitatem, atque ut in criminalibus non tantum ab omni injusta sententia tuti sint innocentes, sed et malefici detegantur nocentesque puniantur, atque ab omni parte sarta tecta serventur civium bona atque personae, quaeque reliqua in civitate publicae tutelae commissa sunt (1).

Ad hoc autem genuinum omnis instituti judicialis consilium quam parum accommodatum sit juratorum institutum, diligentius considerantibus mox in oculos incurrit.

Ac primum quidem ad facti cujusdam veritatem eruendam parum idonei sunt jurati. Facultas scilicet res qualescumque in usu et experientia positas percipiendi, factique alicujus veritatem aut probabilitatem cognoscendi, in sola hominis ratione (2) est posita, ut ipsae adeo sensuum perceptiones ultimum in ea fundamentum habeant. Omnis illa cognitio duplicis est generis, aut artificialis, aut vulgaris seu naturalis. In illa ratio caussarum seu fundamentorum sibi conscia est, in hac vero contra. Pari utrimque modo mens humana ratiocinatur, iisdem utitur subsidiis, iisdem momentis, sed naturalis illa cognitio viam ignorat, quam sequitur, ad metam

(1) Quod enim dicit *Bonnet*, du Jury en France, p. 24. „id primum esse judicii jurati consilium, ut quacumque tandem ratione salvi sint innocentes rei, cum ipso etiam impunitatis nocentium periculo," in eo si omne juratorum judiciorum consilium est positum, sine dubio maximopere sunt improbanda, et insuper inutilia, cum illud sane consilium multo facilioribus aliis rationibus assequi liceat.

(2) Eo scil. sensu, quo Belgice dicitur *verstand*.

tam consistit, at parum novit, qui, aut quare eo pervenerit. Artificialis vero cognitio a generalibus prodit accurate perceptis, inde ad particularia procedit, singulos quosvis totius catenae annulos, singulos quosvis, cognita inter et incognita, articulos perspicit, atque ita rei veritatem non solum sentit, sed cognoscit. Illa, propter periculi ignorantiam, audacior est et confidentior, haec vero novit pericula ac prudenter cauteque procedit. Illa, ubi semel a recto tramite recessit, quo longius procedit, eo longius aberrat; haec notionum principiorumque velut sidus habet, quo cursum regat, ac, si quando aberraverit, in viam reducatur. Brevi, quaecumque usus et experientiae subsidia habet inexculta cognitio, eadem quoque docta habet et subacta: at inter utramque hoc interest, quod hujus adjumenta ex multo ampliori loco congesta, et a praejudicatis opinionibus arctioribusque et contractis vulgi notionibus sint expurgata (1).

Maxima igitur illa naturalis cognitionis pericula sentientes, prudentes legum conditores, eam a judiciis quidem criminalibus, quippe quorum nimium est momentum, quam ut in iis ulla ferri possit temeritas, penitus arcendam esse censuerunt, solique artificiali locum esse tribuendum, eamque insuper, ut, quantum humana ulla fieri possit prudentia, penitus arceretur temeritatis periculum, regulis quibusdam adstringendam esse judicarunt.

Neque tamen ita omnem plane veritatem certis legibus comprehendere, iisque omnem cognitionem alligare voluerunt, sed primum quidem ea cognitionis momenta judici indicare studuerunt, quibus, ubi de aestimatione, libertate, capite civis quaeritur, uti judex non debeat, lubricis quippe et in errorem saepe ducentibus: deinde vero judici regulas proposuerunt, quae, vel in utendis genuinis fontibus, judicem ducant, vera a falsis dignoscere doceant, omnemque falsae persuasionis metum avertant.

Ab hisce principiis profecta probationum theoria primum quidem magis, ut ita dicam, negativa est, quam positiva, nec adeo judici praescribit, unde sit hauriendа cognitio, quam potius, unde non sit haurienda.

Itaque, ubi de testimoniis quaeritur, non adeo judici dicet: quidquid duo testes probatae fidei declaraverunt, verum erit habendum; sed contra: quod non a duobus probatae fidei testibus erit asseveratum, plenam probationis vim non inveniet; non quasi id verum esse nequeat, sed quia gravior res est, quam ut levibus probationum momentis fides haberi debeat.

Cum

(1) Praejudicatarum opinionum vim ostendit exemplum sententiae, a *Feuerbachio*, op. c. p. 151. allegatae, qua jurati in Francia mulierem de furto confessam absolverunt, quod mariti jussu furatam se diceret, uxor autem, quod Codice Civili Francico esset cautum, marito obtemperare deberet.

Cum autem non omnium delictorum ea sit ratio, ut directis testimoniis possint probari, aliis quoque probationum subsidiis judicem uti sinet legis auctor, quippe quibus, omnibus una sumtis, multo certius saepe, quam per testes probari possit maleficium. Sed in hisce quidem ita versabitur, ut minime ea omnia enumeret, eorumve nexum et conjunctionem, quae plenam judici fidem faciat, lege definiat, sed praecipua veritatis eruendae subsidia judici commendabit, ut ea, quantum possit, sibi comparet. Ita v. c. in corpus delicti inquirendum esse praecipiet, infinitaque alia his similia adjiciet. Jam vero, num ita cognitionis humanae fontes innumeros, infinitos, certis verborum finibus includit? Immo vero, temeritatem, errores ac levitatem, quantum possit, arcere studet, judiciorumque fidei et veritati egregie consulit.

His si conferas juratorum judicia, nullis errorum avertendorum praesidiis munita, sed nudo juratorum arbitrio, nullis vinculis adstricto, permissa, quid de utraque forma sit existimandum quis non videt?

At si cauto saltem et sedato juratorum arbitrio controversiae essent permissae, quodammodo certe veritati consultum esse diceremus. Sed qualis quaeso est judicii jurati ratio? Coram juratis scilicet tota caussae peragitur controversia, ac quidquid eos a vero tramite possit avocare, vivum ac praesens in eorum sensus incidit, eoque magis ad commovendas valet animi perturbationes. Quod scripti actorum commentarii judicum oculis subducunt, reorum est habitus, forma, sermo, constantia, trepidatio caeteraque illa glaucomata et fallaces praestigiae: at haec ipsa juratis objiciuntur, atque prudentis cautique judicii fundamenta labefactant. Dum, in praesenti caussarum examine, singula quaevis phaenomena, mox ubi apparuerunt, evanescunt, unum cognitionis momentum ab altero tanquam unda ab unda propellitur; dum singula persuasionis elementa rapidissime praetervolant, inanes illae sensuum praestigiae, intimis juratorum animis manent insculptae, attonitamque et obstupefactam rationem subigunt. Sed et continui susurrus hominum circumstantium, caussidicorum facetiae (1) testiumve aut re-

(1) Vim ejusmodi facetiarum exemplo vere Francico illustrat *Feuerbachius* l. c. Mulier quaedam, cujus maritus aberat, sola in secunda aedium contignatione habitabat. Masculi tres, in iisdem habitantes aedibus, eam noctu aggrediuntur, vim ei inferre conantes. Janua pulsatur, frangitur. Mulier lecto se proripit, ad scalas confugit; hic impuras unius contrectationes experitur, sed, eo vi repulso, trepidans per aedes discursat, lamentatur, opem implorat. At nemo erat qui auxilium ferre sustineret. In cubiculum itaque suum refugit, ubi tres illi eam comprehendunt, stuprumque ei inferunt.

Quae dum omnia fiebant, unus ex iis sese timere dicit, ne prodantur. Alter, jocans quodammodo, reponit: „ab illa mehercle non est quod nobis metuamus."

Sola mulier stuprata rem ad accusatorem detulit. Pleraque erant probata per caeteros inquilinos, qui omnem rei casum et eventum audierant, quamvis cubiculis suis egredi non essent ausi. Praecipua quaeque facta et mo-

reorum rusticitas (1) ac risus, inde excitati, testes et juratos, novi et gravis muneris insolentia jam commotos, ita perturbant, ut animum ac cogitationem ad caussam propositam satis componere nequeant. Quin vel solus reorum adspectus maximum juratis minatur periculum. Neque enim homo fere cum homine ulla relatione potest conjungi, quin intimus ejus sensus vel in partes alterius inclinet, vel ab iis abhorreat, idque eo magis, ubi ejus actiones ejusve conditio sensum moralem afficiunt. Adspiciamus hominem, horrendi facinoris accusatum, cujus simul vultus sit foedus ac fastidiosus; mirum profecto fuerit, si non animum ab eo alienari sentiamus, ac parum faventi judicio probationes quodammodo antevertamus. Vicissim lenis, mitis et amica facies, maximeque muliebris forma et pulcritudo, contra probationum vim nos efficit duriores. Neque adeo miremur, si partim et huic caussae tribuendum sit, ut horrendum illud infanticidii crimen a juratis plerumque inultum dimittatur (2).

Praeterea vero, si inter juratos de hujus illiusve testimonii sensu non satis constat, quomodo is intelligi, aut qua ratione testes convinci poterunt, qui falsum perhibuerunt testimonium? Brevi, jurati maleficis aeque fausti atque innocentibus periculosi sunt judices, ac, pro diversa rerum personarumque conditione, alii interdum evidentissimis probationibus fidem denegabunt, alii nimis creduli suspicionibus suis vim legitimae probationis inesse putabunt, ut adeo non ita inepte juratorum judicia talis comparentur, qui caecis reguntur fortunae casibus.

Insuper autem hujusce judicandi formae necessaria est consecutio, quod leges in pessimam delabantur publicae praejudicataeque opinionis servitutem.

Ipsa quidem ejus indoles requirit, ut non nisi de facto judicent, judicialesque facti consecutiones non respiciant jurati, nec ad poenam maleficio scriptam attendant, idque et leges Francicae juratis omni modo inculcare conati sunt (3). Sed moneat, prae-

ci-

momenta ipsi confitebantur rei, sed stuprum haud nimis mulieri displicuisse insimulabant. Unicus testis risum semet audivisse dicebat, vocemque mulieris agnovisse sibi videbatur.

Quod cum dixisset, subito „*Auditisne!*" exclamat reorum patronus, „*risit mulier, vi scilicet stuprata!*" Ineptus ille jocus actis et probatis omnibus praevaluit. Nebulones absoluti sunt.

(1) In Anglia, uti narrat *van Nes*, d. diss. p. 102., major pars circumstantium plerumque e feminis, iisque non infimo loco natis, solet constare: judex autem delegatus, quando stupri violenti quaestio est, eas discedere monet, quoniam accusatrix factum, de quo quaeritur, accurate, nulla re omissa, narrare atque ipsissimis rerum vocabulis uti cogitur; sed raro vel una femina discedit, occasione autem data, os rubore suffundi fingentes, pone flabellum risui indulgent.

(2) Observations du Trib. de Cassation, adjectae schemati Codicis Crim. p. 316.

(3) Code d'Instr. Crim. Art. 342.

ciplat, jubeat lex, irritum est quidquid agit (1). Facti et juris quaestiones imperitis omnibus indivulso cohaerere videntur vinculo. Praetereaque juratis conscientiae norma, quam sequantur, est commendata. Iis autem qua quaeso ratione persuaseris, conscientiae esse consentaneum, eum, qui factum commiserit, quod, quacumque tandem de caussa, vel innocuum plane, vel certe minus noxium existiment, simplici et legitima condemnatione poenae duriori tradere, quam par esse credant (2).

Sic igitur alii eandem homicidio poenam et nonnullis furti generibus scriptam indigne ferentes, furem convictum absolvent, ne damnatus ultimo pereat supplicio: alii poenarum consilium ignorantes idque, more vulgi, magna pro parte, ex vindictae studio repetentes, ubi reum squalido et depresso habitu, omnique nocendi facultate destitutum intuentur, fallaci misericordia magis, quam propter defectum probationis, ad absolvendum inducentur. Hisque et similibus cerebrinis opinionibus eo tutius possunt indulgere, quod nullam sententiae rationem addere tenentur, nec ea provocationi ad superius tribunal sit obnoxia (3).

Haec autem uti universe solent evenire, ita in iis maxime cernuntur maleficiis, quibus non privatus quidam civis directo laeditur, sed quae ad totam quodammodo Rempublicam pertinent, quemadmodum v. c. ubi de peculatu quaeritur, aut legum fiscalium transgressionibus. Hoc quam bene Franci perspexissent, institutis docuerunt rerum fiscalium tribunalibus. Nec mirum profecto; intimo enim animi vere civilis studio Spartanaque penitus legum reverentia imbuti sint oportet jurati, ut quam conscientiam suam appellare solent, eam legibus veluti profundant.

Ne quis vero putet, certissimum esse hujus mali remedium, quod imprimis in Fran-

(1) *Feuerbach* l. c. p. 154.

(2) Luculentum ejus exemplum Namurci editum suppeditat *Merlin*, Répertoire etc. III, p. 48. Aliquis, in favorem sicarii, falsum testimonium dixerat; id leges prosequebantur condemnatione ad opera publica, in 20 annos; jurati nulla poena, aut certe leviori, dignum credebant, admissum. Cum itaque ad priorem quaestionem respondissent, liquere, reum falsum dixisse testimonium, ad alteram responderunt, non liquere eum dolo fecisse. Quae, cum sibi repugnarent responsa, a Curia sunt rescissa, jurati nova dare jussi. Sed reum servare decreverant, itaque, quod paullo ante affirmaverant, liquere sibi, reum dixisse falsum testimonium, id denuo in consilium missi negarunt.

(3) Ita malefici semel absoluti, seque denuo ad examen rapi non posse, edocti, publice interdum gloriantur istis astutiis, quibus in juratorum animos falsam innocentiae persuasionem induxerunt, insigni legum et securitatis publicae detrimento, crescenti in dies numero et audacia. Hinc in Anglia protervitas insidiatorum viarum publicarum (*highwaymen*) in eum modum excreverat, ut domibus ditiorum Londini civium libellos affigerent, necem iis minantes, nisi certam pecuniae summam et horologium satis pretiosum in itinere secum ferrent. Cf. *van Nes*, p. 7.

Francia, inter prima rerum conversionis initia, tantopere efferebatur, si populi scilicet opinionibus leges per omnia accommodentur. Etenim, per rerum hominumque conditionem, nunquam obtineri ejusmodi plena potest concordia, cum nimis vanae, nimis absurdae sint, in plerisque juris criminalis partibus, opiniones multitudinis.

Ad eas, tanquam auram popularem, sine dubio vela sunt aptanda, nec tamen ideo in puppi sedeat clavumque multitudo teneat.

Nec plus profeceris poena non accurate definienda, sed libero quodam arbitrio judici relinquendo, ita ut certi tantum fines ei constituantur, quos a neutra parte liceat egredi. Primum enim poenae nonnullae ita sunt comparatae, ut ipsa earum natura gradum definiat, qui vix augeri aut minui possit, quemadmodum poenae v. c. capitales. Deinde vero majus plerumque est intervallum, quo populi opiniones a rei veritate separentur, quam ut liberrimum, quod judici possit permitti, arbitrium in eas cum legibus in concordiam redigendas vim ullam habeat (1).

Est scilicet hoc ipsius naturae vitium, quod ita demum radicitus possit evelli, si leges inter ac privatas hominum opiniones pax sempiterna componatur, ac vel leges ad inania quaevis multitudinis commenta legislatores adaptent, aut suam ipsorum prudentiam imperitae multitudini impertiantur.

Vidimus, juratorum judicia ad strictam plenamque legum exsecutionem natura sua penitus esse inhabilia. Jam paucis ostendere conabimur, insuper in cultiori quaque civitate, quae legibus utatur indoli suae accommodatis, ipsam facti controversiam, juratis commissam, innumeris juris quaestionibus adeo esse implicitam, ut non nisi a juris peritis possit dijudicari.

Omnis nimirum legis criminalis applicatio duabus hisce quaestionibus absolvitur: an reus est noxius? et qua poena noxius est prosequendus? Haec sine ullo dubio mera est juris quaestio, quippe quae in sola versatur consecutione juridiciali, vi legis cum facto conjungenda. Illa vero, quatenus non juridicialem facti effectum sed ipsum factum respicit, merito facti quaestio vocatur. Sed licet ita in facto versetur, re propius considerata, simul juris quaestionem continet. Cum enim oporteat, ut ea hominis actio, quae poenâ possit dici prosequenda, lege poenali sit comprehensa, easque conditiones et notas contineat, quae lege requiruntur: una illa facti quaestio duas iterum partes complectitur; quarum priori quaeritur, num de certi cujusdam facti histori-

(1) Ita, in exemplo modo allegato, falsi testimonii, nil quidquam ad rem fecisset, utrum 20 anni simpliciter essent definiti, an vero viginti v. c. ac 10 anni, tanquam termini, essent constituti. Publica scilicet opinio, vel nullam poenam, vel carcerem unius aut duorum volebat mensium.

rica veritate constet; alterâ vero, num factum illud historice verum poena sit prosequendum, num eas habeat proprietates, eas notas, ea criteria, quae accusator ei tribuit, quorumque vi ad legem poenalem est referendum. Prioris partis responsum ex ipsa fluit in se spectata facti conditione, et ex historicis hauritur persuadendi momentis. Ad posteriorem vero responderi nequit, nisi ex comparatione inter facti notas et proprietates lege definitas, quibus ad maleficia refertur, et facti in controversia versati signa et criteria rite probata. Utraque autem illa majoris facti quaestionis pars, historica nimirum et juridicialis, arctissimis adeo vinculis est connexa, ut altera ab altera divelli nequeat, nisi in vanum quoddam ludibrium convertere velimus totum juratorum institutum.

Nam si prioris tantum partis examen juratis deferas, nec nisi de historica hujus illiusve facti veritate eos interroges, solos magistratus, ab imperante creatos, noxae aut innocentiae arbitros efficis, quippe a quibus pendeat, ad quamnam legem factum, a juratis asseveratum, revocare velint. Sit v. c. de scriptore controversia, qui veritates principi parum acceptas memoriae prodidit; sit quaestio ex. gr. de Cremutio illo Cordo, qui, in Annalibus suis, M. Brutum laudaverat, qui C. Cassium Romanorum ultimum vocaverat (1). Si jam pedaneos nihil aliud roges, nisi utrùm Annalium illorum revera auctor sit, in solo magistratus erit arbitrio, utrum absolvere, an vero famosi libelli, aut majestatis eum condemnare velit.

Itaque nihil aliud superest, nisi ut juratis totam facti quaestionem proponas, cum quatenus historicam respicit facti veritatem, tum quod juridicialem ejus attinet characterem, seu factum inter et legem relationem. Idque cum veteres facere solebant Romani, tum et hodieque Anglis est usitatum.

Sed ex eadem illa conjunctione sequitur, juratos, ex diversis civium ordinibus lectos, et a quotidianae vitae negotiis in judicium vocatos, ne centesima quidem parte illius scientiae esse instructos, quam vel simplicissima quaeque caussa postulat.

Primum quidem, ad quod jurati attendere debent, est externa seu mere objectiva, quae dicitur, facti conditio. Reus v. c. clam in domum irrepsit, in cubiculo quodam rem mobilem apprehendit, sed priusquam cubiculum relinqueret, deprehenditur, in ejus crumena scalpellum v. c. calamarium reperitur, quod casu forte secum habuisse, non quo ad furtum perficiendum uteretur, contendit. Nihilominus furti armati et consummati arguitur. Jam vero qua tandem ratione ex intima animi conscientia dijudicare possunt jurati, num furtum armatum sit et consummatum, nisi prius noverint, qua-

(1) *Tacit.* Annal. IV. 36.

qualis rerum contrectatio, ex genuina legum sententia, furtum appelletur, et quando illud consummatum habeatur, aut quid ex legis mente ad furtum requiratur armatum (1)?

Alterum, quo sententia de noxa vel innocentia nititur, fundamentum in facti imputatione situm est. Constat v. c. Cajum esse occisum, sed, quo caedis illius condemnari possit Titius, dispiciendum prius, num hujus quoddam factum illi mortis caussam praebuerit, et utrum caedis auctor sit Titius, an vero criminis socius.

At quid sibi volunt illa verba, maleficii auctor, vel socius? Ab hisce tamen notionibus, clare accurateque, secundum legis sententiam, perceptis, longoque rerum usu subactis, pendet decisio.

Hunc v. c. casum nobis fingamus: Titius caedem ipse non commisit at Sempronio mandavit, ut data opportunitate a communi inimico Cajo vindictam repetat. Paucis diebus interjectis, Cajus obviam fit Sempronio, eique conviciis ac probris occasionem pugnae praebet; Sempronius cultrum arripit, Cajoque in pectus infigit, simul adjiciens: hoc a Titio et a me habe. Nuda facta extra omnem dubitationis aleam sunt collocata, at illa nodum non solvunt. Complicitae sane difficilesque juris vertuntur quaestiones: anne mandatum generalius Titium caedis auctorem aut socium efficiat? nonne ab ipso Cajo oblata caedis opportunitas obstet, quominus Titius ejus auctor sit? Anne vero mercator in taberna, aut medicus inter aegrotos, ullam harum rerum scientiam sibi parant?

Ultimo denique loco, ut recte dijudicari possit rei noxa, videndum, an dolus adfuerit, nam forte caussae quaedam allegantur, quae poenam excludant, et de quibus erit judicandum. Ita quaeritur, num dolo deliquerit reus, an culpa? Num forte casu tantum peccaverit? atque, in hisce quidem et similibus quaestionibus, in densis labyrinthi tenebris oberrat ac flexubus sanum illud licet non excultum lumen rationis, Ariadneoque filo destitutum, nec finem invenit nec initium (2). Quantus hic divinationibus et conjecturis patet campus? Alii maleficum absolvent, quod bonum sibi proposuisset consilium; alii, quod non adeo alterius incommodum, quam suam ipsius sectaretur utilitatem (3); alii, quod consilium quidem nocendi habuerit, omnes vero actionis suae consecutiones non ita perspexerit.

Quo

(1) Juratis in Francia quaestio erat proposita, num reus aliquis delinquendi consilium externo actu prodidisset. Negando responderunt, quod scilicet delinquendi conatus intus in aedibus locum habuisset. Vid. *Feuerbachium*, op. c. p. 218, qui universe de hocce argumento consulendus, cap. V.

(2) Cf. *Mittermaier* op. c. p. 39.

(3) In Francia de monetae quaerebatur adulteratoribus. Crimen commissum, quin et a scientibus commissum esse, declarabant jurati, nocendi vero consilium abesse dicebant, quod scilicet non adeo, ut aliis nocerent,

Quo magis autem excolantur, omnibusque numeris suis et partibus absolvantur leges criminales, eo magis augentur illae difficultates.

Neque solum enim genera tum separantur ac species delictorum, sed ejusdem speciei formae existunt diversae, aliaeque insuper conditiones iis adjiciuntur et momenta, quibus vel exasperetur poena vel mitigetur.

Ne quod igitur a juratis omitteretur tale momentum, eorumque responsa nec plus nec minus continerent, quam oporteret; primi, post rerum conversionem, in Francia legislatores quaestionis partitionem seu analysin induxerunt, qua generalior facti quaestio singulas in partes suas dissolveretur. Voluerunt itaque, ut primum interrogarentur jurati, utrum ipsum accusationis argumentum seu nudum quod argueretur factum esset probatum; deinde, an ejus auctorem aut socium fuisse reum, liqueret; ultimo denique loco de facti moralitate et momentis, delicti improbitatem augentibus vel minuentibus.

Verum ejusmodi quaestionum partitio ipsam judicii jurati indolem evertit. Hoc scilicet eo valet totum, ut ex intima animi conscientia, nullis sententiae rationibus additis, judicetur. Si vero plures in partes quaestio discerpitur, pro singulis facti momentis, civitas juratos proximum conscientiae et persuasionis rogat fundamentum, juratosque doctos inter judices, et veri nominis juratos, constituit medios.

Praeterea malo pejorem multo medicinam esse allatam, experientia docuit. Caussae namque, in quibus mille proponerentur quaestiones, satis occurrebant frequentes, quin et a nonnullis memorantur controversiae, quae juratis triginta quaestionum millia praebuerunt (1).

Cum tamen eadem semper maneret juratorum imperitia, ita nihil aliud assecuti sunt Franci, nisi ut naturalem totius juratorum instituti inutilitatem, nudam exprimerent et, in communi forma ejus occultum, vitium in lucem protraherent. Neque enim quaestionis, sanae per se, sana quoque partitio errorem gignit animisque juratorum injicit, sed in generali responso latentem elicit (2).

Ita-

rent, verum, ut sibi ipsis prodessent, monetam adulterasse videbantur juratis. Exposé des motifs, p. 70. Error scilicet ex male intellectis verbis: *dessein de nuire à autrui*, oriebatur. Sana scilicet illa ratio damnum sibi proponebat propter se expetendum, quo sensu et virtus propter se expetenda dicitur, absque ulla utilitatis cogitatione.

(1) *Bourguignon*, l. c. p. 84.

(2) In Francia jurati quidam, in eadem caussa, ad primam quaestionem responderunt, reum non volentem commisisse homicidium, ad alteram dixerunt, id per inculpatam sui tutelam fuisse a reo commissum; ad tertiam denique, occisum nec gladium, nec tela ignifera (armes à feu) habuisse nec his, aliisve ejus generis in-

Itaque, infelici conatuum suorum successu meliora edocti, ad simpliciorem fere Anglorum quaestionem redierunt Franci.

Verum ex hisce cum satis superque jam appareat, in cultiori quovis populo, legibus sibi accommodatis uso, facti quaestionem, juratis delatam, innumeris juris quaestionibus adeo esse implicitam, ut non nisi a JCtis possit dijudicari; absolutis jam eorum, quae ex sola judicii jurati notione fluunt, incommodis, huic quidem capiti finem imponere possemus. Sed duae supersunt, quibus juratorum institutum premitur, difficultates, quae quamvis non per se et naturali necessitate cum eo cohaereant, omnium tamen populorum legibus ei sunt conjuncta, quaeque adeo breviorem certe considerationem flagitant. Praesidis nimirum ad juratos orationem volumus, et artificialem seu juridicam accusatoris publici petitionem reique, a caussidico susceptam, defensionem.

Si verum est, quod supra ostendere conati sumus, sanae rationis sensusque communis effatum velut oraculum aliquod esse, quod juratorum ore edatur, illibatamque examinis vim in juratorum animos unicum esse fundamentum, quo fides hujus oraculi innitatur, quidquid sanae illius rationis integritatem minuere possit, aut tollere, omni ab iis studio et cura est arcendum.

Jam vero si reo defensorem adjungas Jureconsultum, artificialesque et doctas rationum deductiones, vel ipsum factum, vel probandi modum, vel probationis vim spectantes, coram juratis haberi sinas, naturalis illa factorum vis et impressio in juratorum animos maxime sugillatur, et oratoris artibus vehementer labefactatur (1). Peritus nimirum cum imperito componitur, armatus cum inermi committitur, impar certamen conseritur, cujus ab una parte reposita sunt commoda, ab altera vero incommoda omnia.

Cum autem communis iste sensus, quod oblatum sit multo facilius accipiat, quam ipse aliquid investiget, quod apprehendat, quaecumque jurati per totum examen dispersa deprehenderunt lumina, ea, defensoris oratione in unum quasi focum collecta, iis obtrudantur; maximum sane est periculum, ne totum eorum judicium versuto, callido et diserto oratori in facilem concedat praedam.

Quod autem de rei defensore valet, pari fere jure de accusatore dicatur. Nec est quod in hocce oppositum quasi illi libramentum dicas repositum. Paribus enim utrim-
que

instrumentis, reum aggressum esse, reposuerunt. Duplex contradictio in adjecto, cum primum homicidium involuntarium Francis non possit per inculpatam sui tutelam committi, nec, qui mortis periculum non intulerit, inculpatae tutelae locum facere potuerit.

(1) Cf. *Conard.* l. c. p. 97.

que momentis, defensor facile juratos in suam partem pertraxerit, maxime cum accusator dolis et artibus honeste uti non possit, ac in mitiorem plerumque partem proni sint juratorum animi.

At si periculi plenae sunt accusatoris ac defensoris orationes, multo magis lubrica est ea controversiae expositio, quam, peracto examine, cum juratis communicare solet praeses. Hujus nimirum est, dispersas examinis partes, dispersa loca congerere, in brevem conspectum redigere, juratisque ob oculos ponere: decidendi momenta debet exponere, militantiaque utrimque argumenta adferre, legitimasque notiones explanare, quibus, in dijudicanda facti quaestione, opus est. Sed ipsi huic praesidis officio gravissimum inest periculum, gravissimum item argumentum, quo juratorum impugnemus patronos.

Naturali scilicet illi rationi judicium tribuitur, quod a simplici ejus et nativa vi fides, integritas, perspicacia et veritas sit exspectanda: attamen docta et subacta JCti ratio dux ipsi et magistra adjungitur. Ex nuda factorum natura haurienda est persuasio, at speculum naturali rationi objicitur, in quo naturae velut imaginem intueatur.

Denique quanto tandem studio, qua intentione praesidem jubeas, ne suam ipsius opinionem declaret, vix aut ne vix quidem effici poterit, ne alicubi illa pelluceat. Ita vero, quemadmodum supra ostendimus, totum judicii jurati principium evertitur.

Si contra praeses statum quaestionis sic exponat, ut nullum ejus judicium appareat, irritum prorsus evadit illius officium. Quis enim quaeso est, qui existimet, arduam illam legum scientiam, arduam magis eas applicandi peritiam, non nisi multorum annorum studio et usu comparandam, angustis hujusmodi orationis terminis ita posse comprehendi et cum imperitis communicari. Exponas mercatori vel militi doctrinam imputationis, explanes ei doli notiones; portentum sane fuerit, si vel latum unguem profeceris.

Eam juratorum imbecillitatem in Anglia cum ipsi plerumque sentiunt, tum vero praesides ita cognitam habent, ut hi plerumque suas opiniones satis aperte illis significent, juratique a praesidis ore pendeant, dictatamque ab eo sententiam judicando resonent (1). Brevi, si liberum planeque sibi relictum sanae, licet non excultae, rationis lumen, gravissimum fidei, veritatis et justitiae pignus continent, qui tandem fit, ut nullis non recentiorum populorum legibus libertas illa quodammodo sit delibata.

Om-

(1) In Anglia quidem judicis illa controversiae expositio adeo praecipuum tenet locum, ut ex cognito judicis, qui sessioni praefuturus est, charactere de litium exitu conjecturae capiantur, ipsique adeo malefici, ubi judicem severiorem in proximam sessionem designatum esse comperiunt, fugam arripiant, at simul ac mitior alter venerit, sponte redeant. Cf. *Feuerbach*, op. c. p. 194.

Omnes verborum laudibus juratos extollunt, at re ipsa maximam eorum profitentu diffidentiam; omnes ducem iis adjungunt, ne coecorum more oberrantes, quocumque se vertant, impingant.

Sed, expositis jam praecipuis, quibus juratorum judicia impugnantur, argumentis, propositae quaestionis ordinem secuti, jamjam ad ea, quibus defenduntur, argumenta transeamus.

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTORUM, QUIBUS JUDICIA JURATORUM DEFENDUNTUR, EXPOSITIO.

Absolutis superiori capite praecipuis, quae a judicii jurati adversariis afferuntur, argumentis, jam videamus, quid ab ejus patronis dicatur. Propositae quippe quaestionis menti naturalique rerum ordini videtur consentaneum, ut impugnationem excipiat defensio.

In hujus autem capitis argumento plerumque brevioribus esse licebit, cum et eandem, quam in praecedenti capite, secuturi simus rationem, easdemque divisiones, et plerasque rerum et verborum notiones, ac generaliores considerationes, supra satis jam pertractatas, repetere supervacaneum ducamus.

Ut igitur, quod supra fecimus, a Democratica Reipublicae forma sumamus initium, eam ubicumque deprehendimus, juratorum quoque judicia, aut hisce simillima reperimus instituta. Nec mirum. In ea enim civitate, ubi summa penes totum populum est majestas, ac singulus quisque civis principis personae moralis, quam dicunt, partem efficit; potestas criminalis uni cuidam civi, aut et perpetuo plurium collegio delata, ipsi Reipublicae principio adversatur et indoli. Hi enim, una cum libero de reliquorum omnium vita, libertate ac civitate judicio, summam simul potestatem acciperent, quae caeteros omnes absolutae voluntati ipsorum obnoxios redderet, cuique nemo ulla vi posset resistere. Ita politica civium tolleretur aequalitas, atque imperantes exi-

existerent et subditi, domini et servi. Sic, apud Romanos, praecipua Dictatoris vis in illimitato jure vitae ac necis erat posita, sed et Dictatura extraordinariam quandam referebat tyrannidem, cui omnis in praesens libertas cederet, quaeque tandem Rempublicam penitus occupavit.

Antiquissimum summumque Atheniensium tribunal, Areopagus, judicibus constabat perpetuis, sed ipsa illa perpetuitate tandem omnis ejus exolevit auctoritas.

Quodsi vero potestas criminalis, in certum ac definitum tempus, uni pluribusve magistratibus committitur, ipsum quidem aequalitatis principium non per se penitus tollitur, quamvis maximum ei periculum afferatur. Summum quippe de vita, de libertate arbitrium, quamvis ad tempus commissum, magistratûs, ultra tempus prorogandi veraeque tyrannidis occupandae praebet opportunitatem, quod Decemvirorum Romanorum historia docuit.

Nihil itaque democratiae natura sinit, nisi ut, aut populus universus judex sedeat, aut, data occasione, per singulos cives judicet, ex tota universitate selectos, duceque usos magistratu, a populo creato selectorumque sententia adstricto.

Si populus universus judicia obeat, quod initio in comitiis Romanis erat usitatum, postea paucis quibusdam in caussis fuit servatum, Democratiae quidem indoli satis est factum, minime vero justitiae requisitis. Primum enim imperans ipse maleficio laesus, propria in caussa judex constituitur, deinde vero, quod de populi prudentia saepe dictum est, multo meliori jure de ejus justitia dicatur, nihil aliud esse populi effata, quam resonatam hujus illiusve demagogi vocem.

Prudentius itaque fuerit alteram sequi viam, populoque creandum permittere magistratum, qui in excutienda caussae controversia sit dux, dum pauci quidam cives, singulas in caussas dati, de malefici noxa judicent. Ita nec unus, nec pauci quidam, neque etiam omnes perpetui existunt in civitate fortunae domini. In multitudine latent judices, neque tamen ipsa multitudo in tribunali collocatur. Ita nec legislator simul est judex, nec judex in legislatorem dominatur. Populare principium libertatis vim suam illibatam servat, cum ex universo populo judices prodeant, neque in ipsis subselliis tanquam magistratus sedeant, sed cives privati maneant, qui, dijudicatâ lite, in multitudinem evanescant. Ipsa selectio sapientiorum meliorumque civium sinit delectum, recusandique facultas de melioribus illis aequiores eximit. Ita merito sperare licet, ut a quieta et prudenti concione omne partium absit studium omnisque temeritas.

Universus quippe populus nihil habet superius, quod timeat, ac ne publicae quidem opinionis censuram reveretur, cum in eo ipso publica illa opinio sit reposita. Singuli

contra selecti judices, tanquam privati, a populo, summa majestate conspicuo, sunt diversi, et quamvis poenam non extimescant, publicae opinionis censuram suspiciunt.

Arctissimum autem illud, quod juratorum judiciis cum populari Republica intercedit, vinculum, cum veterum quorumque populorum historia docuit, tum nostri etiam aevi confirmavit experientia (1). Vix in Francia opiniones de civium libertate et aequalitate, deque summa populi majestate praevaluerant, quin mox juratorum flagitaretur institutum.

Quam vero in democratica civitate necessaria sunt juratorum judicia, tam in mixta Reipublicae forma utilia sunt et commendabilia.

In civitate scilicet ita constituta summae potestatis partes separatae, ipsaque secretione sua, continuo virium certamine continua inter se pugna sunt disjunctae, indeque omnis vitae politicae vires oriuntur, ipsumque perpetuitatis subsidium proficiscitur. Unaquaeque harum potestatum caeterarum praebet libramentum, caeterasque ita circumscribit, ut singulae quaeque, terminis suis contentae, et suam ipsarum et caeterarum simul salutem promoveant.

Verum nec pondera, nec vires ullae, humana prudentia, ita possunt aequari, ut quietam perpetuamque servent aequilibritatem, cum omni ejusmodi ponderi velut natura sit insitum, ut in suam partem inclinet praeponderans, omnisque vis talis ultra fines suos tendat, oppositamque sibi vim infringere nitatur.

In tali itaque, viribus suis divisa, civitate, cui tandem potestati vim puniendi adjunxeris, pariter Reipublicae forma subvertitur, omnisque virium aequilibritas deletur.

Si populo jus puniendi tribuas, non tantum exsequens civitatis potestas claudicat, sed et ab eo pendet, num regiae dignitatis defensores, num potentes, quibus ideo fere invidet, quod sunt potentes, quos odisse solet, quia principis thronum defendunt, pro libidine sua velit opprimere. Si contra senatui eam concedas, qui populi personam sustinet, in hujus manu omnis Reipublicae sors et fortuna collocatur. Si denique principi concederetur liberum puniendi arbitrium, omnibus a sese dissentientibus facile imperaret, atque ita et eos sibi obnoxios redderet, qui leges Reipublicae fundamentales re aut verbis adversus ipsum defenderent. Ita princeps legum evertendarum potestatem haberet, cum primum eam habere vellet. At, in ejusmodi quidem rebus, modo potestas adsit, mox voluntas subsequitur.

In tali itaque civitate juratorum judicium unicum est momentum, quo diversae potestates aequaliter appendantur, impediaturque, ne continuo collisu alia aliam subvertat, to-

(1) Cf. de hoc argumento *Feuerbach* op. saepe cit. Cap. 2 init.

totiusque Reipublicae ita constitutae fundamentum conteratur. Regi quidem maleficos accusandi, poenasque irrogandi facultas tribuenda est, at regiae huicce potestati juratorum judicia sunt objicienda.

Ea est politica illa judicii jurati praestantia, quam tantis inter Anglos laudibus efferre solent historici una et JCti, quamque tanquam prudentiae humanae opus palmarium philosophi considerant (1).

Id adeo perceptum habuerunt, quicumque tyrannidem affectarunt, reges Anglorum, ut non solum a tributis ex arbitrio imperandis, sed et maxime a labefactandis juratorum judiciis initium sumserint. Ex quo vero monarchica Reipublicae pars, corruptela in systematis formam redacta, populari ejus parti coepit praevalescere, magis magisque in dies juratorum coarctatur jurisdictio, caussaeque paullatim plures et majores ei detrahuntur (2).

Sed hisce de proprie dicta Republica populari, deque divisa et limitata monarchia dictis; jam ad monarchiam aristocratiamque indivisam accedamus.

In his quidem, ut ex solo jam nomine apparet, non eum habere possunt usum juratorum judicia, ut diversarum imperii partium certam quandam afferant aequilibritatem; at alia tamen complura, eaque minime contemnenda pariunt commoda. Si enim indivisa quidem sit, at lege tamen fundamentali aut moribus, consuetudinibus aliisve circumscripta formis; praecipuum hocce commodum habent juratorum judicia, quod senatum, populi personam referentem, quodammodo suppleant, eumque in Republica sensum alant vere civilem, eam animorum constantiam ac firmitatem, quae ad principem a violandis moribus illis aut legibus refrenandum adeo egregie est comparata.

Si vero non solum indivisum, sed et plane illimitatum sit imperium, veramque adeo et genuinam civitas despotiam referat, ea quidem judicii jurati evanescit utilitas, ac fatendum sane, in tristi adeo imperii conditione, subditorum felicitatem, longe majori pro parte, ab imperantis indole pendere ac moribus, qui si Titum aut Antoninos referant, delicias generis humani regem efficiant, si contra Domitianum aut Elagabalum exprimant, immenso malorum voragine et illuvie cuncta ingurgitent.

Sed quamvis vel optima quaeque, in pessima imperii forma, pessimo a principe possint opprimi; nihilominus, quaecumque tandem sit illa imperii forma, multa, eaque feracissima rerum optimarum semina continet judicium juratum. Arctissimis enim vinculis civem patriae ac societati civili adstringit, humanitatis ac civitatis sensum gignit, alit,

(1) Vid. *Montesquieu*, Esprit des Lois XI, 6.

(2) De hocce loco consulendus *Feuerbach*, op. l. p. 63 sqq.

alit, confirmat (1), subditorum voluntatem ac studia principi conciliat, qui non velut ignavum pecus stimulis tantum sese fodi ac propelli sentiant, sed honorem sibi benevolamque fidem haberi, prudentiam, consilium, deque salute publica sollicitudinem ac curam sibi tribui sentiant (2). Legum denique reverentiam excitant, quas non innocentiae laqueos nectere videant, sed justitiae et securitatis praesidium continere firmissimum, judiciorumque dignitatem et amplitudinem tuentur, quippe quae, non velut in occultis conjuratorum latebris haberi, sed palam et in conspectu civium institui, publicaeque omnium censurae subjici noverint.

Nihil scilicet magis commune est, quam ut populus magistratum judiciarium, tanquam coecum legum custodem et exsecutorem, ab omni reliqua vitae communis societate, omnibus reliquis vitae negotiis remotum, inque applicandis interpretandisque legibus unice versantem considerare suetus, multo minorem in sententiis ab eo latis fidem collocet, quam si eas ab illis pronuntiatas videat, qui ex medio populo, ex mediis hominum necessitudinibus, ipsaque vitae communis conjunctione et societate prodeunt, nec ad pulverulentam legum farraginem, sed ad communia sanae rationis praecepta judicium suum exigunt, idque palam, praesente populo, pronuntiant, absolutoque officio, ad pristina redeunt negotia, et a quibus, cum ab ipso reo sint comprobati, nec partium studia, nec severitatem nimiam, nec alienas a populi moribus opiniones exspectant praejudicatas.

Maximopere vero augescit, quod judiciis pondus tribuitur a civibus, cum ab iis judicari videant, qui, non magis quam ipsi, nec studiis et institutione ad judicandi munus informati sunt, nec superius ullum principis habent mandatum, nec occultis ducuntur consiliis: cum sibi persuadere possint, sententiam non esse arbitrarium quoddam potentis jussum, sed necessariam et aequam ipsius maleficii consecutionem, ex arcto noxam inter et poenam vinculo natam: ac tandem secum ipsos reputent, aliquando et sese ad sanctissimum illud munus posse evocari, atque ita easdem sibi obligationes tum incumbere, iisdem sese uti juribus.

Quantopere denique augetur pondus, quod quisque in amicorum, familiarium, vicinorum, de vita, moribus factisque suis aestimatione collocat, cum secum ipse cogitat, fieri quidem posse, ut eos ipse judices sortiatur, si quando maleficii arguatur (3).

De-

(1) Cf. *Meyer* op. cit. III, 12. T. II. p. 206. et *Feuerbach*, Erklärung etc. p. 27.

(2) Vid. *Mittermaier*. op. cit. p. 35. not. 36.

(3) Vid. Briefwisseling van eenige Regtsgeleerden (Mr. *J. D. Meyer*, Mr. *H. W. Tydeman*, enz.) over de aanstaande Nederlandsche Wetgeving, zesde stukje, p. 513 sq.

Denique vero occultas et latentes animi dotes eliciunt juratorum judicia, eas in lucem protrahunt et in publicum evulgant.

Brevi, tantum abest, ut ab indivisae monarchiae ratione aliena sint, ut contra in ea quoque uberrimos utilitatis fructus afferant. Id quidem, uti ex dictis apparet, ita et omnium temporum, omnium populorum historia confirmatur. Num quid Augusti dignitatem minuerunt pedaneorum judicia, quibus vel ipse saepius praeesse consueverat (1)? Num quid Trajano detraxit, quod vel in fiscalibus caussis, ut Plinius ait (2), „sors et urna judicem assignaret"? An minus rex, minus potens erat Fridericus Magnus, cum civis quidam Berolinensis, cui quid rex erat minatus, se minas illas nequaquam extimescere responderet, quod Berolini adesset Curia Cameralis (3)?

Contra in ipsis illis monarchiis indivisis, in quibus maxima erat vis imperii, diutissime stetisse constat juratorum judicia, aliave iis simillima instituta.

In Russia Catharina II., celebri illo mandato, ad collegium legibus conscribendis creatum dato, tale sese institutum desiderare, haud obscure significat (4). Napoleon vero illimitatum gerebat imperium, at nihilominus juratorum judicia in Francia confirmavit, et in subactas regiones protulit. Borussiae rex in provinciis suis Rhenanis eamdem judiciorum formam servavit, abolitamque restituit. Quin milites ipsi, quod hominum genus, omnes apud gentes, coeca regitur obedientia, simillimo juratis utuntur instituto. Judicia quippe militaria (*Krijgsraden*) judicibus ubique constant indoctis, ex omnibus militiae gradibus lectis, ac secundum intimam animi conscientiam judicantibus.

Verum satis jam intelligitur, judicia jurata, quamvis non eadem in omni civitatis forma secum ferant commoda, nusquam tamen esse penitus inutilia, nec ulli Reipubl. formae contraria. Quod autem de corruptelae occasione, quam praebeant, de nimia festinatione, caeterisque similibus adfertur ab adversariis, omni penitus caret fundamento.

Quod quidem arguunt, non omnem prorsus a juratis remotam esse corruptelae suspicionem, cum principes magistratum, conscribendis juratis praepositum, sibi obnoxium habeant, atque ita vel tyrannidis satellites curare possint seligendos, vel alios jam selectos donis et muneribus aut verborum artibus corrumpere, hoc ipsum eorum argumentum evincit, quantum perpetuis judicibus praestent jurati. In hos enim tyrannus, per magistratus demum sibi obnoxios, vim suam exserit, illi contra ipsi tales sunt magistratus, jam vi muneris ipsi obnoxii.

Sed

(1) *Suet.* in ejus vita c. 32. (2) Paneg. c. 36. (3) Briefwisseling etc. p. 520. (4) Eod.

Sed primum quidem nescio, an non alia magis commoda juratorum seligendorum ratio possit excogitari: si non possit, at leviorem itaque jurati praebent corruptelae suspicionem, judices certe perpetui vel praegnantem sustinent. Brevi, non aeterno illibatam fidem judicia jurata spondere contendimus, sed tantam, quanta per rerum hominumque possit haberi fragilitatem (1). Quodsi vero ne peritissimus quidem artifex horologium possit conficere, quod perfectissime semper movetur, anne ideo a rudi quodam ferramentario perfectius opus sperare licebit? Num, quod ne Hippocrates quidem omnes sanare morbos potuerit, ideo, non medicos probe doctos et longo rerum usu exercitatos, at pharmacopolam potius circumforaneum quemdam adhibendum dixeris?

Quod deinde contra praesidis illam orationem adferunt, eam, secundum leges sic institutam, ut ejus non aperiatur opinio, nullam penitus habere utilitatem, id a genuina rei veritate longissime est remotum. Eo enim omnis illa valet oratio, ut, si quod ab accusatore publico aut a reo ejusve patrono praetermissum sit momentum, aut si quid legibus alterutram in partem sit constitutum faventius, id a praeside juratis ob oculos ponatur, imprimis vero, ut quaestionum, iis propositarum, vis et significatio illustretur (2). Insuper autem non ad ipsam judicii jurati naturam ea pertinet oratio.

Festinatio vero, quam in juratis judiciis arguunt adversarii, nobis quidem maximam habere videtur utilitatem. Mox enim post peractam caussae tractationem, cum omnium recentem adhuc imaginem animo servant impressam, omnium argumentorum vividam adhuc et indelibatam vim experiuntur, multo sane rectius judicare poterunt, quam ubi longiori temporis intervallo, intervenientibusque vitae negotiis, haec jam sunt obliterata (3). Idque universe praesentis caussarum examinis, prae scripta illa et commentariis comprehensa earum tractatione, evincit praestantiam. Nec est quod ab Anglis Francisque carcerem, sitim, famem, ad properandam juratorum sententiam, adhiberi dixeris. Horum scilicet abstinentia illud perficere voluerunt, ut revera deliberarent jurati. Si eos post peractam cognitionem discursitare siveris, et multo facilior majorque adest corruptelae occasio, et vero sententia, quam diutissime sic forte procrastinaretur. Si cubiculo quidem exire vetares, at potum cibumque iis apponeres, edendo, bibendo nugandoque tempus consumerent, ac, veterum instar Germanorum, inter pocula de rebus gravissimis consilia caperent. Jam vero ipsum illud juratorum taedium eos impellit, ut opiniones suas inter se communicent easque, plurium quasi manibus versatas et inter se attritas, magis proferant expolitas (4).

Quod

(1) *Meyer*, Inst. Jud. III, 12. T. II. p. 202.
(2) Exposé des Motifs etc. ad Art. 336. p. 97.
(3) Vid. Brielwisseljng etc. p. 528.
(4) Vid. *Cauard*, op. c. p. 93.

Quod denique judicia jurata provocationem non admittant, id maximam eorum praestantiam denotat, quippe quae simplex naturae judicium, omni hominum judicio superius, contineant (1).

Exempla vero tyrannidis in regione judiciis juratis usâ, nil quidquam probant, nisi prius constet, tolerabiliorem eorum tyrannorum futuram fuisse immanitatem, si iis in regionibus judicia fuissent perpetua.

At contra potius existimem, vel iis temporibus haud contemnendum in judiciis juratis esse contra tyrannos praesidium; his enim nihil solet esse jucundius, nil magis acceptum, quam ut per satellites suos, juri dicundo praepositos, speciosa legum auctoritate libertatis defensores opprimant.

Sed haec de arctiori illo, quod judiciis juratis cum varia imperii forma intercedit, vinculo dicta sufficiant; superest ut de proprio iis privoque dicatur aequalitatis commodo.

Nimirum vel unicam illam rei cum judice aequalitatis laudem haberet, ut tamen sapientissimum omnibusque populis et temporibus maxime commendabile dicendum esset institutum.

Grave profecto est accusari, in judicii discrimine versari, de bonis, de libertate, de capite periclitari, sed quid est, quod possit excogitari gravius, quam apud eos accusari judices, qui potentia et imperio longe supra reum elati, de sublimi velut fortunae culmine in squalidam et abjectam rei despiciunt humilitatem, qui aliis imbuti artibus, aliis eruditi disciplinis, aliis nutriti commodis, rei mores, opiniones, negotia ac totam denique fortunam ignorant. A judicibus remotus, miser ac derelictus, imoque in carceris velut sepulcro conditus, nec accusatorem, aut testes, aut delatorem, aut judices videt auditve, nec ipse ab iis adspicitur vel auditur. Nec rei, nec testium, nec defensoris ad judicem vox ulla penetrat, nisi, quae prius emortua, frigidis commentariorum sit condita literis. Miser reus, omni solatio, omni auxilio orbatus, stat ante quaesitorem, qui intimo forte jam animo supplicium decrevit et eruendis congerendisque nocentiae quam plurimis exemplis, omnem verti muneris dignitatem existimat. Fraudibus et astutiis cingitur, ambiguarum quaestionum laqueis innectitur, quin et a placentibus quaesitoris satellitibus pulsatur, caeditur. Jusserint forte leges, ne quod reo vi extorqueatur responsum, ne quid addatur, detrahatur, immutetur. At nihil vanae proficiunt, quae nullum observantiae momentum

(1) Briefwisseling, p. 526 et 527. Ubi contra lapsos esse constat juratos, aliquando remedium cassationis, quod dicitur, leges suppeditant. Code d'Instr. Crim. Art. 351.

tum continent, nullam fidei et veritatis cautionem offerunt. Quod quaesitor jusserit, in chartam scriba conjicit; reus, vel metu, vel ignorantia, hunc scribere, illum dictare sinit. Vinclis tandem onustus, diuturno carceris squalore confectus, solo de carcere solum ac desertum in judicium rapitur, ab inhumanis judicibus, densum praecordiis callum gerentibus obductum, condemnatur, atque ultimum tum faciem videt humanam, ultimum tum coelum suspicit, vitales ultimum tum auras carpit, quum semimortuus ad supplicium trahitur.

Defensor ipsi forsan conceditur, colloquium cum eo permittitur, sed circumstantibus undique speculatoribus. Sic apologia quaedam secundum acta conscribitur, quae, si vel optima sit, nihil aliud continet, nisi quod ex actis jam ipse judex intellexerit, nec ullius unquam oculis conspicitur, nisi judicis, qui quantum ei tribuere velit momentum, ipse decernit.

Huic fidae veraeque judiciorum perpetuorum imagini si juratorum judicia contuleris, summum referunt ingenii prodigium, perpetuum humanitatis monumentum, a libertate conditum, a sapientia absolutum, ipsa sublimi et nativa simplicitate sua decorum.

Vinclis solutus reus in judicium prodit, peritus defensor ipsi adsistit, cives suos, a se comprobatos, sibi cognitos, omnique injuriae suspicione superiores, judices accipit; a vi et minis tutus testes ipse praesentes audit, interrogat, inter se comparat, eorumque fidem aestimat, dijudicat, criminis indicia, signa, instrumenta, si quae afferuntur, coram videt, tractat; accusatorem praesentem audit, ejus argumenta ponderat, refellit, caussam suam, vel ipse, vel per alium peritiorem defendit. Adsunt frequentes de populo, adsunt ejus amici, cognati, qui accusatoris testiumque censuram agunt. Brevi, quidquid fit, quidquid agitur, ad hominis civisque dignitatem egregie est compositum.

Quodsi autem non eandem in omni Reipublicae forma utilitatem egregium adferat institutum, at eam tamen adferre sinamus utilitatem, quam in omni omnino civitate adferre possit ac debeat, nec, quod vel optima quaeque in abusum aliquando a pessimis converti possint hominibus, id salutarem eorum usum impediat (1).

At, dixerit forte quispiam, quaecumque de judiciis perpetuis deque juratorum instituto hucusque disputata sunt, ea non horum prae illis praestantiam demonstrant, sed publicae praesentisque cognitionis, prae altera illa secreta et occulta, excellentiam evincunt (2). Quamvis ea de re multum sane possit disputari, atque ita forte ostendi, ar-

(1) Consulatur *Feuerbach*, Op. all. Cap. I. versus finem.
(2) *Feuerbach*, Erklärung etc. p. 22.

arctiorem esse, quam vulgo credatur, quae utrique judiciorum formae cum diversa examinis ratione intercedit conjunctio, atque id certe constet, juratorum institutum cum publica caussarum tractatione praesentique examine necessario esse conjunctum; attamen, ne a proposito longius aberremus, hoc in praesenti quidem disputatione mittamus, cum satis firma satisque multa vel sic nobis restent argumenta, quibus eximiam probemus judicii jurati praestantiam.

Magistratus scilicet, qui sese judicandi muneri totos addicunt, in caussisque cognoscendis unice versantur, paullatim a societatis civilis negotiis, rationibus ac necessitudinibus abalienantur, ac novam inter se societatem, novas necessitudines contrahunt. Magis magisque populus in iis magistratus suos videre adsuescit, atque ita veritati, quam nudam ac non fucatam rarius intuentur, investigandae minus fiunt idonei. Multis persuasionis carent momentis, eorumque inter se nexum minus perspiciunt: diversa civium negotia, diversas rationes, non ita perspiciunt, nec delatorum, testium, reorum fidem satis valent discernere, nec multiplices illas et occultas possunt investigare veritatis vel celandae vel detorquendae caussas, imprimis si latius eorum jurisdictioni subjecta regio pateat.

Jurati contra privati sunt, in medio civium consortio viventes, qui omnes reorum testiumque rationes, utilitates multo melius habent perspectas, atque ex multifariis ad personam, rem, locum tempusque relationibus, ex majori rerum verborumque cognitione, uniuscujusque facti dictique, pro diverso regionum situ et conditione saepius maximopere diversi, vim et sententiam multo melius intelligunt, quam peritissimus maximeque exercitatus judex ullus.

Deinde quotidie docet experientia, magistratus judiciarios idoneis studiis et institutione ad munus suum informatos usuque exercitatos, difficilius auream illam tenere medietatem, sed, vel nimia severitate, vel intempestiva facilitate et indulgentia, aut miris quibusvis ac singularibus opinionibus, quas susceperunt, alterutram plerumque in partem deflectere. Nimia plerumque severitas junioribus adhaerescit theoreticis, longa nondum experientia subactis, dum seniores illi judices, qui saepius a pejori parte genus humanum cognoverunt, callo velut obducti dolum ubique et improbum peccandi consilium deprehendunt, ubi revera vel innocentia adest, vel minor certe gradus malitiae. Multi contra, qui, sive naturali humanitate, sive animi imbecillitate, sive hoc illove exemplo deterriti, severitatem abhorrent, miros quosdam reperiunt exitus, quos nemo facile invenerit, nisi qui omni ope condemnationem effugere velit; atque ita in Scyllam incidunt, dum Charybdin vitare volunt. Nonnulli denique longo rerum usu ducti, proprias sibi arbitrariasque adsciscunt legum applicandarum

et interpretandarum regulas, quas longa sententiarum serie confirmatas deprehendunt, vel certe deprehendere sibi videntur. Verbo, pauci sunt magistratus, qui officium, per se lubricum ac difficile, per omnia perfectissime exsequantur, aut exsequi pergant, postquam aliquo jam tempore munere suo functi sunt (1).

Talia vero non est quod juratis objiciamus judicibus, cum nec ad res judiciarias sint instituti, nec in iis tanquam in vitae munere versentur, identidemque demum, data opportunitate, ad officium illud civile evocentur, atque ita, nec severius aut inconcinnius applicatis doctrinae principiis, nec humanitatis despicientia, ex continuo maleficiorum spectaculo orta, ad nimiam duritiem ferantur ac severitatem. Et quamvis ita ad nimiam forte indulgentiam et lenitatem, severitati nimiae longissime sine dubio anteferendam, videri possint proniores, experientia tamen ab hac quoque reprehensione juratos vindicavit (2).

Quod autem ad vexatam adeo, ludibrioque ab adversariis habitam, attinet conditionis, quam desiderant, aequalitatem, innumerasque illas inde natas difficultates, non alium hae fontem habent, quam ineptam rerum verborumque repugnantiam, quam ex ingenio suo juratorum instituto affingunt. Uti enim ex universi populi judiciis orta sunt, ita et privatos, universo de populo selectos, judices requirunt judicia jurata, minime vero stolidam illam in omnibus aequalitatem absolutissimam, quam nullam haberi posse certissimum est. Quamvis enim natalibus, ordine, divitiis, vitae munere et officio, religione, aetate multisque aliis accuratissima intercederet aequalitas, quis quaeso et corporis habitu, moribus, indole, ingenio et doctrina, aliisque innumeris duo, nedum plures, ad unguem aequari posse crediderit.

Quod solum requirit juratorum notio, id est, ut, non perpetuo judicandi munere ornati homines, sed aequi, ab accusatore et reo comprobati, e sapientioribus, quantum possit, melioribusque civibus, ad unam paucioresve quasdam caussas, lecti privati judicent, quorum in eo versetur aequalitas, quod communi civitatis vinculo cum reo sint conjuncti, nec, munere aut conditione sua a reliqua civium universitate et consortio sejuncti, cumque iis perpetuo commodorum et utilitatum pugna compositi (3).

Haec

(1) Briefwisseling, p. 504 sqq.

(2) In Francia scilicet nonnullis de caussis cognoscere judices perpetuos speciales, notum est. Ex accurata autem computatione caussarum, annis Reipubl. Francicae X et XI Parisiis dijudicatarum, patet ex 193 reis, 66 a tribunalibus specialibus fuisse absolutos, dum á juratis ex 788, tantum 209 sint absoluti. Cf. *Bourguignon* l. c. Mem. 2. p. 71. Mem. 3. p. 92. et Briefwisseling, p. 507. not. 1.

(3) Briefwisseling, p. 521.

Haec unica est aequalitas, quam Angli, Franci, Borussi, quin et veteres quodammodo sectati sunt Romani; eamque quin facile assequi possimus, quis est qui dubitet. Omnes contra, quas illi jactant difficultates, ex eorum cerebro, ineptiarum feracissimo, natae sunt.

Quod autem jactant, cultiores de populo, affinibus jurisprudentiae studiis informatos, exquisitiorique institutione excultos, ne satis quidem apto ingenio ad judicis munus accedere, totum inane est. Hos enim idoneos existimare judices, ubi certae legibus definitae sunt probationum regulae, quantopere esset absurdum, tantopere ab omni veritatis specie remotum est, contendere, ne in ea quidem judiciorum forma, ubi, repudiata inani illa farragine, ex praesenti caussae examine sententia petitur, homines sana, licet juris disciplina non subacta, ratione praeditos, non aeque de culpa vel innocentia posse decernere, quam doctissimos quosque et maxime exercitatos JCtos (1).

Itaque non est quod Francicos reprehendamus legislatores, qui ex iis civium ordinibus, quibus ditiores imprimis et honoratiores continentur cives, juratos legi voluerint, non quod divitiis aut honoribus iis metienda visa sit sapientia, sed quod tales imprimis ingenium excoluisse judiciumque suum videantur acuisse, iique, universe sumti, gravioribus plebeculae erroribus et ineptiorum opinionum commentis superiores existimandi sint.

Ita quidem judicii jurati, politice considerati, praecipua exposuimus commoda; de incommodis autem quibus premi dicitur, quid sit habendum vidimus; restat ut de quibusdam minoris momenti difficultatibus dicatur.

Sic v. c. publicum, omnibusque accessum caussarum criminalium examen moribus prima fronte videtur noxium, cum junioribus maleficis delinquendi scholam aperiat.

At contra experientia probavit, eo publicam valere cognitionem ac libertatem defensionis, ut callidorum praetextuum argutarumque excusationum nuda palam ostendatur inanitas.

Deinde civibus perquam molestum esse dicitur, saepius a negotiis avocari, ad obeunda judicia, maximaque eorum arguitur ignavia. Sed primum quidem, licet verissima essent, quae de civium illa dicuntur ignavia, nil quidquam tamen ad judicia jurata vel abroganda valerent vel non inducenda. Quam pauci sponte militiae nomen profitentur alacres? Quis est, qui lubens tributa persolvat? Anne vero ideo militia aboletur, tributa non imperantur? Immo vero. Nec magis etiam, propter turpem hujus illiusve ignaviam, in exsequendo munere utilissimo, eoque vere civili, egregii juratorum institu-

(1) Eodem p. 497.

tuti (1) abjicienda sunt commoda, sed praemiis potius cives incitandi erunt, poenisque cogendi. Praeterea vero, quid de communi illa omnium ignavia, quam caussantur, existimandum sit, abunde nostri temporis historia docuit (2).

Denique legitimi cujusque instituti naturae contrarium esse dicunt, ut ejus pars ulla ex arbitrio pendeat, quod in juratorum judicio locum habeat, ubi non ex legis cujusdam regulis, sed ex intima animi conscientia dijudicetur vis probationum.

At primum, si legibus ea probandi ratio sit comprobata, non amplius est arbitraria, sed revera legitima. Deinde vero, quod ad hanc quidem difficultatem attinet, judicii jurati eadem est atque omnis alius judicii ratio. Juratus ad sanae suae rationis normam, sibi a legislatore commendatam, judex vero vulgaris ad praeceptum aliquod lege sancitum judicium suum exigit. Tandem vero, non possunt, humana ulla prudentia, tales excogitari probationum regulae, quae non extremo ad merum judicis arbitrium redeant. Dixerit v. c. legis auctor: quod a duobus probatae fidei testibus asseveratum sit, id verum reputabitur, plenamque vim probandi habebit. Unde jam pendet, utrum probata testium fides sit habenda. Sed addiderit etiam lex, quid in teste requiratur, quo plenissimam fidem mereatur. Ita removetur difficultas, non tollitur. Utrum enim hoc illudve requisitum adsit, unde, si non ex arbitrio suo, judex decernat?

Sed ex hisce, ni fallor, cum abunde jam intelligatur politica judicii jurati praestantia, eorumque, quibus oppugnari solet, argumentorum vanitas; ad alterum jam hujusce capitis locum accedamus, quidque ad strictam legum exsecutionem valeat, inquiramus.

In hoc autem loco eundem iterum, quem praecedenti capite secuti sumus, ordinem servaturi, primum ostendere conabimur, juratorum judicia ad sanam et commendabilem legum exsequutionem, natura sua, egregie esse comparata, deinde vero juris quaestionum, cum facti quaestione saepius conjunctarum, eam esse indolem, ut a juratis multo melius quam a JCtis dijudicentur.

Quod ad primam hujus loci partem attinet, omnis in eo quaestionis cardo vertitur, ut investigetur, utrum ad eruendam in caussis criminalibus veritatem, sana quidem sed inculta ratio magis sit accommodata, an vero docta illa et jurisprudentiae studio exculta.

Primum quidem ante omnia est observandum, maximum esse, mathematicam inter et hi-

(1) Ita multos Amstelodami negotiatores tribunali de rebus mercatoriis adscriptos, suam assiduo missionem flagitasse, ipsum tamen tribunal ne aboleretur, vehementissime obnixos fuisse, refert Ampliss. *Meyer*, Briefwisseling, p. 5[illegible]7. not. 1.

(2) Haec ipsa scribens, ex ephemeridibus comperio, praecipuam caussam, quare novi codicis criminalis schema a supremo regni Polonici Senatu sit repudiatum, eam esse, quod judicia jurata in eo desiderentur.

historicam fidem (*zekerheid*), discrimen. Mathematica nimirum fides ita est comparata, ut, quod ei adversetur, id locum habere nequeat. Eam non nisi illis in caussis assequi possumus, in quibus argumenti naturam penitus habemus perspectam, atque ex illius proprietatibus ipsam derivare licet probationem. Eam, praeterquam in abstractis illis notionibus, cogitatione sola informatis, quibus mathematicae nituntur disciplinae, nobis comparare non possumus, adeoque in legibus quidem ferendis applicandisque, ac si nulla prorsus adesset, praetermittere possumus.

Historica fides contra nunquam adeo potest esse indubitata, ut contrarium ejus verum esse non possit, semperque ea erroribus manet obnoxia. Nititur quippe sensuum observationibus et perceptionibus, aliorum testimoniis, agnitione et conclusionibus, in quibus omnibus multis opus est cautionibus, latusque patet campus erroribus. Utriusque discrimen in eo est positum, quod illa certum quoddam internum contineat, convenientia notionis cum semet ipsa, seu universali veritate constans, haec vero certum quoddam comprehendat externum, quod in cogitationis cum facto, extra nosmet posito, convenientia versatur, atque in particulari quadam et indivisa veritate suum habet fundamentum.

Jam vero haec, qua tandem ratione, regulis possit adstringi? quomodo ante definiatur id, quod in unaquaque caussa obvenienti diversum est, ac natura sua non potest non esse diversum? Quaecumque leges itaque probationum regulas constituunt, aut latius patent, quam par est, aut (1) arctius, nec minus favoris afferunt nocentibus, quam periculi innocentibus. Veritas nimirum non in ipsis rebus est posita, sed in convenientia judicii nostri cum eo, quod factum est: ea non potest vinculis alligari, nec altera caussa alteri aequari. Si jam intima judicis conscientia omnia comprehendit momenta, quae veritatem patefaciunt, cur alia requiramus, sin minus, unde ea quaeso petamus?

Cum itaque nec dari possint nec debeant probationum regulae, sed judex ex propriis sensuum perceptionibus, ex rei responsis, testiumque assertionibus, ex eorum habitu, affectibus reliquisque signis et indiciis privam sibi propriamque informare debeat persuasionem; quicumque sanis sensibus integroque gaudet judicio, pariter, quid factum sit, quid non, dijudicare deque rebus sibi persuasionem informare potest.

Quicumque scilicet in hominum vivit societate, assidua utilitatum communione aut re-

(1) Briefwisseling, p. 472 sqq. Nec habet quo negativa illa probandi ratio, quam extollere solent, reis favere videatur. Quod enim inde beneficium habent, ubi ab adversario aliquid probandum est, id maxime rependunt incommodo, cum a sua parte aliquid probare cupiunt.

repugnantia aliis cum hominibus componitur, cumque omnes sese invicem circumveni-re, consiliaque sua aliis dissimulare laborent, quoties utilitas eorum exigit; omnes pariter utilitatibus suis impelluntur ad aliorum actiones observandas externamque, quam prae se ferunt, speciem iis detrahendam, ut adeo per totum vitae spatium semet invicem cognoscendis studere, merito dicantur homines.

Ad comparandam autem illam animi humani notitiam, nec praeceptis, nec regulis indigemus, nec magistris: nec quidquam tamen est, quod certiori via et methodo discamus; cum et propriis impellamur utilitatibus, et experientia regamur, quae assiduo errores corrigit.

Itaque animi humani notitia omnibus hominibus est communis, licet non in omnibus adsit aequalis, sed, pro diversa ingenii sagacitate, diversoque experientiae modo, diversa. Omnes omnino homines ordinis rerum moralis tenent leges, quemadmodum physicus naturae, astronomus coeli, chemicus affinitatum tenet leges, quia, ut in memoratis disciplinis hi, ita in legibus moralibus illi studium suum et operam collocarunt.

Ea vero est moralium legum scientia, quae in jurato requiritur.

Quicumque in judicium adducitur maleficus, quantum quidem in ipso est positum, omnia adhibet judicum circumveniendorum veritatisque celandae subsidia. Judices autem, in ipso cognoscendo perspiciendoque occupati, nihil faciunt, quod non unusquisque faciat quotidie, cum aliorum, fraudem sibi parantium, consilia investigare studet ac interpretari. Perinde cum maleficus actionum suarum momenta rogatus, talia caussatur, quae legibus rerum moralibus non conveniant, ex eadem illa legum moralium scientia responsi illius vis ac pondus sunt aestimanda. Totum igitur juratorum officium ex majori minorive pendet animi humani notitia, nec ullum requirit studium, ullam scientiam, quae non omnibus pariter hominibus sit communis. Ab omnibus quidem potest sustineri, iis vero prae caeteris defertur rectissime, qui animum humanum prae caeteris optime nosse censendi sunt (1).

Jam vero eam in rebus quotidianis perspicaciam, eum usum et experientiam, unde omnis hominum haurienda notitia, multo majorem frequentioremque in hominibus deprehendimus, vitae quotidianae negotiis occupatis, iisque exercitatis, quam in doctore umbratico, qui studiis suis librisque insudat unice, in iisque forte videt acutum, in caeteris vero plane coecutit.

Quam miras et inauditas sententias nimia illa et perversa doctae rationis sagacitas pro-

(1) Cf. *Canard*, op. cit. p. 15 sqq.

protulit, quanta quamque multa systematum monstra peperit, quae in sanam profecto et naturalem rationem nullo unquam cecidissent modo.

Quae cum omnia sic sese habeant, non est profecto quod dubitemus, quin juratis, ex sanae rationis lumine judicantibus, multo tutius caussarum criminalium mandetur decisio, quam eruditis judicibus, qui vanis systematum praestigiis oculos habent praestrictos. Atque ita quidem, in plerisque caussis, strictae plenissimaeque legum executioni optime prospectum esse censeam.

Sunt sane nonnulla crimina, in quibus, longe prae judicibus perpetuis, reo favere visi sunt jurati, sed tantum abest, ut hocce judicii jurati incommodum ducamus, ut potius maximam eorum commendationem habere videatur.

Etenim qualia quaeso sunt illa maleficia, quibus ita praecipue lenes sese ac faciles praestiterunt jurati, nisi illa ipsa, in quibus leges progressum humanitatis et culturae longo sequuntur intervallo; ubi poenae modus ac ratio obsoletis nititur ideis praejudicatisque prisci temporis opinionibus; ubi poena scripta est actionibus, quae vel in vita quotidiana impediri nequeunt, vel moribus civitatis receptae sunt ac comprobatae; ubi denique leges inter et communia civium vota et desideria pugna deprehenditur, atque a JCtis vituperantur sententiae, quas ipse legis auctor comprobasset. In Anglia v. c. qui alienum animal petulanter occiderit, capite punitur, ita ut ne rex quidem poenam possit remittere. Propter antiquitatis reverentiam lex ea non abrogatur, verum, quod legislatoris fuisset, id jurati sibi vindicant: reum innocentem declarant. Ita infanticidium, quod fere leges capite plectunt, praesenti desperationi plerumque potius, quam destinatae malitiae et improbitati tribuendum est. Interim lex non distinguit, eumque saepe legis hiatum sententia sua explerunt jurati, ream absolvere quam immeritae mortis poenae tradere malentes.

Sed et idem a perpetuis interdum judicibus solet fieri, qui leges poenales, mutatis rerum temporumque rationibus (1) infirmatas, aut extra reliquum omnem poenarum modum collocatas, argutiis suis antiquant, infringunt, vel leniunt, uti ex multis constat sententiis, de infanticidio latis (2). Quid enim aliud est usus fori, qui dicitur? quem alium usum habent collectae tribunalium sententiae, auctorumque commentarii?

Jam si verum est leges esse propter populum, non populum propter leges, legislatoris est ad humanitatis et culturae progressus sese componere, ad publicam semet opinionem accommodare, temporumque rationi servire. Maleficia quippe, quae communi

(1) Quod v. c. in Hollandia fieri solebat, quod ad edictum anni 1614 de furibus.
(2) Vid. Briefwisseling p. 510. not. 1.

ni omnium consensu pro maleficiis non habentur, punire vesanum; poenis ad delicti modum non accommodatis uti, saevum; quod totus cupit populus, id poenis compescere, tyrannicum.

Jam vero si strictis legum verbis minus per omnia serviant jurati, quam perpetui judices, qui ipsa vi muneris, molestiarum metu, promotionum spe, aut aliis de caussis difficilius a legibus recedunt, sponte sequitur, illos magis idoneos esse, qui legislatori indicent, quaenam leges poenales, temporum rationibus minus aptae sint, atque aboleri, mutari aut temperari debeant, atque interim praesentem certe legum earum abusum impediant (1).

Sed de maxima illa commendatione, quam a stricta plenaque, at sana simul et prudenti, legum executione mereantur juratorum judicia, haec dicta sunto. Jam de separandis juris factique videamus quaestionibus.

Omnis nimirum legis poenalis applicatio, ut supra ostendimus, duas ponit quaestiones, alteram de nudo rei facto, ejusque facti noxia, alteram de legis applicatione. Haec ad solos pertinet JCtos. Anne vero idem de illa dicendum? Constat quaestiones, quae juratis proponuntur, atque ipsa vi sua et indole necessario debent proponi, non solum id, quod factum est, amplecti; sed et moralem facti aestimationem, definitionemque criminis lege expressi, quo factum illud sit referendum: ut adeo responsum, quatenus ad posteriorem quaestionis partem redditur, peculiarem exigere videatur legis scientiam. Si quis ex. gr. furti accusatur, cum effractione conjuncti, non tantum dijudicandum est juratis, num res alienas contrectaverit, ac num quid fregerit; at simul utrum contrectatio illa et effractio ipsi possit pro furto, cum effractione commisso, imputari. Si quis falsi arguitur, non tantum, in subscriptione falsa v. c. videndum, an reus subscripserit, at simul an subscriptio illa crimen falsi constituat.

Sed et hanc difficultatem fundamento destitutam esse, apparet, si reputamus unumquemque sibi ipsi conscire, quid noxium sit, quid innocuum. Non magis, quam in eundo, aut in caeteris corporis motibus, mechanices leges novimus, quas observamus; non magis quam doctrinam de aequilibrio addiscere opus est, quo sine periculo per locum iniquum vel inclinatum incedere possimus: non magis legum scientia indigemus, ut quid facere liceat, quid contra, nosse, aliorumque actiones dijudicare possimus. Quod si secus esset, leges quoque poenales non nisi JCtis possent applicari, cum aliquem, propter transgressionem praecepti, ipsi ignoti, condemnari maximopere esset iniquum. Atque ita si furti, homicidii noxa, non nisi ab iis posset aestimari, qui ju-

(1) Briefwisseling p. 511.

jurisprudentiae operam dedissent, quo quaeso jure furem aut homicidam, honoribus academicis non ornatum, damnaremus, qui furantem aut homicidium perpetrantem sese delinquere, nullo modo scire potuisset.

Neque id de maleficiis tantum universe acceptis valet, sed et de variis maleficiorum gradibus. Qui enim scire non potuit, hoc illove momento augeri criminis gravitatem, propterea graviori poena plecti non potest, nisi omnem a poenis abesse velimus aequitatem. Quodsi fieri posset, ut aliquis nesciret furtum, cum vi aut effractione conjunctum, gravius esse quam simplex furtum, nulla profecto caussa esset, quae graviori poena prosequendum esse suaderet, effractorem hujusce legis ignarum, quam furem quemvis communem.

Jam si reis ea scientia potest tribui, eaque in exsequendis legibus tamquam principium possit servari, cur quaeso juratis minorem earum assignemus legum peritiam? Cur quaeso a judice, ad sufficientem legum scientiam, earum studium requiramus, cum eam maleficis, sine ullo studio paratam, tribuamus? Quodsi autem, quod nullo modo potest negari, exercitatus JCti oculus subtiliores criminum distinguit differentias, quae judicem non exercitatum fugiunt; difficilis tamen et vehementer lubrica est quaestio, num ad eas differentias, in applicandis malefico legibus, sine ullo conditionis discrimine, attendi oporteat, an vero, cum et is subtiliores ejusmodi notas ignorasse censendus sit, ita potius sit judicandum, quasi, quod ad eum quidem attinet, nulla subtilior adsit talis differentia (1).

Lex scilicet norma est communis, ad quam unusquisque actiones suas componere tenetur. Hinc legislatori, in poenalibus maxime, id quidem ante omnia erit agendum, ut ab omnibus lex possit intelligi; at simul eo demum sensu eoque modo vim obligandi habet lex, quo communi hominum opinione accipitur, nec quisquam suam legis interpretationem aliis potest debetve obtrudere. Jam vero quis est, qui reorum opiniones rectius tenere queat, rectiusve dijudicare possit, quam, qui in eadem rerum conditione versantur jurati (2).

Haec autem, quae de judicum juratorum praestantia diximus, experientia confirmantur, atque adeo, qui eos observarunt, iisque praefuerunt peritissimi quique JCti, non minus accuratas juratorum, quam ullas aliorum judicum deprehenderunt sententias (3). Licet vero secus res sese haberet, frequentiusque in capienda legum sententia errarent

(1) *Mittermaier* op. c. p. 35. not. 36. (2) Briefwisseling, p. 491 — 497.

(3) Nec quidquam ad propositum faciunt, quae a dissentientibus adferuntur, sententiarum ridicularum vel et prorsus absurdarum exempla, cum ejusdem facile generis sententias, a judicibus perpetuis latas, iis oppo-

rent jurati, nullum tamen inde contra utilissimam, ac propter se maximopere commendandam, judiciorum formam peti posset argumentum, potiusque inde esset conficiendum, pravas, aut certe minus accurate conceptas esse leges, quae assiduo a prudentioribus cultioribusque civibus perperam intelligerentur.

Verum abunde jam videtur esse probatum, judicii jurati cum summam esse politicam utilitatem, tum vero egregiam ad leges plene ac prudenter exsequendas efficaciam.

Restat ut ultimo jam loco de reorum defensione, praesidisque oratione, pauca quaedam adjiciamus.

Internam nimirum habere dicitur repugnantiam, ut juratis, secundum intimam animi conscientiam, praesenti caussae examine informatam, sit judicandum, ac nihilominus juridicialis instituatur a caussidico defensio, atque a praeside habeatur oratio, qua statum quaestionis exponat, brevem caussae conspectum tradat. Ut mittamus autem totam illam difficultatem, si veritati esset consentanea, non adeo ad judicii jurati pertinere naturam, quam ad solitam, ac minus commodam, ejus institutionem; mittamus item, quod contra rei adfertur defensionem, in judicio jurato admittendam, idem dici posse, quin et saepius dictum fuisse de perpetuo judiciali collegio; tantum observemus, neminem quidem facile reo abnegaturum jus, ad accusatoris criminationem respondendi, plerosque vero accusatos non satis esse excultos, qui ideas suas rite possint evolvere, nedum ordine et ratione proponere, adeoque, ne a parte accusatoris publici omne poneretur persuadendi momentum, recentiores plerosque legislatores defensorem reis concessisse peritiorem. Artificiales vero rationum deductiones, ex probandi modo regulisque haustas, cum a judiciis juratis penitus alienas, tum et parum esse profuturas, penes juratos, non ex legitimis probationum regulis, quas nec ullas habent nec intelligunt, sed ex intima animi conscientia sibi judicandum esse scientibus.

Praesidis tandem oratio, quamquam ad judicii jurati naturam ac veritatem non est necessaria, uberrimum tamen utilitatis habet fructum. Neque enim dicta factaque in examine cum juratis tum primum communicantur, sed, quibus ipsi interfuerunt jurati, ea in memoriam iis revocantur. Praeterea ad explanandam quaestionum propositarum sententiam apprime comparata est illa praesidis oratio. Tandem vero juratos non adeo in verba praesidis jurare esse solitos, quin ab ejus sententia, haud obscure significata, saepius recedant, multis probari possit exemplis.

Sed

ponere possemus, ac re propius inspecta, de sententia a juratis lata, nulla ratione judicari queat, quum innumera sint momenta, in praesenti examine obvenientia, quae reddi nullo modo possunt, praeteritaque nullum sui vestigium relinquunt.

Sed enarrata judicii jurati historia, expositisque praecipuis, quibus vel impugnatum vel defensum fuit, argumentis, propositae quaestioni nobis videmur satisfecisse, operique tandem finem imponimus. Quod quidem de instituto non ita dissimili dicit Dionysius Halicarnassensis, idem profecto de judicio jurato possit affirmari: *Τοῦτο μέντοι τὸ ἔθος πολλὰς ἂν παράσχοι λέγων ἀφορμὰς· τοῖς ἐπαινεῖν βουλομένοις, ἢ ψέγειν.* Vos autem VV. Cll. hunc ingenioli nostri foetum bonis ominibus prosequamini.

FRANC. CONSTANTIS CORN. TYDEMAN,

CAMPIS-TRANS-ISALANI,

JURIS UTRIUSQUE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM A NOBILISSIMO ORDINE JURIDICO IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Quandoquidem, proximis hisce annis, tam super origine, quam super utilitate Judicii Juratorum *sive* Jurati *(quod dici solet) multum fuit disceptatum*, Facultas Juridica Academiae Lugduno-Batavae, *non quidem in tanta re sententiam exquirit Juvenum; sed desiderat, ut tam illius Judicii historia succincte exponatur, quam argumenta praecipua, quibus vel impugnata Judicii illa forma, vel defensa fuerit:* —

VICTRICI PROXIMA DECLARATA D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM.

---

§. 1.

Nullum profecto studium tam grave et simul jucundum haberi potest, quam studium historicum. Historia sedulum discipulum docet praeterita, illustrat praesentia, et praesagit futura. Quid enim gravius, quam sortem totius populi praevidere? Quid jucundius, quam humanitatis progressus animadvertere? Sed plura quid referam, una Ciceronis sententia omnes laudes continet;

„ Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia „ vetustatis" (1).

§. 2.

At vero aridus historiae cultor, qui modo facta et tempora probe norit, neque ulterius tendit, profecto expers manebit verae jucunditatis et gravitatis, quae historiae studio inest, nisi cognitioni factorum et temporum alias quoque disciplinas et philosophiam jungat. In hisce disciplinis, quae tantopere conferunt ad utile historiae studium promovendum, praecipuum locum obtinet scientia legum, quae nos prae omni alio auxilio optime docere potest indolem et mores gentium, quum leges semper (saltem si legislatores velint eas observari) conveniant moribus et humanitati gentis, et maxima existat conjunctio inter humanitatem et leges; praecipue illas, quae poenas spectant, ut egregie in docta oratione, „ de legibus populorum optimis increscentis „ vel decrescentis humanitatis indiciis" ostendit et probavit Vir Cl. *J. M. Kemper* (2).

§. 3.

(1) Conf. *Cicero* de Orat. L. II. cap. 9.

(2) Oratio publice habita die 3 Novembris anni 1806, quum ordinariam Juris Civilis professionem in illustri Athenaeo Amstelaedamensi auspicatus est.

§. 3.

Multum quidem disputatur de mutuo inter mores gentium atque leges vinculo, quum alii a legibus mores, alii a moribus leges proficisci perhibent; sed haec quaestio ad nos non pertinet, et, quidquid hac de re sit, illud sane negari non potest, arctissimum esse inter utramque rem vinculum (1), et ab una parte cognitionem morum multum facere ad intelligentiam legum; sed ab altera parte sine studio legum nullam certam de moribus posse existere scientiam.

§. 4.

Nullas fere initio apud ullos populos leges deprehendimus: quippe, quae aperte civitatem laedunt maleficia ex arbitrio populi, aut summi imperantis vindicari videmus: quae vero privatorum hominum incolumitatem aggrediuntur scelera, singulorum vindictae relinquuntur (2). Hancce crudelitatem tandem cohibet avaritia, et de injuriis, accepta pecunia, transigitur. Quae paulatim ad Romanos a Graecis pervenerat, humanitas morum et legum, barbararum nationum, media aetate, incursionibus extinguitur: barbaries pro ingenii cultu, arma pro justitia, superstitio pro literis vigebant. Crescebat in dies superstitio, ope superborum ecclesiasticorum: hinc igitur forma ista judicandi medio aevo (quod dicitur), per judicia Dei, (ordalia) aut judicia secreta, (*Veem-Gerichten*).

Quae conjunctio igitur inter humanitatem gentis ejusque leges, praecipue poenales, quum maxima sit, quis non mirabitur, etiam initio saeculi praecedentis in Borussia nullam rationem habitam fuisse discriminis casum inter et culpam (3), et medio saeculo praecedente, in Gallia, homines ad remos in perpetuum damnatos, propter suspicionem homicidii? quod sane indicium est servilis ingenii Gallorum illius temporis (4).

§. 5.

Jam igitur, quum verbo monuerimus, nationes barbaras et superstitiosas aut nullas, aut valde vitiosas habere leges: et historia doceat, humanitatem crescentem pari passu am-

(1) Conf. Oratio viri cl. *J. M. Kemperi*, pag. 8.
(2) Conf. Oratio viri cl. *J. M. Kemperi*, p, 18—25.
(3) Conf. Lektuur voor den beschaafden stand enz., overgenomen uit het Berlijner tijdschrift *der Freimüthige*, p. 205. Amst. 1817.
(4) Conf. *du Paty*, brieven over Italie, 1785. 1ste Deel, pag. 14 en 14, uit het Fransch vertaald, door *J. ten Brink*, Leyden, 1800.

ambulare cum legibus; res ipsa loquitur, aliter fieri non posse, quin cum novo rerum ordine in fine saeculi praecedentis orto novae quoque existerent leges, in quibus valde eminet institutum judicii per juratos, quod antea in sola Britannia obtinuerat. Valde autem de hoc instituto disputatur: alii enim id laudibus ad coelum usque extollunt, et verae humanitati et praesenti gentium animo conveniens praedicant: alii vero contemnunt et humanitati prorsus contrarium vocant, at contra conveniens antiquae formae procedendi barbarae (1) et judicio quinque sensuum, quod dicitur. Gravis profecto quaestio et magni momenti, an hoc institutum verae humanitati conveniat, adeoque sit commendandum; an vero magis respondeat antiquae barbarae formae procedendi, ideoque vituperandum. Quumque plures ab utraque parte acuti et doctrina celebres stent viri, mihi certe a quaestione, „ de origine hujus judicii et de argumentis ab utraque parte", a nobilissima facultate juridica hujus academiae proposita, abstinendum esset, cum non juvenis sit tantas componere lites, nisi eadem illa nobilissima facultas juridica etiam sententiam juvenum non exquisivisset.

Quum igitur decisio (quae sane in tanta re est difficillima) non requiratur, et caeterum tractatio hujus argumenti gratissima et utilissima mihi videatur, periculum facere placuit respondendi ad hancce quaestionem: quod opus nunc aggredior, si prius verbo de divisione hujus responsionis, deque fontibus, e quibus hausi, admonuero.

§. 6.

QUAESTIO.

„ Quandoquidem proximis hisce annis, tam super origine, quam super utilitate *ju-*
„ *dicii juratorum* sive *jurati*, (quod dici solet) multum fuit disceptatum, Facultas
„ Juridica Academiae Lugduno-Batavae, non quidem in tanta re sententiam exquirit
„ juvenum; sed desiderat, ut tam illius judicii historia succinate exponatur, quam ar-
„ gumenta praecipua, quibus vel impugnata judicii illa forma, vel defensa fuerit."

Ipsa quaestio me ducit ad responsionem dividendam in tres partes majores; quarum

I. Tractabit judicii juratorum sive jurati, (quod dici solet) historiam.

Hujus partis subdivisio triplex erit; inquiret enim,

I.

(1) Conf. Reflexions sur l'état actuel du Jury, de la liberté individuelle et des prisons, par *M. C....*, Paris 1818, p. 47.

„ Toute cette théorie si vantée n'a abouti, comme on le voit, qu'à établir une forme de procédure
„ barbare et monstrueuse."

1. in originem hujus judicii.
2. narrabit ejus historiam et formam in Anglia.
3. tractabit ejus historiam et formam in Gallia.

II. Pars exponet argumenta praecipua, quibus haec judicii forma impugnata fuerit: atque hujus partis singuli paragraphi singula tractabunt argumenta.

III. Denique et ultima pars continebit argumenta praecipua, quibus haec judicii forma defensa fuerit: et eodem modo, atque in parte secunda, singuli paragraphi singula recensebunt argumenta.

§. 7.

Fontes praecipui (nam caeteros suis locis citabo) e quibus hausi, sunt

Commentaires sur les lois Anglaises, de *M. Blackstone*, traduits de l'Anglois, par *M. D. G****, à Bruxelles 1776.

De l'Olme, Staatsgesteldheid van Engeland enz., uit het Fransch vertaald, Dordrecht 1772.

History of the English law, by *John Reeves*, Londen 1814.

The law-Dictionary, originally compiled by *Giles Jacob*, Londen 1797.

Disputatio Juridica Inauguralis, de judiciis judicum juratorum, conscripta ab *E. R. van Nes*, Traj. ad Rh. 1804.

J. D. Meyer, origine et progres des institutions judiciaires des principaux pays de l'Europe.

Choix de rapports, opinions et discours prononcés à la Tribune Nationale, depuis 1789, jusqu'à ce jour, à Paris 1819.

Divers memoires sur le Jury, par *Bourguignon*, Paris an X.

Gutachten der Königliche Preuszischen Immediat-Justiz-Commission über das Geschwornen-Gericht 1819.

Merkwürdige Urtheilen neuerer Französischer Rechtsgelehrten über Geschwornen Gerichte und Französische Criminal-Justiz überhaupt, Berlin 1819.

Mr. *J. D. Meyer* en Mr. *H. W. Tydeman*, Briefwisseling over de aanstaande Nederlandsche Wetgeving, Leyden 1819.

C. J. A. Mittermaier, die öffentliche mündliche Strafrechtspflege und das Geschwornen-Gericht etc. etc., Landshut 1819.

Reflexions sur l'état actuel du Jury, de la liberté individuelle, et des prisons, par *M. C....*, Paris 1818.

P. J. A. Feuerbach, Betrachtungen über das Geschwornen-Gericht, Landshut 1813.

PARS

PARS PRIMA.

HISTORIA JUDICII JURATORUM SIVE JURATI.

1. Origo hujus judicii. 2. Historia et forma hujus judicii in Anglia. 3. Hujus judicii historia et forma in Gallia.

I.

Origo hujus judicii.

§. 8.

Rerum initia, quum parva saepe et exilia sint, difficile est indagare et perscrutari; sic judicii jurati origo tantopere caligine praeteritorum saeculorum obtecta est, ut, quot diversi hac de re sint scriptores, tot fere diversae sint sententiae: quas omnes recensere taediosum et ingratum esset opus: quare potius praecipuas tantum tradere sententias, et reliquas aut silentio praeterire, aut verbo tantum attingere placuit; quod quoque vocum facultatis nobilissimae Juridicae hujus Academiae mihi esse videtur, quum tantum requirat, ut hujus judicii historia (ad quam ejus origo pertinet) succincte exponatur.

§. 9.

Primum nobis sese hic offert sententia eorum, qui institutum hoc repetunt a judiciis, quae apud antiquos Germaniae populos obtinebant, postquam antiquam barbariem, qua singulis privata vindicta curae esset, deposuerant, et ad talem culturae gradum adscenderant, ut Tacitus, qui mores hujus gentis nobis tradidit, posset testari (1), „licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere."

(Haec

(1) Conf. *Tacitus* de moribus German. c. 12. initio.

(Haec sententia placuit Baconi de Verulamio (1), quam secutus est *E. R. van Nes* (2)).

Talia concilia Tacitus (3) nobis descripsit. Habebantur praesertim duplicem ob causam, et ad principes, qui jura per pagos vicosque redderent, eligendos, et ad jus dicendum de rebus majoribus; de minoribus rebus principes consultabant. Volebat scilicet haec gens libertatis amantissima omnes res majoris momenti ab ipso populo judicari, ne principis aut perpetuorum judicum (si his potestas de criminibus cognoscendi mandaretur) potestas in tyrannidem abiret. Praeterea in hisce conciliis invidiae et gratiae via clausa erat, in magno numero populi armati; (nam armati conveniebant et considebant (4)). Silentium per sacerdotes, quibus et tum coërcendi jus erat, imperabatur. Sed ex magna hujus gentis libertate vitium, quod oriebatur, recte a Tacito notatur (5); quod nempe non simul, nec ut jussi, convenirent, sed et alter et tertius dies cunctatione absumeretur.

Quum vero post extensos nonnullarum regionum fines, et magis magisque increscentem populi numerum, molestum evaderet, omnes convocari, omnesque convenire (6), quumque praeterea permagnus ille armatorum hominum numerus saepius rixis et caedibus occasionem praeberet, denique invaluit, ut loco totius populi, aliquot tantum viri, litigantium pares, ex omni populo eligerentur, et ad judicandum convenirent: atque hoc modo institutum judicii juratorum ad Saxones, qui in Angliam migrarunt, pervenisse, conficit Amplissimus *van Nes* (7): porro, ut hoc affirmet, tradit hanc sententiam de judiciorum juratorum origine etiam inde confirmari, quod eorum usus antiquis temporibus haud ignotus fuerit Frisiis, genti originis Germanicae (8).

Neque olim in Gallia ignota fuit haec forma procedendi, ut docet *Montesquievius* (9), qui tradit, utramque judicandi solemnem formam, quae erat aut *per pares*, aut per judices, qui *Baillis* vocabantur, in usu fuisse. Pares judicabant secundum intimam convictionem, et consuetudinem suae jurisdictionis: atque in his neque studium, neque litterae, aut ullus cultus requirebatur: sed quando Codex Romanus, anno 1137,

(1) Discourse on the laws and Government of England, c. 28.

(2) *E. R. van Nes*, Disp. Jur. Inaug. de jud. judicum jur. p. 24.

(3) De Mor. Germ. c. 11 et 12.

(4) Conf. *Tacit.* de Mor. Germ. c. 11.

(5) De Mor. Germ. c. 11. in medio.

(6) Conf. *van Nes*, Disput. p. 24—26.

(7) In Disput. p. 26. §. 2. in fin.

(8) Conf. *van Halsema*, over den staat en regeeringsvorm der Ommelanden, citatus apud *van Nes*, p. 26.

(9) Conf. Esprit des Loix, liv. 28. chap. 42, ibique Anonymi notae 6 et 7. Conferri quoque meretur *Bourguignon*, divers mémoires sur le Jury, troisième mem. p. 13.

1137, ut ita dicam, renascebatur, *judicium parium* obsolevit (1) atque judices, qui *Baillis* dicuntur, magis magisque in usum venerunt.

Haec vero sententia minime admitti posse mihi videtur. Longe enim alia res est institutum illud antiquorum Germanorum, quam hodiernum institutum juratorum. Hi judicant de facto: et judices periti pronuntiant poenam; illi indocti et inculti tam de quaestione facti, quam de quaestione juris respondebant. Porro si per Saxones introducta esset haec judicii forma, certe lege utraque Henrici I (2), quae pertinet et ad legislationem civilem, et ad legislationem criminalem, mentio facta fuisset illius instituti, quod praesidium libertatis suae Angli vocant; sed historia prorsus silet de hocce instituto, et nulla ejus mentio fit neque in legibus regum Anglo Saxonum, neque in privilegiis Britanniae confirmatis per Gulielmum Conquaestorem (3): quare probabilius videtur, illam formam judicandi Saxonum in Anglia obsolevisse, et institutum juratorum nil commune cum illo Saxonum habuisse, praesertim, quum tempore intermedio, inter formam judicandi antiquam Saxonum, et judicium juratorum, prorsus alius obtinuerit mos judicandi, ab utroque instituto toto coelo diversus, mos nempe judiciorum Dei, sive Ordaliorum.

Ceterum abunde haec sententia refutatur a Consultiss. *Meyer* (4), docente magnum discrimen, quod inter antiquam formam procedendi Saxonum et hodiernam juratorum obtinet; quippe constat

I. In antiquis litibus Saxonum, populum, qui convenerat, et de facto cognovisse, et poenam pronuntiasse: juratos contra tantum de quaestione sibi proposita judicare, et judicem pronuntiare poenam.

II. In forma judicandi Saxonum locum non esse provocationi; contra, apud juratos.

III. Judicium juratorum, si loco antiquae procedendi formae Saxonum substitutum esset, judicaret in omni casu.

IV. Institutum juratorum prorsus repugnat indoli veterum judiciorum Saxonum, in quibus omnes homines liberi et cives legi poterant: leges Anglicae contra excludunt e juratis eos, qui carent fundo feudali.

V. Magni vasalli coronae non judicantur ab juratis, neque in hoc judicium possunt

(1) Hanc mutationem pedetentim locum habuisse, docet Anonymus not. 1. ad locum *Montesquievii*, quem supra citavimus.

(2) Conf. *J. D. Meyer*, Esprit, Origine et Progrès etc. tom. II. p. 167.

(3) *J. D. Meyer* opere citato, Tom. II. p. 165.

(4) Loco cit. tom. II. p. 153—159.

sunt legi: quod si vero Jurati originem deberent antiquae formae procedendi Saxonum, nemo posset id evitare, et nemo non posset legi in hoc *judicium*.

§. 10.

Jam ad aliorum opiniones recensendas accedimus. Sunt, qui putent, barbaras nationes, quae Romanum imperium vastarunt, parium judicia sumsisse a modo judicandi per judices pedaneos, apud Romanos vigente (1).

At vero neque haec sententia admittenda videtur, quoniam eo tempore, quo barbarae gentes Romanum imperium invaserunt et vastarunt, hicce mos judices pedaneos dandi jam cessaverat, ut potest colligi ex legibus (2) *Diocletiani* et *Maximiani* (anno post Christum 294) quibus judicum pedaneorum usus fere abrogatur, et non conceditur nisi in causa necessitatis. Imo etiamsi aliqua species hujus moris judicum pedaneorum remansisset, haud verosimile tamen est, illas nationes barbaras, quarum mores rudes et inculti adspernabantur litteras et omnia Romanorum instituta, cognovisse institutum, quod fere jam exoleverat (3). Hanc igitur ob rationem neque assentiri possum opinioni *Pettingalii*, affirmantis, hunc modum judicandi a Romanis in Britanniam translatum fuisse (4): Quod si enim, (quod non videtur,) quaedam vestigia horum judicum, post Romanorum discessum, in Anglia remanserint, ea profecto deleta sunt per barbaras Saxonum nationes, quae Britannos aut occiderint, aut in servitutem redegerint (5).

§. 11.

Aliae supersunt sententiae, sed levioris momenti, quare sufficiat eas strictim attingere: partim ne modum excedam, partim, quia in expositione sententiae consultissimi *Meyeri* quaedam harum opinionum refutantur.

Sunt

(1) Haec sententia inprimis placuit *Pettingalio*, citato apud *van Nes*, p. 27; et apud *Bourguignon*, II. Mem. p. 4. Opus *Pettingalii* inscribitur: „An enquiry into the use and practice of juries among the „Greeks and Romans."

Hanc sententiam quoque defendit *Malte Brun*. Conf. Merkw. Urth. p. 95; et *Bourguignon*, divers memoires etc. I. Mem. not. a. p. 105.

(2) L. 2 et 3. Cod. de pedaneis jud., et *Voet* Comm. ad Dig. de Judiciis, §. 39.

(3) Conf. *Robertson*, Histoire du regne de l'empereur Charles Quint, tom. II, not. 2. p. 2 et 3. „Des „barbares ignorans — ne voulurent pas permettre, qu'on donnât à leurs enfans aucune espece d'instruction." Quantum abhorruerint ab jurisdictione Romana Germani, satis docet historia Quinctilii Vari apud *Florum* L. IV, C. 12. §. 31—37.

(4) Conf. *van Nes* Disput. p. 29.

(5) Conf. *Robertson*, op. cit. tom. II, not. 1. p. 2.

Sunt scilicet, qui hujus judicii originem Graecis adscribant, qui quoque per duodecim judices jus pronuntiabant (1).

Alii, qui hujus instituti originem *mere* feudalem existiment, satis refutati a consultissimo *Meyero* (2).

Quidam Regnerum Lodbroc, Daniae et Sueciae regem, auctorem putant. Alii hoc institutum adscribunt Wodeno, primo Saxonum legislatori, et inde saeculo V. hanc judicandi formam in Britanniam translatam putant (3). Sunt denique alii plurimi, qui Alfridum Magnum (qui sub finem saeculi noni post Christum regnavit) plurimarum aliarum legum auctorem, etiam hujus instituti conditorem existiment (4).

§. 12.

Superest, ut sententiam hac de re novissimam consultissimi *Meyeri* exponam (5), quae et multis historicis exemplis adstructa, et tam clare proposita est, ut eam sequi nullus dubitem.

Plurimi auctores attribuerunt hoc institutum Henrico II. (qui regnavit ab anno 1154 usque ad 1189,) forte decepti mentione magnae assisae, facta in opere *Glanvillae*, *de legibus et consuetudinibus regni Angliae tempore Henrici* II.; at vero haecce magna assisa, (quamvis occasionem praebuerit instituto judicii juratorum) longe alia res erat, et ipsum judicium juratorum eo tempore prorsus incognitum fuit (6), neque ejus mentio fit tempore utriusque regis Richardi I. et Jani sine Terra, qui Henrico II. successerunt.

Ipsa quoque Magna Charta Jani sine Terra (anni 1215) prorsus de hoc instituto silet, et art. 29 utrumque sui temporis procedendi modum memorat, *legale judicium parium suorum*, et *legem terrae* (7).

Lex

(1) Conf. *Jacob*, law-dictionary, voce *Jury*, initio, et *Bourguignon*, Mem. II. p. 4. not. 1.

(2) Tom. II. p. 156, et omnino not. 2. ibidem.

(3) Conf. *van Nes*, disput. c. 2. p. 23 sq. Varias opiniones habet *Blackstone*, tom. V. c. 23. p. 133.

(4) Conf. *Polydori Virgilii* Urbinatis, Historiae Anglicae, lib. XXVII. p. 203. Lugd.-Bat. 1651.

(5) Conf. *Meyer*, tom. II. p. 168, et *J. Reeves*, History of the English law, Vol. I. chap. 2. p. 83. et *Hume*, History of England: king Henry II.

(6) Ut clare ostendit *Meyer*, tom. II. p. 169. not. 1.

(7) In art. 29 Magnae Chartae occurrunt verba sequentia:

„ Nullus liber homo capiatur, vel imprisonetur, aut dississietur de libero tenemento suo, vel libertatibus „ vel liberis consuetudinibus suis, aut utlagetur, aut exuletur, aut aliquo modo destruatur; nec super eum „ ibimus, nec super eum mittemus, nisi per legale judicium parium suorum, vel legem terrae. Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differemus justitiam, vel rectum." Conf. *de l'Olme*, Staatsgesteldheid van Engeland, 1772. p. 20.

Lex terrae est antiquus mos judicandi Saxonum (*devant les plaids, ou hommes libres*). *Legale judicium parium suorum* est forma procedendi per pares; (*la procedure par pairs, dans la cour seigneuriale*) (1).

Quum vero modo mentionem fecerimus magnae assisae, quae occasionem dederit judicio juratorum, et haec assisa, introducta per Henricum II, a multis pro ipso juratorum judicio habita sit, non alienum videtur hoc institutum paulo altius repetere (2).

Quando quaestio oriebatur, de natura cujusdam tenementi seu fundi feudalis (*sur la nature d'une tenure*), aut de relationibus inter dominum et vasallum, et ab utraque parte competens aderat testium numerus, nullum remedium litem decidendi supererat, nisi partium duellum. Ad haec igitur duella evitanda, Henricus II (3) instituit magnam assisam, quae est „ regale quoddam beneficium, clementia principis, de consilio „ procerum, populis indultum, quo vitae hominum et status integritati tam salubriter „ consulitur, ut in jure, quod quis in libero soli tenemento possidet, retinendo, „ duelli casum declinare possint homines ambiguum. Ac per hoc contingit insperatae et praematurae mortis ultimum evadere supplicium, vel saltem perennis infamiae „ opprobrium, illius infesti et inverecundi verbi (4), quod in ore victi turpiter sonat, consecutivum (5)".

Magistratus, quem *Sheriff* vocant, ad se quatuor equites evocabat e comitatu illo, ubi immobilia jacebant, de quibus lis erat, aut ubi litigantes domicilium habebant: hi rursus duodecim equites legales e vicinia designabant ad litem perficiendam, qui singuli jusjurandum praestare debebant.

Equites, hanc assisam componentes, non erant judices, nec enim partes litigantes, nec testes, audiebant: requirebatur tantum, ut „ per proprium visum suum et auditum illius rei habuerint notitiam, vel per verba patrum suorum, et per talia, quibus fidem teneantur habere ut propriis (6)."

Quum-

(1) Conf. *Meyer*, tom. II. p. 170. not. 1; et *J. Reeves*, in opere citato, Vol. II. c. 9. p. 137 in fine. Qui ostendit, utrumque hunc modum antiquiorem esse instituto juratorum.

(2) Conf. *Meyer*, tom. II. p. 174—184.

(3) Conf. *Meyer*, qui tom. II. p. 175 in not., citat chartam, quae clare probat, magnam assisam originem debere Henrico II.

Notandum est vitium typothetae, quo in *the law-dictionary*, by *Jacob*, in voce *Jury*, legitur: „ — *the Grand Assise, which was instituted by King Henry* VII," loco *Henry* II.

(4) Verbum illud infamiam irrogans erat *craven*, (ignavus). Conf. *Blackstone*, op. cit. tom. V. c. 23. p. 133.

(5) Conf. *Glanvilla*, lib. II. c. 7. cit. apud *Meyer*, tom. II. p. 175. not. 2.

(6) Conf. *Glanvilla*, lib. II. c. 17, in fine, citatus apud *Meyer*, tom. II. p. 178. not. 2.

Quumque commoda hujus magnae assisae prae duellis magis magisque manifesta fierent; assisa extenditur, nomen mutat, et *vertitur in juratam* (1). Ipsa haec lex, quae hanc mutationem introduxit, ignoratur; ex historia tamen tuto colligi potest, hanc mutationem locum habuisse sub imperio Henrici III (qui regnavit ab anno 1216 — 1272.) Temporibus enim inter Henricum II et Henricum III elapsis, maximus expeditionum cruciatarum erat ardor; ipseque Richardus I (successor Henrici II) cum multis equitibus Hierosolymam profectus est, atque ibi hujus novi regni legislationem cognovit, quae ex omnium Europae nationum legibus et consuetudinibus composita erat. Duae erant curiae (*cour haute* et *cour basse*) et illa, quae *cour basse* dicebatur, composita erat ex vicecomite (*visomte*) et duodecim judicibus, qui *jurati* sive *guirati* vocabantur: hi eodem modo judicabant, ac postea jurati Angliae, ut exemplis docet *Meyer* (2): atque hoc sine dubio videtur probare, hanc novationem et mutationem assisae locum habuisse post reditum Richardi e Terra sancta, sub Henrico III, quum et hic duodecim equites jussisset antiquas regni leges examinare (3).

Origine itaque hujus judicii exposita, et tempore, quo institutum est (sub Henrico III), constituto, jam ad historiam juratorum judicii in Anglia accedimus.

2.

Historia et forma judicii juratorum in Anglia.

In historia et forma hujus judicii in Anglia tractanda, de quatuor ejus partibus singulatim agemus, ita ut,

I. Loquamur de magno juratorum collegio, quod dicitur *Grand Jury.*

II. De parvo juratorum collegio, quod vocant *Petty Jury.*

III. De judicio, quod dicitur *Jury de medietate linguae:* et,

IV. De judicio juratorum extraordinario, quod judicat de sententiis a parvo juratorum collegio latis. (*The Jury to try an attaint.*)

I.

Grand Jury.

§. 13.

Quando quis accusatur, magistratus (quem nos *Vrederegter*, Angli *Justice* vocant) libellum citationis (*Warrant*) exhibet ad accusatum citandum: hicce libellus nil aliud con-

(1) Conf. *Meyer*, tom. II. p. 184.

(2) Op. cit. tom. II. p. 187 sq.

(3) Anno 1223; conf. *Meyer*, tom. II. p. 189. not. 2.

continet nisi ut accusatus compareat, qui tunc a magistratu (*Justice*) interrogatur; quod si appareat, crimen nullum ab eo commissum esse, statim liberatur: sin contrarium appareat, aut res incerta sit, remittitur sub cautione judicio sisti; aut, si crimen commissum gravius sit, statim in carcerem mittitur, ut ibi servetur, donec magnum juratorum collegium (*Grand Jury*) conveniat, atque judicet, an sit dimittendus accusatus, an ulterius in eum inquirendum (1).

Hoc magnum juratorum judicium ad minimum duodecim, sed non ultra viginti quatuor viros continere debet, qui semper ex nobilissimis cujusque comitatus hominibus eliguntur (2). Hoc collegium, Londini, singulis sex hebdomadibus; in comitatibus (3) singulis tribus mensibus convenit ad capiendas assisas, quae dicuntur, et inquirendum, utrum in carcere detenti sint liberandi, an ulterius prosequendi, quo ultimo casu captivi dicuntur esse *indicted* (4), atque eorum res a parvo juratorum judicio (*Petty Jury*) ulterius tractatur. In origine autem hujus collegii (τοῦ *Grand Jury*) exponenda, errare *Blackstonium* et *van Nes*, ostendit *Meyer* (5).

Putat scilicet *Blackstone*, et qui eum sequitur *van Nes*, descriptionem hujus collegii jam reperiri in legibus regis *Ethelredi* (6), verbis sequentibus: „Exeant seniores duodecim Thani, et jurent super sanctuarium, quod nolint ullum innocentem accusare, nec aliquem noxium celare."

Quomodo vero quis in hac lege de magno juratorum judicio agi, possit colligere, non intelligo. Nulla enim mentio fit secundae inquisitionis, aut insequentis judicii: neque quaestio est in ea lege de forma procedendi criminali, quippe posita sub rubrica decimarum ecclesiasticarum (7). Itaque potius, cum *Meyero*, statuimus, hoc magnum ju-

(1) Conf. *Meyer*, Tom. II. chap. 14. p. 219—233, et *de l'Olme*, op. cit. p. 108 sqq. In magno juratorum collegio justum ac ratum habetur, quod pluribus placuit, contra atque in parvo juratorum collegio, ubi omnium consensus requiritur.

(2) Conf. *de l'Olme*, p. 109. not. 5.

(3) Anglia dividitur in 52 comitatus, septem circulis comprehensos. Conf. *van Nes*, p. 34 et ibidem not. x.

(4) „Un *indictement*, est une accusation par écrit d'une ou de plusieurs personnes, sur crime ou malversation; intentée par une grande assemblée de Jurés" Conf. *Blackstone*, tom. VI. c. 23. pag. 275. Conferri porro meretur *Henrici Spelman*, *Archaeologus*, *in modum glossarii ad rem antiquam posteriorem*. Lond. 1626. p. 376 in voce *indictamentum*: „In jure nostro est libellus accusationis — maleficium alicujus vel „in regem vel in rempublicam solemni forma ad judicem deferens: a Gallico *endicter*, atque hoc a Graeco „ἐνδείκνυμαι, quod est, nomen in judicio deferre."

(5) *Blackstone*, tom. VI. c. 23. p. 276, et *van Nes*, p. 36. §. 9. not. d.

(6) Rex Ethelredus II regnavit ab Ao. 979—1016.

(7) Conf. *Meyer*, tom. II. p. 220 sqq.

juratorum collegium originem debere equitibus, qui dicuntur *les Chevaliers de la centène* (1), quippe qui tantum judicabant, an locus esset ulteriori persecutioni, necne.

Prima hujus judicii mentio occurrit tempore Eduardi III, sub nomine *le graunde inquest* (2).

II.

Petty Jury.

§. 14.

Magnum juratorum collegium, quando accusatum pronuntiavit *indiet*, hic custoditur usque ad diem, quo ulterius in eum inquirendum est. Judex, postquam praelegerit libellum accusationis (*bill of indictment*), rogat, quo modo velit judicari; ad quod respondet: „Per Deum et legem terrae" (*by God and the country*) (3). Tum magistratus (*Sheriff*) nominat parvum juratorum collegium (*Petty Jury*): proponit nempe 48 liberos et legales homines de vicineto (4), id est, ex eodem comitatu, ex quo est accusatus. Horum nomina chartulis inscripta in urnam conjiciuntur, atque duodecim juratorum nomina (5) ex illa urna extrahuntur, qui deinde jusjurandum praestant, se ex conscientia et intima persuasione judicaturos (6).

Ab his duodecim juratis, sub auspiciis unius judicis, res examinatur (7). Primum omnium, in quaestionibus sive civilibus sive criminalibus, advocatus factum affirmantis causam exponit et defendit; deinde copiam dicendi facit adversarii causidico, qui argumenta ab altera parte profert; eoque modo causa iterum iterumque agitatur, donec sententiae ferendae matura sit. Tunc judex, sub cujus auspiciis jurati convenerint, argumenta ab utraque parte allata, missis superfluis, contrahit, atque juratis expo-

(1) Conf. *Meyer*, tom. II. p. 224 sq. ubi modum judicandi per hosce equites uberius explicat.

(2) Conf. *Meyer*, tom. II. p. 226. Eduardus III. regnavit ab anno 1827—1377.

(3) Conf. *de l'Olme*, p. 110, et *van Nes*, p. 39. not. l. Hac formula si reus uti nolit, in majestatis criminis accusatione pro convicto habetur: sed feloniae reus si recusat hac formula uti, subit poenam, quae dicitur *Penance*, sive *peine forte et dure*, de qua poena conf. *Wendeborn*, Tegenwoordige staat van Groot Britannien, tom. II. c. 2 in fin. cit. apud *van Nes*, p. 38. not. 9. *Blackstone*, tom. VI. c. 25. p. 308. Haec poena crudelissima deinde abrogata est, ut docet *Archenholtz*, Engeland, tom. II. c. 8. p. 50—52.

(4) Quod vocant *Pannel*. Conf. *de l'Olme*, p. 110. not. a. et *Reeves*, op. cit. tom. II. p. 3.

(5) Juratorum numerus ordinario est duodenus, conf. *du Fresne*, Gloss. ad Script. mediae et infimae latinitatis, tom. II. pars II. in voce *Jurata*, pag. 186.

(6) Conf. *van Nes*, p. 41. not. p, et pag. 49. not. b in fin.

(7) Conf. opus amplissimi *Meermanni*, Eenige berigten omtrent Groot Britannien en Ierland, 's Gravenhage 1787. pag. 260 sq.

ponit. Docet praeterea, quae incerta manserint, et in quo cardo quaestionis vertatur; deinde suas observationes addit, et in causis criminalibus praeterea juratis exponit suam opinionem, de fide testibus habenda, et de pondere testimoniorum; verbo, nil praetermittit, quod causae, quae tractatur, lumen adferre possit. Talis oratio pulchre et docte ab judice perito proposita non potest non multum facere ad animos juratorum in sententiam hujus judicis flectendos, atque hi raro ab judicis opinione et sententia recedunt, licet eorum libertas nullo limite circumscribatur (1).

Hac oratione habita, jam ad sententias ferendas transeunt jurati: si causa plana est, quisque juratorum sententiam suam submissa voce refert ad eum, cujus nomen primo ex urna prolatum est, quique vocatur *Foreman*, qui tunc hasce sententias quaestioni facti, de qua lis fuit, adaptat et pronuntiat.

In causis vero criminalibus pronuntiat tantum verba solemnia, *nocens:* aut *innocens:* (*guilty:* aut: *not guilty*) (2): facta simul mentione criminis, quod reum admisisse vel non admisisse censet. Sin vero res difficilior sit, neque statim jurati consentiant, in vicinum conclave eunt, ubi, absque cibo, potu, lumine et igne (3), manere debent, donec omnes de eadem sententia ferenda convenerint: quamdiu enim unus tantum dissentit, sententia nulla est (4): tunc ad sedes redeunt, et ille, quem *Foreman* vocant, ab actuario rogatus sententiam pronuntiat.

§. 15.

Sententia, quae ab juratis pronuntiatur, proprio nomine dicitur *verdict* (vere dictum) (5), quod triplex est, *privatum* (*verdict privé*), aut *publicum*, (*verdict public*): aut speciale (*verdict special*) (6).

Veredictum privatum locum habet, quando judex reliquit curiam, aut judicium differri jussit (*quand le juge a abandonné, ou ajourné la cour*), permissione data juratis sententiam dicendi extra curiam. Quum vero hoc veredictum nullum sit, nisi po-

(1) Olim judices poterant mulctam irrogare juratis, qui a se dissentirent: sed hodie plena gaudent libertate jurati. Conf. Principles of penal law, c. 15. §. 3. cit. apud *van Nes*, p. 46. §. 15 in fin. not. v.

(2) Conf. *du Fresne*, Gloss. tom. II. P. II. voce *jurata*, p. 187.

(3) Conf. *Thuani* Historia sui temporis: (Francof. 1652) tom. I. p. 1050 B. et 1051 A.

Si jurati hoc tempore epulas sumant ejus sumtibus, in cujus favorem deinde sententiam pronunciant, haec sententia ipso jure nulla est.

(4) In Scotia sufficit, si duae tertiae partes juratorum consentiant: sed in Anglia strictissime omnium consensus requiritur, ita ut, si unus juratorum ante sententiam pronuntiatam moriatur, reus sit liberandus.

(5) Conf. *du Fresne*, op. cit. tom. II. part. II. voce *jurata*, p. 185.

(6) Conf. *Blackstone*, tom. V. c. 23. p. 180—183.

postea confirmetur veredicto publico, et saepius ansam praebeat corruptioni Juratorum, perraro in usu est.

Solum autem veredictum legale et efficax est *veredictum publicum*, quod viva voce ab Juratis in curia, post orationem ab judice habitam, pronuntiatur.

Veredictum speciale obtinet, quando Jurati dubitantes, v. g. de juris quaestione facti controversiae intermixta, sententiam sub clausula pronuntiant, qua difficultatem intervenientem curiae decisioni relinquunt; v. g. si incerti haereant, an furtum commissum simplex sit an qualificatum; num furtum cum effractione conjunctum sit an secus, cet. (1).

§. 16.

In causa criminali tum de facto, tum de jure judicant jurati, neque munere defunguntur pronuntiando factum quoddam, seorsim spectatum, admissum esse, sed praeterea debent addere, num tale factum, tali modo perpetratum, legibus vetitum sit, nec ne. Atque sic res satis clara est, licet multi hic nodos quaerant in scirpo (2). Veredictum igitur Juratorum, quo quis damnetur, debet et continere factum illud commissum esse, et simul ostendere, qua ratione factum illud legibus repugnet: v. g. accusatio (*indictment*) furti debet continere tum res ablatas esse, tum eas ablatas esse animo furti faciundi: accusatio homicidii debet continere et homicidium revera admissum esse, et admissum esse dolo malo (3).

Haecce quaestio, quatenus juratis cognito juris cum cognitione facti competeret, maxime agitata fuit in causis reorum libelli famosi, cum alii dicerent juratos tantum debere cognoscere, an accusatus esset auctor libelli: judicibus autem competere judicium, an talis libellus esset libellus famosus, nec ne: at alii contra vehementer contenderent, juratis quoque competere cognitionem ipsam, an libellus famosus esset, et legibus repugnaret, an non.

Hanc sententiam strenue defenderunt *Erskine* et *Fox*, atque sic quaestio agitata est, donec statutum 32 Georgii III litem diremit, in favorem eorum, qui vellent omnem cog-

(1) Conf. *van Nes*, p. 52, §. 19. et *Blackstone*, vol. V. chap. 23. p. 181, ubi memorat veredictum speciale fundamentum habere in secundo statuto West-Monasteriensi, temporis Eduardi I, qui regnavit ab An. 1272—1307.

(2) Conf. *Jacob* in voce *Jury* IV. 2. „ the question whether juries are, or are not, judges of *law* as „ well as of *fact*, has been long agitated with great zeal and energy: probably more throug a spirit of „ party, than from a desire of establishing any undoubted determinaiion on the subject."

(3) Conf. *de l'Olme*, p. 115, atque ibidem not. b et c, et *van Nes*, p. 48 sqq. et ibidem not. a et b.

cognitionem de tali libello, et quod ad auctorem, et quod ad ejus naturam, juratis competere (1).

§. 17.

Verbo nunc admonendum est de ipsa forma examinis coram Juratis.

Unus testis, fide dignus, sufficit ad factum quoddam probandum, et lex Anglorum, rejecta regula Juris Civilis (2), non numerum testium requirit, quum saepe accidant casus, quibus unus tantum interfuit (3), et in universum admittit omnia omnis generis testimonia, et rejecit omnes distinctiones plenae vel semiplenae probationis. Palam testes adducuntur, atque, reo praesente, ab judice, juratis, causidicis, ipsoque reo, interrogantur: ipsi reo, (ne pejeret,) nullae quaestiones proponi possunt secundum regulam juris Anglici, „nemo testis esse debet in propria causa:" itaque quaestio per tormenta in Anglia prorsus odiosa et vetita est (4).

Omnium causarum examen publice locum habet, et omnes omnis generis homines, cujusque aetatis, sexus aut ordinis ei possunt adesse.

§. 18.

Potestas ergo et libertas juratorum quum nullis limitibus circumscribatur, quumque sola eorum intima convictio sufficiat ad reum liberandum aut damnandum, necesse erat, reum multum posse in iis rejiciendis, qua propter lex multiplices exceptiones reo concedit, quae dupliciter dividi possunt:

I^a^. Exceptio est, quae dicitur *to the array*.

II^a^. Vocatur *to the poll* (in capita).

Prima exceptio (*to the array*) contra omnes 48 juratos seriei inscriptos obtinet (contra universum *Pannel*); quando magistratus (*Sheriff*), qui eos catalogo inscripsit, non plane a partium studio liber est, v. g. si accusatio ad ipsius commodum vel detrimentum tendat, aut ipse actoris cognatus sit (5).

Secunda exceptio (*to the Poll*, in capita) contra singulos juratorum obtinet, et in quatuor partes dividi potest (6).

1. *Pro-*

(1) Conf. *Jacob* voce *Jury* IV. 2. et Merkw. Urth. p. 98, et *Cottu*, p. 10. not. 1.

(2) —— „ut unius omnino testis responsio non audiatur." Conf. l. 9. §. 1. Cod. de testibus.

(3) Conf. *Blackstone*, tom. V. c. 23. p. 169.

(4) Conf. *de l'Olme*, p. 118 sqq. not. 6.

(5) Conf. *de l'Olme*, p. 111.

(6) Conf. *Blackstone*, T. V. c. 23. p. 135. ubi legitur: „Mais les recusations de suffrage pour les Jurés, — sont reduites a quatre chefs par Sir Edouard Coke: „propter honoris respectum, propter defectum, propter affectum, et propter delictum."
Conf. etiam *de l'Olme*, l. l.

1. *Propter honoris respecum* rejici potest Nobilis, Senatui Supremo adscriptus, qui potest ab utroque litigante rejici, seque ipse potest excusare.

2. *Propter defectum*, sic pereginus recte rejicitur propter defectum civitatis, servus propter defectum libertatis (1); plerumque autem per hanc excusationem rejiciuntur qui carent franco feudo, decem libras sterlingicas in Anglia, et sex in Wallia, referente (2).

3. *Propter affectum* recusari possunt jurati, qui actori sanguine juncti sunt, aut quorum interest, quomodo lis terminetur (3).

4. *Propter delictum* recusantur infames, aut qui delictum commiserint, quod famam eorum maculat (4).

De prioribus tribus casibus jurati, jurejurando praestito, interrogari possunt; non vero de ultimo casu, ad evitandum perjurium, secundum regulam Juris Anglici, quam modo memoravi „ Nemo potest testis esse in propria causa."

Ceterum varii sunt, qui se ipsi possunt excusare, non autem a reo aut actore recusari, si ipsi munere velint fungi; v. g. morbo laborantes, senes sexaginta annos egressi, minores 21 annis, medici, advocati, et ecclesiastici; qui sunt in obsequio Regis vel alicujus Episcopi; ceteri.

III.

De judicio, quod dicitur Jury, de medietate linguae.

§. 19.

Quando lis est inter civem Anglicum et peregrinum, in judicium juratorum sex Angli atque sex peregrini leguntur, quod collegium proprio vocabulo dicitur *Jury de medietate linguae.*

Valde antiquum hoc institutum putat *Blackstone* (5), atque attribuit temporibus regis *Ethel-*

(1) Jurati enim sunt liberi et legales homines. Conf. *de l'Olme*, p. 110. not. b.

(2) Varias mutationes, quas sub variis regibus subiit haec taxatio bonorum, quae quis habere debebat si collegio juratorum posset adscribi, recenset *Blackstone*, p. 155 — 156. Illa quam nos tradidimus est Gulielmi III et Mariae II.]

A peregrino, in collegio, quod dicitur *Jury de medietate linguae* haec exceptio franci feudi opponi nequit.

(3) Regula juris est, „ jurati debent esse omni exceptione majores."

(4) Ceterum criminis majestatis reus 35 juratos, et Feloniae capitalis reus 20 juratos, nulla causa addita, rejicere possunt. Conf. *van Nes*, p. 48.

(5) Op. cit. t. V. c. 23. p. 152.

Ethelredi (1), argumento sumto ex Statuto quodam illius temporis, ubi haec verba occurrunt „ duodeni legales homines, quorum sex Walli et sex Angli erunt, Anglis „ et Wallis jus dicunto." Hanc autem sententiam, quo minus meam faciam, me movent:

1. Argumenta supra jam ex *Meyero* memorata, quae probant, totum juratorum institutum regibus Anglo-Saxonibus multis saeculis posterius esse.

2. Art. 2. illius statuti, qui jubet, omnes lites inter Anglos et Wallos componi per probationes judiciales, quod ergo omnem judicii jurati ideam excludit.

3. Art. 3. hujus statuti docet hic de jure docendo agi non tam de jure dicendo (2).

Hujus formae judicii *Reeves* tribuit originem Statuto, quod dicitur *the statute of the staple*, anni 27. regni Eduardi III (1354) (3), atque privilegium eo statuto mercatoribus peregrinis concessum anno sequenti 28 regni Eduardi (1355) ad lites criminales extensum esse tradit (4).

Etiam *Meyerus* hujus judicii institutum attribuit statuto anni 28 regni Eduardi (1355) sed quod ad primam originem differt a Consult. *Reeves*, putat nempe (5) hoc institutum jam locum habuisse sub Eduardo I, sed postea prorsus ita exolevisse, ut Eduardus III, non tam restituisse quam instituisse videri debeat (6).

Magnopere hoc institutum jactat atque laudat *Blackstone*, perhibens tale privilegium peregrinis nulla alia in regione tributum esse (7), omnesque Angli hujus instituti causam tradunt favorem, quo Angli peregrinos suscipiunt. Sed varia nos movent, ut cum *Meyero* hanc causam in dubium vocemus; quare enim Angli, si in favorem peregrinorum agere vellent, nil constituerunt de casu, quo uterque litigans peregrinus esset? tunc collegium juratorum solito modo ex Anglicis civibus componitur, qui profecto a partium studio liberi non sunt existimandi (8). Porro in collegium juratorum non cives partis litigantis leguntur, quorum tamen maxime interest; sed alii peregrini, qui

(1) Ethelred regnavit ab anno 866—872.

(2) Cf. *Meyer*, p. 2106 qui et alia argumenta contra hanc *Blackstone* sententiam recenset, p. 209.

(3) Cf. *Reeves* op. cit. vol. II. p. 394 et 461.

(4) Cf. *Reeves* l. l. p. 461. „ but by Stat. 28. Ed. III. c. 13, it was extended to criminal cases ...."

(5) Tom. II. p. 213 et 215.

(6) Eduardus I regnavit ab anno 1272—1307. Eduardus III ab anno 1327—1377.

(7) Cf. *Blackstone*, t. III. c. 23. p. 153.

(8) Atque hoc satis manifestum videtur, quidquid dicat *Blackstone*, l. l. p. 153. „ Mais quand les deux partres sont des étrangers, dans ce cas on ne peut présumer plus de partialité pour l'une des parties que „ pour l'autre."

qui quidem, si mercatores sint, et de causa rei mercatoriae alius gentis judicaturi sunt, quod saepius accidit, non possunt existimari partium studio vacare (1).

Quum igitur appareat, solam causam hujus instituti non in favore Anglorum erga peregrinos sitam esse, potius existimo, hocce institutum originem debere consiliis politicis Eduardi I et Eduardi III. Historia enim nos docet, utrumque hunc regem haud satis felici successu diuturna bella cum Scotis gessisse, et omni vi contendisse ad unionem regnorum Scotiae et Angliae; quare vera hujus instituti causa fuisse videtur consilium utriusque Eduardi, conjungendorum et conciliandorum regnorum Angliae et Scotiae, et, minuendae disjunctionis, quae inter utramque gentem obtineret.

Hoc ergo judicio *de medietate linguae* introducto, Angli in Scotiam, Scoti in Angliam migrare non amplius timebant, scientes unumquemque in quaque regione a suis civibus judicandum (2).

IV.

De judicio juratorum extraordinario, quod judicat de sententiis a parvo juratorum collegio latis. (the Jury to try an attaint.)

§. 20.

Alia species Judicii Jurati est collegium, quod vocatur *the Jury to try an attaint*, quod est inquisitio, sive querela de parvo juratorum collegio, (*Petty Jury*), quando hoc accusatur, falsam vel iniquam pronuntiasse sententiam. Hoc collegium constat e 24 ex optimis comitatus hominibus (3), atque proprio nomine dicitur *the Jury in the attaint* (4).

Parvo tamen juratorum collegio licitum est, argumenta et probationes allegare, quibus suam sententiam defendat. Quod si enim falsae sententiae convincantur et condemnentur jurati, poena severissima eos manet: scilicet, ut amittant liberam legem, et fiant infames; eorum terrae et tenementa cedant regi; domus destruantur, in carcerem mittantur, cet. (5); sed, ut evenire solet, nimis severa poena legis impedit executionem, quare statutum Henrici VII, confirmatum ab Henrico VIII (6) hanc poenam mitigavit, et mutavit in infamiam perpetuam (7).

3.

(1) Conf. *Meyer*, t. II. p. 213 sqq.

(2) Cf. de hoc instituto *Bourguignon*, II. Mem. p. 146—149.

(3) „Of twenty-four of the best men in the County."

(4) Cf. *Jacob* Op. cit. in voce *Jury*, et in voce *Attaint*.

(5) Cf. *Blackstone*, t. V. c. 25. p. 225.

(6) Henricus VII regnavit ab anno 1485—1509. Henricus VIII ab anno 1509—1547.

(7) Cf. de hoc collegio *Blackstone*, t. V. c. 25. p. 224—227. et *Reeves*, v. I. p. 131 sqq.

3.

De historia et forma huius Judicii in Gallia, deque differentiis quibusdam, quae Gallicum inter et Anglicum obtinent.

§. 21.

Jam ad finem perducta historia Judicii Juratorum in Anglia, videamus de hujus judicii historia et forma in Gallia; atque differentias praecipuas, quae inter utrumque obtinent, enumeremus.

Primo jam anno constitutae reipublicae Gallicae (anno 1791) (1) forma procedendi per juratos probata est; auctore consilio legislationis Criminalis, (*Comité de legislation criminelle*) et lubenter a Britannis hoc praesidium libertatis (ut vocabant) petebant, sive, ut Galli loquebantur, repetebant (2).

Judicium juratorum in Gallia primo duplex constitutum est, *judicium juratum accusationis* (*Jury d'accusation*) et *judicii* (*Jury de Jugement*); quorum natura et modus convocandi diversus est.

In componendo collegio judicii jurati accusationis (*Jury d'accusation*) hicce mos obtinet. Magistratus, qui vocatur *le procureur Syndic*, in catalogum refert nomina 30 civium ex jurisdictione sua (*de son district*): hic catalogus approbandus mittitur ad collegium, quod vocatur *le directoire*, ejus denique catalogi exemplum ad singulos cives inscriptos mittitur (3): septimo die ante collegium convocatum, nomina horum 30 civium urnae imponuntur, et publice, medio auditorio, praesente magistratu, sors eligit 8 juratos, qui componant *le juré d'accusation*. Hi quarto die antequam collegium convocetur, mandatum accipiunt, quo doceantur quo tempore et quo loco adesse debeant; statuto ergo tempore et loco postquam convenerint, jusjurandum praestant (4) se

(1) Ut apparet ex inscriptione libri III. t. VII. operis: Choix de rapports, opinions et discours, „ Instruc„ tion sur l'exercice de la police de sureté et sur la procedure par jurés, presentée par *M. Beaumetz*, au „ nom du comité de legislation criminelle, et adoptée par l'assemblée, le 29 Sept. 1791."

(2) Cf. Choix de Rapports etc. t. VII. lib. III. p. 361. „ Il nous étoit bien permis de faire cette em„ prunte aux Anglais, puisque c'est de nous, que dans des temps reculés ils ont pris le nom et la chose." Conferri quoque hac de re meretur *Meyer* Op. cit. t. II. ch. 10. p. 152. not. 1.

(3) Cf. Choix de rapports etc. t. VII. lib. III. p. 315 sq.

(4) Formula jurisjurandi sic se habent: „ Citoyens, vous jurez et promettez d'examiner avec attention „ les temoins et les pièces, qui vous seront presentés, et d'en garder le secret." (Silentium in his omnibus necessarium est, ne rei fugam capiant, aut parentes vel amici accusati testes corrumpere conentur) „ Vous

se diligenter examinaturos esse testes et instrumenta, quae proponentur contra carcere detentos, et sine partium studio aut animi perturbationibus pronuntiaturos sententiam, an locus sit ulteriori accusationi, an vero nullus accusationi locus sit, et accusandus liberandus: illo casu pronuntiant formulam affirmantem, *la declaration du jury est:* OUI, *il y a lieu;* hoc autem casu formulam negantem; *la declaration du jury est:* NON, *il n'y a pas lieu.*

Si jurati pronuntiaverint, nullum accusationi locum esse, statim liberatur accusatus; sin vero contrarium obtinuerit, ad ulteriorem inquisitionem servatur. In hoc collegio, aeque ut in altero, (*Jury de jugement*) ratum habetur, quod pluribus placuerit; sin suffragia paria sint, sententia accusato favorabilior praevalet.

Hoc collegium juratorum igitur, quod Galli vocant *Jury d'accusation* respondet collegio quod Angli vocant *Grand Jury* (1): introductum est lege diei 29 Septembris anni 1791. Sed postea mutatum (2) et jam in Codice de methodo proced. in causis crim. anni 1808 sub hoc nomine non amplius occurrit.

Jury de jugement.

§. 22.

Catalogus, qui contineat 60 civium nomina, componitur a praefecto (*Préfet*), mittitur ad magistratum, qui vocatur *Président de la cour d'assises*, qui hunc catalogum ad 36 reducit (3). Cuique horum civium mittitur hujus catalogi exemplum (4), cum mandato, ut die stato in curia adsit; quo die si omnes, aut saltem 30 adsint, (si neque 30 adsint, hic numerus complendus est per Praesidem curiae assisarum, *Président de la cour d'assises*): sorte 12 eliguntur, qui de accusatis decernant (5). Ipso die magnae assisae duodecim sorte electi jurati (6), sedes capiunt, ab auditoribus,

„ Vous vous expliquerez avec loyauté sur l'acte d'accusation, qui va vous être remis; vous ne suivrez ni „ les mouvemens de la haine et de la mechanceté, ni ceux de la crainte ou de l'affection."

(1) Cf. *Bourguignon*, I. Mem. p. 47.

(2) Conf. Oratio Suasoria (*Motif*) lib. II. tit. 2. c. 1—5. Codicis de meth. proced. in causis crim. „ Nous ne répéterons point — la necessité de placer ailleurs le droit attribué aux jury d'accusation."

(3) Cf. Code d'instruction Crim. art. 387. (4) Cf. Cod. d'inst. Crim. art. 389.

(5) Cf. Code d'instr. Crim. art. 393 et 395.

(6) Cujus nomen primum ex urna sorte prodiit vocatur *le Chef du Jury* (apud Anglos *Foreman*) cf. Cod. d'inst. Crim. art. 342.

bus, a partibus litigantibus, et a testibus semotas, atque e regione ejus qui accusatur (1): Praeses curiae exponit obligationem illis juratis incumbentem, eosque admonet, ut causam et instrumenta diligentia quam maxima examinent, et secundum veritatem judicent (2); tunc jurati, nominatim singuli per Praesidem appellati, respondent *Juro* (*je le jure*): nunc testes audiuntur, et res ab utraque parte agitatur; hisce peractis, Praeses omnia argumenta contrahit, et breviter proponit, indicat praecipua pro accusato aut contra eum indicia, juratosque adhortatur de officio perficiendo (3): Tunc Praeses iis proponit quaestiones pro rei natura proponendas, eosque invitat ad hasce decidendas: exempli gratia, si accusatus sedecim annis est minor, juratis proponitur quaestio „ an censeri possit crimen commisisse cum judicio (*l'accusé a t'il agi avec discernement?* (4) aut an crimen commissum sit cum hoc vel illo adjuncto (*l'accusé a t'il commis le crime avec telle ou telle circonstance?* (5))

Postquam quaestio a Praeside juratis proposita est, iisque omnia instrumenta, quae in hac causa militaverunt, in manus tradita sunt, abeunt in aliud conclave, ad deliberandum (6): Antequam autem hac deliberationes instituantur, primus juratorum (*le chef du Jury*) ceteros admonet de maxima libertate iis competente, deque obligatione judicandi secundum solam intimam convictionem (7). Tum deliberationes ineunt, primum

(1) Cod. d'instr. Crim. art. 309.

(2) Ipsa formula sic se habet:

„ Vous jurez et promettez devant Dieu et devant les hommes, d'examiner avec l'attention la plus scrupuleuse les charges qui seront portées contre N.; de ne trahir ni les interêts de l'accusé, ni ceux de la société qui l'accuse; de ne communiquer avec personne jusqu'après votre declaration; de n'écouter ni la haine ou la mechanceté, ni la crainte ou l'affection; de vous décider d'après les charges et les moyens de defense suivant votre conscience et votre intime conviction, avec l'impartialité et la fermeté qui convient à un homme probe et libre." Cf. art. 312. d'instr. Crim.

(3) Cf. Cod. d'instr. Crim. art. 336.

(4) Cf. Cod. d'instr. Cirm. art. 340.

(5) Cf Code d'instr. Crim. art. 338.

(6) Cf. Cod. d'instr. Crim. art. 341—343.

(7) Avant de commencer la délibération, le chef des jurés leur fera lecture de l'instruction suivante, qui sera, en outre affichée en gros caractéres dans le lieu le plus apparent de leur chambre:

„ La loi ne demande pas compte aux jurés des moyens par lesquels ils se sont convaincus; elle ne leur préscrit point de règles, desquelles ils doivent faire particulierement dependre la pleuitude et la suffiçance d'une preuve. Elle leur préscrit de s'interroger eux mêmes dans le silence et le recueillement, et de chercher, dans la sincerité de leur conscience, quelle impression ont faite sur leur raison les preuves rapportées contre l'accusé et les moyens de sa defense. La loi ne leur dit point, vous tiendrez pour vrai tout fait attesté par tel ou tel nombre de temoins; elle ne leur dit pas non plus, vous ne regarderez pas comme suffisamment établie toute preuve qui ne sera pas formée de tel proces-verbal, de telles pièces, de tant de temoins ou de tant d'indices; elle ne leur fait que cette seule question, qui renferme toute la mesure de leurs devoirs, „ Avez vous une intime conviction?"

„ Ce

mum de facto principali; deinde, de adjunctis. Hinc princeps juratorum (*le chef du Jury*) singulos interrogat, et unusquisque secundum ordinem sententiam profert (1): Posthaec redeunt ad sedes, quas deseruerant, eosque praeses interrogat sententiam, ad quod primus juratorum respondet secundum hanc formulam:

„ Sur mon honneur et ma conscience, devant Dieu et devant les hommes, la dé„ claration du jury est: *Oui*, l'accusé, etc. Ou, *Non* l'accusé, etc." (Cf. art. 348 juncto art. 345).

Secundum plura suffragia fertur sententia; unanimis enim consensus non requiritur (2). Sin vero solis pluribus suffragiis accusatus damnatur, suffragia ipsi quoque judices proferunt, atque horum suffragia cum juratorum suffragiis conjunguntur: ita tamen, ut si suffragia ab utraque parte aequalia sint, sententia accusato favorabilior praevaleat (3).

§. 23.

Restat, ut verbo exponamus de recusationibus, aut ab accusato, aut a magistratu, quem *Procureur-général* vocant, faciendis.

Jurati qui ad minimum triginta die statuto adesse debent, possunt recusari omnes, dummodo duodecim remaneant (4); aequalem numerum accusatus atque magistratus recusare potest (5), sed si jurati adsint numero impari, accusatus majorem numerum recusare potest: neque accusatus neque magistratus rationes recusationis allegare tenentur (6). Ex his ergo apparet, multa esse hujus judicii et in Gallia et in Britannia

„ Ce qui est bien essentiel de ne pas perdre de vue, c'est que toute la délibération du Jury porte sur „ l'acte d'accusation; c'est aux faits, qui le constituent, et qui en dépendent, qu'ils doivent uniquement s'atta„ cher; et ils manquent à leur premier devoir, lorsque, pensant aux dispositions des loix pénales, ils con„ sidèrent les suites que pourra avoir par rapport à l'accusé la déclaration qu'ils ont à faire. Leur mission „ n'a pas pour objet la poursuite ni la punition des délits; ils ne sont appellés que pour décider si l'accusé „ est, ou non, coupable du crime, qu'on lui impute."

Valde notabilis est haec oratio a principe juratorum habenda, quippe quae nos doceat, juratos in Gallia, aeque ut in Britannia, maxime absoluta potestate in judicando gaudere: atque haec libertas jam ab instituto primum hoc judicio in Gallia iis tributa est; ut cognoscitur ex sententia, nomine collegii legislatorii criminalis, lata per *M. Beaumetz*, quaeque sententia (qua primum hoc judicium in Galliam est introductum) adoptata est d. 29 Sept. anni 1791. Praeterea eadem haec oratio, quae descripta est ex art. 342. Cod. d'instr. Crim. promulgati die 27. Mensis Novemb. anni 1808. jam totidem verbis invenitur in art. 327. Codicis Criminalis diei 3. Brumarii anni 4. reip. Gallicae (25 Oct. 1795.)

(1) Cf. Cod. d'instr. Crim. art. 344 et 345. (2) Cf. Cod. d'instr. Crim. art. 347.

(3) Antea paulo aliter hac in re constituebatur, cf. art. 403. usque ad 409 Codicis anni 1795 quem modo citavi ex *Bourguignon*, I. Mem. p. 96. sqq. (4) Art. 401. Cod. d'instr. Crim.

(5) Art. 411. ejusdem Codicis. (6) Art. 399. Cod. d'instr. Crim.

nia communia, pauca autem in eo esse diversa: quae differentiae praecipuae (minores enim omitto) hae mihi esse videntur:

1. Forma haec procedendi per juratos in Britannia et in civilibus et in criminalibus causis locum habet: in Gallia in solis criminalibus.

2. In Britannia magnopere id agitur, ut nemo nisi juratorum unanimo consensu damnetur aut absolvere: in Gallia major numerus sufficit: Praeterea in casu, quem modo memoravi, ipsorum judicum suffragia requiruntur, quod in Anglia nunquam locum habere potest.

3. Quoad recusationes, nescio, ubi major libertas accusato concedatur: in Britannia enim major numerus recusari potest quam in Gallia; at in Gallia contra nulla recusationis ratio requiritur, quum contra in Britannia recusatio in capita (*to the Poll*) non nisi ob certas atque statutas causas obtinere possit.

§. 24.

Post extensos imperii Gallici per omnem fere Europam fines, in plerasque (1) illas regiones, quas Napoleon armis sibi subjecerat, Codices Gallici, adeoque et Jurati, introducebantur. In nostram autem patriam hoc institutum anno 1811, quum anno superiore cum imperio Francico conjuncta esset, introductum est, sed jam die 11 mensis Decembr. anni 1813. a rege nostro reduce abolitum.

Haec forma procedendi jam antea in Germaniam per istum invasorem introducta erat; sed quum provinciarum Rheno adjacentium incolae, post Napoleontem expulsum, hoc institutum perdere nollent, rex Borussiae convocavit concilium ad examinandam procedendi formam, atque comparandam cum vetere, in ipsa Borussia obtinente, forma; ita regio exemplo confirmans sententiam illam:

„ Fas est et ab hoste doceri" (2). —

Non alienum ab hoc loco videtur, addere verba quae occurrunt in novellis diurnis (Haarlemsche *Courant* 1820. 21 Oct. n. 127).

„ Men meldt uit Warschau, dat een der redenen, waarom de nieuwe wet op de „ lijfstraffelijke regtsvordering door den Poolschen Landdag is verworpen, gezocht moet „ worden in het gemis van eene jury in criminele zaken."

AR-

(1) Cf. *Mittermayer*, p. 41.

(2) Quando disputabatur de praestantia juratorum prae antiqua Borussiae forma procedendi, rex comparationem examen et utriusque modi praecepit, dicens:

„ Ich will, dass das Gute überall wo es sich findet, benützt, und das Rechte anerkannt werde."

PARS ALTERA.

ARGUMENTA PRAECIPUA, QUIBUS JUDICIUM JURATORUM IMPUGNATUR.

§. 25.

„ Omnis, quae a ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a definitione pro„ficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur" (1).

Judicium juratorum in genere sic definiri posse mihi videtur, ut sit:

„ Tribunal compositum e certo numero hominum honestiorum, ad inquirendum in „ quaestionem, sive simplicem, (id est, Facti), sive compositam, (id est, et Facti „ et Juris), quique jurant, se secundum intimam convictionem prolaturos esse sen„tentiam, quam deinde judex debet sequi in lite decidenda" (2).

Contra hoc judicium juratorum, et pro eodem, permulta ab utraque parte afferuntur argumenta, quorum praecipua tantum in hac quaestione requiruntur: Initium faciam ab his, quibus hoc judicium impugnatur, singula argumenta singulis paragraphis expositurus.

§. 26.

(1) Cf. *Cic.* de Off., lib. I. c. 2.

(2) Cf. *Meyer*, t. II. c. 10. p. 149. „ Le jury Anglais est une espèce du Tribunal, composé d'un nombre fixe „ et determiné de personnes, nommées sur une liste des habitans les plus recommandables, convoquées pour „ l'examen d'une seule question, soit de fait, soit complexe, c'est à dire de fait et de droit, soit enfin sur „ la quotité de dommages intérets, et dont la decision, appellée *verdict* (veredictum), doit servir à diriger „ le veritable juge sur la suite de la procedure." Conf. porro *Jacob*, *Law-dictionary*, in voce *Jury* initio. „ A certain number of Men, sworn to inquire of, and try, a matter of fact, and declare the truth, upon „ such evidence, as shall be delivered them in a cause: and they are sworn judges upon evidence in matter „ of Fact." Alia definitio occurrit in *Betrachtungen*, etc. von *Feuerbach*, pag. 118 in nota. Aliter rursus describitur hoc institutum a *Bourguignon*, I. Mem. p. 2.

§. 26.

Libertati contrarium habendum est, alicui munus obtrudere, quod respuit, quia semet ipse ei prorsus imparem scit et judicat, et quia eo munere fungendo domesticis occupationibus, agriculturae, mercaturae, aliisque, vacare nequit; cogitur domo ab uxore liberisque abesse, insumere sumtus in itinere et diversoriis, quibus neque sibi neque familiae prodest; multum damni patitur, cum tempore, fortasse intempestivo, domo abesse cogitur. In republica aut regione, ubi animus populi (Angli vocant *public spirit*) huic instituto favet, fortasse pauciores jurati munus aut onus vituperant; at in monarchia saepius ita hominum natura comparata est, ut publica ad se privatos pertinere neque intelligant neque credant: quapropter tali instituto, si non publice vituperent, fastidiosi et frigidi assident. Omnia enim, quae monarchiae subditi in vita civili summum bonum putant, in eo consistunt, ut quiete acquirant, certo possideant, et commode fruantur. Haec ratio ergo prorsus institutum juratorum repudiat, et efficit ut inviti obediant, et nolentes assideant, quando ad hoc judicium vocantur. Haud facile cives publica privatis commodis praeferunt: Solvendis tributis putant se satisfecisse publico commodo; sin vero praeterea ad munus judicis vocantur, exclamant: „ Sine, me mihi meisque operari, reliqua, quae neque curo, neque „ scio, alii, sapientiores et a negotiis gerendis vacui, gerant et administrent." Ubi sic sentiunt, sic de hoc instituto judicant cives, inviti et coacti mandatum sequuntur, et munere ita funguntur, ut quisque invitus omnia facit (1).

Leges, quae civium ingenio non conveniunt, merito respuuntur, quapropter, sive per se bonae sint sive malae, vel non ferendae, vel abrogandae sunt: quoniam arctissimum semper inter leges et mores atque humanitatem debet existere vinculum; ita quidem, „ ut omnino, qui hoc vinculum non attendant legislatores, sive moribus multo prae„ stantiores illorum leges sint, sive humanitatem gentis leges non attingant, ii non „ tantum operam perdere, sed plane summis calamitatibus civitatem objicere videan„ tur. — [cives] ridebunt imperantes, quibus se multo sapientiores esse intelligant; „ et primo neglectae, mox contemtae ac tandem ludibrio habitae leges civitatem, quam „ defendere debent, vastabunt ipsae" (2).

Multi sunt, qui dicant, hoc judicium convenire ardori publico, omnesque cives summo studio hoc judicium in Gallia defendere, neminemque invitum huic assidere: Hi si vera dicerent, haud necessariae forent mulctae, quae, secundum art. 396. Cod. de

(1) Cf. *Feuerbach*, p. 74 sqq., et Briefw. van Mr. *J. D. Meyer* en Mr. *H. W. Tydeman*, p. 516—519, juncta p. 574.

(2) Cf. Oratio, quam saepius memoravi, Viri Cl. *Kemperi*, p. 8—9.

de methodo proced. in causis Crim., invito, seque statuto loco non sistenti, infliguntur (1). Quis autem non animadvertit, hocce judicium necessario pessimas secum ducere sequelas in civitate, cujus indoles tali instituto non apta est, cujusque adeo cives inviti ad judicum munus trahuntur et coguntur? Atque ita observat *Mittermayer* (2), in solam ejusmodi civitatem utiliter introduci posse hoc judicium, cujus cives publicae vitae maturi sunt, quique molestias et damna rei familiaris lubenter subeunt, tamquam remunerationem idoneam ex honore petentes. Praeterea observat, in tali civitate codicem legum oportere ita planum et evidentem esse, ut etiam jurisprudentiae imperiti statim verba mentemque legis intelligant (3).

§. 27.

Jurati, in hoc judicium leguntur, qui prorsus impares sunt ferendis sententiis justis, in iis litibus, in quibus causa implicita est. Carent illa patientia et assiduitate, quae ad instrumenta in tali causa prolata, examinanda et ponderanda requiritur. Rari intelligunt, quaenam argumenta singulis instrumentis, pro reo aut contra eum adhibitis, contineantur (4). Quippe plerique sunt ignari et inexercitati, quum neque usu neque ratione scientiam rerum judicandarum acquisiverint. Sunt enim plerique jurati, mercatores, agricolae, nautae, qui, si judicis munus peterent, jure repellerentur; atque istis hominibus facultatem judicandi de factis implicitis, aliquando etiam contra legem (5), dando, revocatur antiqua barbara forma judicii *secundum sensus* (6), saepius enim obtinet, ut homo, qui ingenium et tempus artibus aut doctrinis a jurisprudentia prorsus alienis impenderit, vocetur ad gravissimum judicis munus: atque praeter rationem ingeniumque, forte perspicax, nil afferat doctrinae, qua aut leges, aut ipsa instrumenta, juridico sermone conscripta, intelligere possit. At (forte quis objiciat) succurritur ei per orationem judicis, quae ad juratos habetur. Verum hoc ipso argumento, juratis ita succurrendum esse, manifeste declaratur, eos muneri sibi delato impares esse: Insuper hinc apparet, in casu causae difficilioris ipsam juratorum sententiam ab hac oratione pendere, atque inde magnum periculum oriri sententiae injustae vel iniquae ferendae. Quodsi enim judex aut gratia aut odio ducitur, aut pecunia corrumpitur, facile rem ita proponet, ut jurati in ejus sententiam pedibus eant.

Ne-

(1) Cf. Merkw. Urtheile, p. 92. (2) In Op. cit., p. 41.
(3) Cf. *Mittermayer*, p. 40—43.
(4) Cf. *M. C . . . . (Cottu)*, Reflexions sur l'état actuel du Jury, etc. p. 128.
(5) Cf. Briefw. van Mr. *J. D. Meyer* en Mr. *H. W. Tydeman*, p. 609. not. 1.
(6) Cf. *M. C . . . . (Cottu)* p. 47.

Neque illi, qui studiis aut literis operam navarunt, magis quam illiterati, judicis muneri pares habendi sunt. Quicunque enim juris peritia destituitur, pronus est ad praecepta e vita communi, vel e propria sua disciplina petita, imprudenter ad forum transferenda, ubi prorsus usu non veniunt (1).

§. 28.

Quum judices judicii jurati omni judiciali experientia destituti sunt, varia nascuntur mala: 1°. Nesciunt, ea, quae probabiliora videantur, saepissime veritati repugnare: at, contra, quae minime probabilia videntur, saepius veritati convenire:

„ Non semper ea sunt, quae videntur: decipit
„ Frons prima multos; rara mens intelligit,
„ Quod interiore condidit cura angulo (2)."

Judicant secundum plura testimonia, licet forte ea solum fundamentum in unius testis testimonio habeant, posthabito pauciore testium numero, quamvis eorum testimonia singula per se subsistant, et alterum ab altero non pendeat. Atque hujus rei insigne exemplum exhibet judicii jurati Anglici, amplissimus *Paalzow* (3).

2°. Judicant secundum praejudicia et opiniones, quas in vita quotidiana audire soliti sunt; et si accusatus sit aliquis, quem saepius vituperari quam laudari audiverunt, semper ad judicium veniunt opinione praejudicata impediti, quam profecto ab judice longum abesse necesse est (4). Rursus exemplum praebet, quem supra memoravi, *Paalzow*:

Judex conciliator quidam (*Juge de paix*) debebat hereditatem, sub beneficio inventarii aditam, signis impositis, servare. Quum autem hereditas adiretur ab heredibus, spes eos fefellit, et magistratum furti accusaverunt. Jurati, qui eum semper inhonestum et avarum exclamari audivissent, et pauca ab utraque parte afferrentur argumenta, *Sontem* pronuntiabant: et a curia Divionensi damnatus esset ad remos in duodecim annos, nisi fortuitus casus rei innocentiam luce clarius probasset (5).

3°. Postponunt strictum jus aequitati cerebrinae, de qua quas ineptas opiniones vulgus vulgus foveat, quotidie animadvertere licet. Justum et aequum plane contrarias res

(1) Cf. memorabile exemplum apud *Gell.* N. A. lib. 14. c. 2. cui inscribitur: „ Quem in modum disse„ ruerit *Favorinus*, consultus a me super officio judicis." Conf. porro *van Nes*, disp. p. 59—66.

(2) *Phaedrus*, Lib. IV. Fab. 1. vs. 5 sqq.

(3) Ueber Deutsche Gesetzbücher etc. p. 167.

(4) Imperitos, ad quos disceptatio rerum capitalium pertinet, dubia saepe pro certis, falsaque pro veris, imprudenter accipere, clare docuit *J. L. E. Püttmannus*, Opusc. Juris Crim. diss. VIII. p. 211 sqq.

(5) Conf. *Paalzow*, p. 182, ubi citantur *Causes celebres*, à Paris 1813. Tom. III.

res esse putant, et saepius audiuntur vulgi querelae de aequitate stricti juris regulis postposita; neque intelligunt hisce regulis neglectis dominia incerta evasura, et societatis salutem perituram esse. Nesciunt, stricti juris regulas, negotiorum formulas et solemnitates, magna praesidia esse adversus malorum astutiam et malitiam (1).

§. 29.

Porro miseratio, atque aliae animi perturbationes, quibus moventur jurati, saepe eos alliciunt ad leges negligendas aut eludendas (2), quum contra perpetui judices usu docti sint, in foro oportere gratiam, invidiam, aut nimiam clementiam silere, solasque leges illic audiendas esse. Sic experientia docuit, omnes fere puellas infanticidii reas absolvi, quum earum infelicitas aut tristis saepe ac desperabundus vultus animos juratorum inflectat; quibus durum videatur, poenam legibus statutam amabili puellae infligi, atque ita leges omnem vim amittunt (3). Sic in nostra patria exempla prostant, juratorum, etiam illos, qui ipsi factum confitebantur, absolventium, quando contra publicanos, (*Douanes*) omnium odio laborantes, aliquid commissum esset (4).

Praeter illam nimiam, atque perversam et intempestivam clementiam, saepissime quoque aliis animi perturbationibus, aut partium studio, moventur, ut exempla docent condemnatorum per juratos omnium, quos tempore tyrannidis Henrici VIII regia domus mori voluit. Praeterea exemplo sint per hoc judicium condemnati tempore revolutionis sub Carolo II omnes, qui parti dominanti adversarii essent (5).

§. 30.

Celeritas in judicando, quae ab hujus judicii defensoribus valde laudatur, contra ab aliis hac in forma judicii valde reprehenditur.

Celeritas enim, quae in hisce collegiis quam maxima adhibetur, ne longis deliberationibus tempus teratur, per quod captivi in carcere detinentur, tanta est, ut saepe viginti aut plures lites criminales Londini decidantur uno eodemque die, saepiusque ex his

(1) Cf. *van Nes*, p. 63 et 64. (2) Cf. Merkw. Urtheile, p. 104.

(3) Cf. *Mittermayer*, p. 40. not. 40. Praeterea hoc loco notandum, juratos in Gallia, si poenam legibus statutam respiciant, ejusque rationem habeant in sententia ferenda, prorsus contra praecipuam eorum obligationem agere. „— — — et ils manquent à leur premier devoir, lorsque, pensant aux dispositions des loix „ penales, ils considerent les suites, que pourra avoir, par rapport à l'accusé, la declaration, qu'ils ont à „ faire." Cf. Cod. d'instr. Crim. Art. 342.

(4) Conf. Briefw. van Mr. *J. D. Meyer* en Mr. *H. W. Tydeman*, p. 509. not. 1.

(5) Cf. Merkw. Urtheile, p. 98.

his tres aut plures rei ad mortem damnentur; quae celeritas accuratae et diligenti inquisitioni haud dubie repugnat, quum omnino a judiciis criminalibus omnis festinatio procul arcenda sit (1), quippe:

„ Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est (2)."

Quumque experientia, optima illa magistra, doceat, multos rei criminalis peritos viros, nec sine longa deliberatione judicantes, saepius lubrico humanae mentis consilio captos, innocentes damnasse, quis non videat, innocentiam multo majore in periculo versari apud juratos, qui plures causas sine idonea deliberatione, sed festinanter, ad finem perducant (3)? Multi quidem, qui hoc judicium defendunt, hanc celeritatem in judicando propterea adhiberi perhibeant, ne innocentes diu in carcere detineantur, aut longis altercationibus damnum accipiant, hoc axiomate nixi „ melius esse mille „ sontes evadere, quam unum insontem damnari." At contra hos *Feuerbachius* (4) observat, institutum juratorum si propugnaculum dicatur innocentiae, vocandum quoque esse propugnaculum culpae scelerumque, quia, ut certius insontes defendantur, simul sontes protegit et defendit; illamque civitatem, ubi sontes tam facile evadant, minime liberam vocandam esse, quum civibus liberum non sit, quiete ac placide bonis et juribus suis uti, quando semper metuendum est, ne a malis perditisque hominibus spe lucri et impunitatis perturbentur.

§. 31.

Aliud argumentum petitur ab experientia, quae docuerit plurimos in Anglia sontes absolvi, at contra plurimos insontes damnari. Neque ulla forte regio est, ubi tot damnati ad mortem, etiam in extremo vitae spatio sic quiritantur, atque vindictam divinam invocant in capita judicum, perseverantes in protestatione innocentiae, quamvis eodem tempore multa alia crimina jam antea commissa, quaeque impunita mansere, confiteantur. Alii rursus vindictam divinam implorant in perjuros duos pluresve testes, quibus infelicem sui condemnationem solis deberi, perhibent.

Vicissim, multi carcere detenti atque revera puniendi, quin imo saepe morte plectendi, liberantur defectu testium, quod publicae securitati et contrarium et noxium est: saepius enim in Anglia accidit, ut licet testes citati absint, nihilominus tamen jurati sententiam proferant, quamvis luce clarius appareat sine ulteriore inquisitione non

(1) Cf. Berichten omtrent Groot-Britannie en Ierland, p. 256. et *van Nes*, p. 108 et 110.

(2) Juvenalis, Sat. VI. vs. 220.

(3) Cf. *van Nes*, l. l.

(4) Op. saepius cit. p. 113 et 114.

non recte sententiam ferri posse, quod in primis obtinet in causis, ubi quaestio *alibi* (q. d.) tractanda est: clare hoc sequenti probatur exemplo (1): Quidam viarum publicarum insidiator tam veloci equo utebatur, ut quando prima luce aliquem, cui bene notus erat, prope Londinum spoliaverat, tamen eodem die Eboracum (*York*) perveniret; Brevi post deprehenso, et factum neganti (licet alter jurejurando factum ab eo, quem bene noverat, commissum esse testaretur) jurati fidem habuerunt, quum non crederent, hominem posse uno eodemque die duobus locis, plus quam 170 miliaribus Anglicis distantibus, praesentem esse; eum itaque absolvebant, falsamque ferebant sententiam, quam facile evitare potuissent, si modo homines, qui diversis in locis latronem vidissent, tanta celeritate equo vectum, citassent.

Huc accedit severitas poenarum, quae saepe Regem movet ad gratiam faciendam; quo jure gratiae toties Rex utitur, ut frustra apud alias gentes tot exempla quaerantur.

Haec omnia, quot sunt occasiones poenae evitandae, tot peccandi sunt illecebrae; non enim severitas poenae, sed ejus certitudo a criminibus deterret; ut exemplo suo Anglia probat, ubi spes impunitatis tot etiam honestioris loci homines allicit ad peccandum. Hinc in ipsa urbe multiplices istae fraudes, hinc prope urbem tot rapinae, quum spes impunitatis saepius non fallat (2); quum minimum etiam vitium aut nominis, aut praenominis aut tituli accusatorum, mox efficit ut liberentur (3).

§. 32.

Quando jurati judicaverunt de facto, deque adjunctis et consiliis, quibus tale factum commissum est, judex pronuntiando poenam, lege in tale factum constitutam, munere suo defungitur; aliis verbis, est instrumentum, quo jurati ad quodcunque volunt, utuntur: et judex, qui tam abjecte de se non existimat, raro ex animi persuasione sententiam ferre potest, sed saepius, contra intimam convictionem, falsam sententiam pronuntiare cogitur: ut exemplo probat Ampliss. *Feuerbach* (4). Quidam accusabatur in favorem homicidae falsum testimonium dixisse: lex diei 5. Mensis Pluviosi anni II. statuerat poenam, qua hujus criminis reus in 20 annos conjiceretur in vincula. Juratis poena durior videbatur, quare accusatum liberare statuebant: sententiam ergo ferebant hujusmodi: „ accusatus falsum testimonium dixit, sed non consilio poena digno hoc „ egit."

Haec

(1) Hoc exemplum ex *Wendebornio*, Tegenw. staat van Groot-Brittannie, T. II. c. 2. allegat *van Nes*, in disp. p. 109. not. i.

(2) Cf. Berichten etc. p. 89—91., et *Feuerbach*, p. 115 in fin.

(3) Cf. *Feuerbach*, p. 114. (4) p. 161., et *Paalzow*, p. 165.

Haec sententia quum aperte sibi ipsa contraria esset, ab judicibus vituperabatur, et jurati ad novam sententiam ferendam dimittebantur. Sed his poena durior quum visa esset, et semel statuissent accusatum ab illa poena liberare, prorsus diversam a prima sententiam ferebant. „ Accusatus falsa indicia non fecit." Atque judices contra intimam convictionem coäcti erant reum liberare et dimittere.

§. 33.

Judicii jurati, sive parium, plurimi defensores hanc indolem tradunt, ut quisque per pares suos judicetur: quippe, qui optime de crimine commisso, deque animo crimen committentis judicare possint, „ ce sont ses pairs, c'est-à-dire, ceux qui se rapprochent de „ sa position par une similitude de devoirs et de relations. Ainsi celui qui manquera „ à la loi militaire, sera jugé en connaissance de cause, par ceux, qui placés dans la „ même position, doivent être instruits des devoirs qu'elle impose. Ainsi un cultiva„ teur, un manufacturier, un commerçant, connaissent, outre les loix generales, qui „ frappent à la fois sur tous les citoyens, celles qui sont particulières à leur profes„ sion; et voila pourquoi un jury doit être composé, autant qu'il est possible, des pairs „ de l'accusé ou des plaideurs (1)."

Sed contra hoc judicium parium (*Pärschaft*) multa observat *Feuerbach* (2).

1°. Hanc omnium similitudinem nil facere ad factum et consilium alicujus melius dijudicandum: quod si enim invicem similes tantum sint muneribus, aut externo vitae genere judices et accusati, propterea non de intimis animi affectionibus judicare possunt: ad quod requireretur et animi, et indolis, et aetatis, et studii similitudo, quae profecto omnia in variis hominibus varia sunt, neque similia esse possunt.

2°. Etiamsi concedatur, pares externo tantum vitae genere melius de se invicem posse judicare, adeoque hanc similitudinem (*Pärschaft*) quam maxime esse quaerendam, hinc maxima sequerentur mala; tunc nobiles de nobilibus, milites de militibus; sed etiam plebs de plebe, mendici de mendicis, sententiam ferrent; atque sic fieret, ut nobile judicis munus vilissimo hominum generi saepius deferretur (3).

§. 34.

(1) Verba sunt Abbatis Sieyes, prolata in Conventu Nationali die 8 Aprilis 1790 (*Moniteur*, No. 100.) Cf. *Feuerbach*, p. 83. in not. (2) Op. cit. sect. 3. p. 81 sqq.

(3) Addi potest 3°. inter ejusdem ordinis et opificii homines, vel collusionis, vel aemulationis et hinc odii atque invidiae, justum metum adesse: unde judicii perversitatem saepius oriri, necesse est, secundum antiquum Hesiodi dictum (ἔργα καὶ ἡμέραι vs. 25.)

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

§. 34.

Multi quoque publicam formam jus dicendi valde reprehendunt, ob has praecipue rationes:

1°. Pessimas necesse est habere sequelas, si cives a munere et familia sua avocentur, utilioresque occupationes negligere cogantur, ut possint adesse assisis, seque immiscere rebus, quas non percipiunt, de quibus postea inutiles oriuntur sermones, qui civitati valde nocere possint, quando illi cives, qui jurisdictioni adfuerunt, odio prosequuntur judices, qui accusatum *sontem* pronuntiaverunt; sic enim hominum naturam comparatam esse, experientia semper docuit, ut damnatorum, sive sontes sive insontes sint, semper alios misereat, et odio habeantur judices, qui sontes, quos autem auditores insontes putant, condemnavere.

2°. Quando testes publice audiantur, omniaque ad litem criminalem pertinentia publice tractentur, non aliter fieri potest, quin haec saepe indecora et facinorosa maxime noceant moribus civium praesentium (1). Praeterea tribunali, ubi haec omnia publice tractantur, nullus locus aptior videtur juvenibus sceleratis ad discendos optimos facinoris perpetrandi modos, quum alieno exemplo saepe ad facinora excitentur, atque praeterea alienis periculis cautiores facti, eadem crimina cautius perpetrare, seque dolo et astutiis defendere discant (2).

3°. Continui susurri hominum circumstantium, et risus saepius ex rusticitate testium ortus, ipsos testes adeo perturbant, ut testimonium rite et quiete perhibere nequeant. Porro ipsi quoque jurati novi muneris gravitate et hominum frequentia insolita saepe impediuntur, quo minus animum et cogitationem ad causam propositam et testimonia testium adhibere possint. Ipsique accusati, si insontes falsis accusationibus primum ad judicium vocati sint, perturbantur, atque multitudine hominum prohibentur recte et distincte cogitare et loqui.

Praecipuis hisce argumentis, quae vulgo ab hujus judicii reprehensoribus afferuntur, expositis, jam superest, ut ea quoque argumenta, quibus praecipue hoc judicium defenditur, tradamus.

(1) Conf. *van Nes*, p. 102. not. e.
(2) Cf. Briefwiss. van *J. D. Meyer* en Mr. *H. W. Tydeman*, p. 522. not. 1.

PARS TERTIA.

ARGUMENTA PRAECIPUA, QUIBUS JUDICIUM JURATORUM DEFENDITUR.

§. 35.

Expositis jam argumentis praecipuis, quibus vulgo haec judicii forma impugnatur, superest, ut quae ab altera parte praecipua afferuntur argumenta exponamus. Initium faciam breviter tractanda utraque quaestione, quam collegium ab rege Borussiae convocatum (*Königlich Preussische Immediat-Justiz-Commission, über das Geschwornen-Gericht*) in judicio Juratorum approbando, praemittit; quarum prior de certis probationis regulis, altera de poenis extraordinariis agit (1).

Maximum profecto discrimen inter illam formam inquisitionis, quae probationis regulas praescribit, illamque inter, quae solam intimam convictionem requirit, quisque animadvertit. Illa certas normas praescribit, secundum quas judicum sententia formari debet, jubetque omne factum, quod certo numero testium idoneorum confirmatur, verum haberi: haec contra ad condemnandum aut absolvendum solam intimam convictionem sufficere docet (2). Hanc ultimam inquisitionis formam, quae in judicio juratorum locum invenit, probat collegium modo memoratum.

In mathematica probanda veritate probatio certis regulis adstringi potest: possumus enim in ea ad talem certitudinem pervenire, ut certo sciamus contrarium locum habere non posse: contrarium vero in historica veritate obtinet, in qua certitudo nunquam talis est, ut contrarium locum habere non possit: itaque ea probatio fixis regulis adstringi nec debet, nec potest. Veritas historica nititur testimoniis aliorum, perceptionibus sensuum, argumentationibus, aliisque rebus, quae omnes, quantacunque diligentia

(1) Cf. Gutachten etc. p. 1—56. et Briefw. p. 471.—486.

(2) Cf. Gutachten, etc. p. 2. et art. 342. Cod. d'instr. Crim. „ — elle [la loi] ne leur fait que cette „ seule question, qui renferme toute la mesure de leur devoir, „ Avez vous une intime conviction?"

tia adhibeatur, fallere possunt et saepissime fallunt. Quis enim possit certas regulas praescribere, secundum quas probationes in unaquaque causa sint judicandae? Nullae quippe causae, nulla facta sibi prorsus sunt similia, sed variae causae varias habent probationes, quae ex habitu, voce, gestuque testium sunt dijudicandae, itaque certis regulis non adstringendae.

Aliud argumentum, quo hunc modum probandi defendunt, petitur ab adversariis juratorum, qui, ut hoc judicium impugnent, judicem instrumentum juratorum exclamant: at vero defensores judicii jurati judicem vocant instrumentum formularum, quibus adstrictus est in judicando: saepius enim accidere posse perhibent, ut judex aliquem, quem ex intima sua convictiore sontem habet, absolvere cogatur, quando factum non tot testibus, quot lex requirit, affirmatur.

Porro nullae regulae in probationibus dijudicandis statui possunt, quae judicis arbitrium prorsus excludant. Exemplo sit art. 386. criminalis ordinationis Borussiae (*de Pruissische Criminele Ordonnantie*), quo statuitur, duos testes, juratos atque omni exceptione majores, factum quodcunque affirmantes, sufficere ad reum condemnandum, nihilque amplius requiri: hic articulus primo adspectu omne judicum arbitrium excludere videtur, sed quinam testes integrae famae, sive idonei sint, ab judicibus est judicandum, adeoque res revera ad judicum arbitrium redit (1). Quod jam Jus Romanum agnovit, in *l.* 3. §. 2. *ff. de Testibus.* „ Ejusdem quoque principis [*Hadriani*] exstat „ rescriptum ad Valerium Verum de excutienda fide testium in haec verba: „ Quae ar- „ „ gumenta ad quem modum probandae cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis „ „ definiri potest: sicut non semper, ita saepe, sine publicis monumentis cujusque rei „ „ veritas deprehenditur, alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias veluti „ „ consentiens fama confirmat rei, de qua quaeritur, fidem. Hoc ergo solum tibi re- „ „ scribere possum summatim, non utique ad unam probationis speciem cognitionem „ „ statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te aestimare oportere, quid aut „ „ credas, aut parum probatum tibi opinaris.""

Poenas quoque extraordinarias (*ausserordentlichen Strafen*), quas forma judicandi per Juratos non admittit, Collegium saepius memoratum vituperat atque rejicit.

Poena extraordinaria vocatur ea, quae, argumentis non plane sufficientibus, infligitur (2).

Haec poena varias ob causas rejicitur, quarum unam alteramve enumerabo. In judi-

(1) Cf. Gutachten, p. 13. et Briefwiss. p. 474.

(2) Cf. Gutachten, etc. p. 28.

dicando de facto aut crimine, an commissum sit nec ne, non statuendum est medium inter culpam et innocentiam. Sensu enim juridico *non apparere culpam* idem est atque *apparere innocentiam;* omnis enim poena, quae sine justo culpae indicio infligitur, injusta habenda est, quamvis innocentia non plane appareat (1).

Aliud argumentum ad poenas extraordinarias rejiciendas sumitur ex iniquitate, semper has poenas comitante. Nam poenae extraordinariae aut *sonti* infliguntur, et tunc leviores sunt; aut *insonti*, quo casu graviores sunt quam oportet; utroque ergo casu revera injustae sunt: jus quoque Romanum has poenas non admittit, neminemque de sola suspicione condemnat.

„ Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari, Divus Trajanus Assiduo Severo „ rescripsit: satius enim esse, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem „ damnare (2)."

§. 36.

Jam ipsa argumenta recensebo, in quibus tractandis eundem, quem supra secutus sum, ordinem servabo, singula argumenta singulis paragraphis comprehensurus.

Non minima juratorum laus in eorum prae perpetuis judicibus praestantia sita esse, sequenti modo probari videtur.

1°. Cognitio causarum criminalium si perpetuis judicibus deferatur, quis non animadvertit, facile illam potestatem in tyrannidem atque crudelitatem abire posse? At contra Jurati, quum forte per totam vitam semel aut bis ad jus dicendum vocentur, atque statim ad communem vitam redeant, non habent, quo glorientur, aut quo ad superbiam, et hinc orientem crudelitatem, incitari possint (3).

2°. Jurati carent ista severitate, quae saepe in judicibus, sive juvenibus theoreticis, sive senibus practicis, deprehenditur. Juvenes ad judicis munus accedunt imbuti pulchris atque sublimibus justi atque aequi ideis; sed expertes experientiae, quae cognitionem animi humani docere debet: quando itaque de delicto judicandum est, mox maleficos vituperant atque exsecrantur, omniaque delicta inhumana, et propterea severe punienda existimant.

Ab altera parte saepius animadverti potest, judices per longum tempus hoc munere functos, severitatem exercere innocentibus maxime perniciosam; quae severitas necessario oriri debet ex quotidiana cum maleficis consuetudine; quotidie enim alii facinorosi, aliaque facinora iis proponuntur; atque hinc fit, ut eorum sensus hebescant, et ad-

(1) Cf. Bourguignon, II. Mem. p. 65.
(2) Cf. l. 5. pr. ff. de poenis.
(3) Cf. Gutachte, p. 113.

adversus omne genus humanum odio quasi imbuantur, ita ut sontes ab insontibus discernere nequeant, dum ubique prava atque punienda consilia animadvertere sibi videntur (1).

3°. Judices perpetui facilius sese corrumpi patientur, quando non metuunt ne suo munere priventur. Quod si a principe legantur, illi semper obnoxii manent, ejusque opinionem in sententia ferenda saepius sequi coguntur: quum contra juratorum ex honestioribus civibus lectorum unice intersit, ut justitia bene exerceatur et cives ab injuriis Principis aut potentiorum defendantur.

§. 37.

Multi Juratis objiciunt, eos saepius ex clementia atque misericordia contra leges judicasse (2). Sed hoc ipsum a defensoribus hujus instituti magnum pro ipsis esse argumentum defenditur (3).

Crimina, quae Jurati plerumque excusant, talia sunt, in quae major quam oporteret ab lege poena statuta est; poena, inquam, quae fundamentum habet in vetustioribus hominum opinionibus, sed quae hodierno tempori non amplius convenit; aut quando verba legis communi populi voto repugnant. Verbi gratia, in Britannia lex (quae ob antiquitatis reverentiam non abrogatur) statuit poenam capitis, excluso jure gratiae, si quis dolo malo pecus alienum occidat: quod si jam Jurati hujus criminis accusatum semper *insontem* pronuntient, quisnam eos reprehendet? judicant secundum communem populi consensum: quin imo secundum legislatoris animum. Exempla quoque multa prostant infanticidii accusatarum a Juratis absolutarum, quum poena in infelices, saepe desperabundas matres, durior videretur: atque hoc modo leges, non abrogatae, et tamen temporibus aut moribus non amplius convenientes, nocere desinunt: quum Jurati semper e vita communi ad judicis munus vocentur, optime scire possunt, quaenam communes de lege sint opiniones: neque solis hoc Juratis proprium est, sed apud alias gentes, hac forma judicandi non utentes, ejusmodi quoque exempla prostant: ita in Germania art. 109. Constitutionis Criminalis Caroli V contra Magos non abrogatus est, sed in usu esse desiit, simul ac judices hujus accusationis absurdum perspexerunt (4).

(1) Cf. Gutachte, p. 113 — 115. (2) Cf. supra p. 61. § 29.
(3) Cf. *Mittermayer*, p. 40. not. 40. Gutachte, etc. p. 122, et Briefwisseling, p. 509. not. 1.
(4) Plura exempla prostant in de Briefw. van *J. D. Meyer* en Mr. *H. W. Tydeman*, p. 510. not. 1.

§. 38.

Institutum juratorum, quamvis dicatur ab adversariis saepius facinorosos absolvisse, hac maxime gaudet laude, quod sit propugnaculum innocentiae tantum ac tam forte, ut apud illas gentes, ubi jurati judicii ratio bene conformata est, absque exemplo sit, innocentem unquam succubuisse falsae accusationi, dum innumerae condemnationes injustae quoslibet alios judicandi modos erroris convincant (1).

Et quid mirum, cives, qui statim postquam munere defuncti sunt, ad vitam communem redeunt; quos semper accusati miseret, quum usu dedicerint, quam difficile saepe sit honeste vivere; qui usu quotidiano vitae communis infelices a facinorosis discernere didicerint: tales judices a superbia, a rusticitate aut crudelitate abhorrere?

Praeterea habitus ille quietus innocentiae proprius, vel perturbationes, quas animi molles sed insontes saepe ostendunt (2), etiamsi non statim juratos convincant de reorum innocentia, tamen efficiunt, ut dubii maneant, et utroque casu innocentia servatur. Huc accedit, nullam iis viam clausam esse inquirendi in innocentiam: contra, quam in multis aliis formis procedendi obtinet, v. g. infelix Calas ad innocentiam probandam frustra invocabat testimonium ancillae suae, quam judices audire nolebant, quippe quae ex familia esset: sed, si ab Juratis judicatus fuisset, certissime absolutus fuisset; quippe qui rationem habituri fuissent animi paterni, pii, quieti et innocentiae conscii: neque testimonium ancillae, quod ipse pro se multum facere perhibuerat, rejecissent (3). At vero, Juratos nunquam contra intimam convictionem innocentes damnasse, optime probari potest ex testimonio ipsius hujus judicii oppugnatoris, consultiss. *Merlin*, qui, licet ceteroquin multa contra hanc formam judicandi attulerit, scribit:
„ Rendons pourtant justice aux erreurs, même à la prévarication des Jurés: ils ont
„ trop de fois acquitté des coupables; mais il n'a pas encore été prouvé, qu'ils eus-
„ sent jamais fait couler une goute de sang innocent: et si l'on pouvait supposer,
„ qu'ils eussent vu quelquefois le crime là où il n'y avoit qu'une apparence trom-
„ peuse et fausse, ce ne serait pas leur conscience qu'il faudrait accuser; ce serait
„ la

(1) Cf. *Bourguignon*, III. Mem. p. 91. „ Ou il existe une bonne organisation de Jurés, il est sans exem-
„ ple, qu'un innocent ait succumbé sous le poids d'une fausse accusation, tandis qu'un grand nombre de
„ condamnations injustes viennent accuser tous les autres modes d'instruction. "

(2) Cf. *Cicero*, pro Milone C. 23. „ — — ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper
„ ante oculos versari putent, qui peccarint. "

(3) Cf. *Paalzow*, p. 174.

„ la fatalité malheureuse des circonstances, qui auraient accompagné l'accusation, et „ qui auraient trompé de même les juges les plus pénétrants et les plus exercés à „ rechercher la vérité, et à la démêler du mensonge (1)."

§. 39.

Magnum quoque hujus judicii praesidium in eo situm est, quod confirmet atque stabiliat libertatem civilem; — non monstrum illud, quod sub finem saeculi praecedentis scelere atque sanguine totam Galliam inundavit: sed eam libertatem civilem, quae omnium jura atque facultates agnoscit et servat, quae in omnibus regiminis formis, exceptis despotismo et anarchia, observari potest et debet, quae non in singulorum arbitrio et libidine consistit; sed e contrario huic libidini maxime adversatur et repugnat (2).

Pro hac, inquam, libertate, bono inaestimabili, multum posse hoc Juratorum institutum, hinc apparet;

1°. Libertas civilis certissimum fundamentum habet in bonis legibus, praecipue illis, quae formam procedendi criminalem spectant (3), quae cives juribus et facultatibus suis quiete uti frui sinant, quae numquam insontes condemnent, sed omnia maleficia et accusationes facinorosorum praeveniant, secundum hanc *Montesquievii* sententiam: „Nisi civium innocentia stabilita sit, neque eorum libertas confirmata est." (4)

2°. Haec certe libertas civilis, quum praecipue in eo posita sit, ut neque libido tyrannorum, neque potentium odium, quod saepe legibus abutitur, timendum sit, haec, inquam, libertas ea forma procedendi valde confirmatur, quae in quaestione de criminibus, et libidinem tyrannorum, et potentium auctoritatem excludat, atque omnem hac in re potestatem civibus relinquat, quorum vel maxime interest, ut haec libertas conservetur. Is enim, qui aut libertate cogitandi, aut alia re summae potestati invisus est, libidini tyranni sive despotae cedere debet, aut in imperio, ubi leges quidem observantur, sed Jurati desiderantur, timere potestatem judicum, qui a summa potestate lecti, semper huic obnoxii manent. In imperio vero, ubi forma procedendi per Jura-

(1) Cf. Gutachten, p. 123. (2) Cf. *Bourguignon*, II. Mem. p. 54.

(3) Operae pretium est hic conferre adnotationem Anonymi ad caput 2. Libri XII. *Montesquievii*, Esp. des Loix.

(4) *Montesquievius*, Esp. des Loix, lib. XII. c. 2. „Quand l'innocence des citoyens n'est pas assurée, „ la liberté ne l'est pas non plus."

ratos rite constituta obtinet, nil ipsi timendum est; ibi enim neque libido tyrannorum, neque judices summae potestati obnoxii, nocere possunt (1).

§. 40.

Quia defensores hujus judicii non parum curant ut argumentum, quod in primis contra Juratos affertur, eos nempe invitos et contra libertatem ad hoc munus trahi (2), solvant, non alienum ab hoc loco mihi videtur, solutiones hujus argumenti ab illis allatas, exponere.

1°. Provinciae quae Rheno adjacent (*Rhijn-provinciën*), votis suis ad hoc institutum retinendum publice factis, satis ostendunt, onus non tam grave esse, quin id lubenter subeant, ad aliam formam judicandi evitandam, et hoc libertatis propugnaculum non amittendum: neque in omnibus illis provinciis ullum exemplum exstat poenae (3) (post expulsos Francos, id est, fere per quinquennium) inflictae illis, qui secunda vice evocati non advenerint.

2°. Etiamsi nonnulli inviti hoc munere fungantur; multi ab altera parte libenter id administrant, quoniam honori sibi ducunt; et re ipsa ostendunt, se non indignos esse fiducia in se posita: quin imo saepius multi post condemnationem plura contulerunt ad leniendos dolores condemnati, ejusve cognatorum inopiam mitigandam; defuncti justitiae officio, humanitatis officia non neglexerunt.

3°. Difficultates istas, quae juratorum conventui molestae sint, v. g. diuturnas curiae sessiones, minorem pro itineris sumtibus compensationem, ceterasque, facillime tolli posse censent; iisque mutatis aut nullas, aut adeo exiguas superfore difficultates, ut nullae fere molestiae hominibus in hoc judicium convocatis remansurae sint.

4°. Licet concedatur, multos invitos in hoc judicium legi atque vocari, propterea tamen utile et necessarium institutum non vituperandum est; quin potius cives excitandi sint ad suam animi duritiem et apathiam frangendam, atque incitandi ad rectam hujus judicii cognitionem, ejusque utilitatem percipiendam. Porro, vectigalia aut conscriptio militaris non propterea abrogari possunt, quia hominum natura ita comparata est, ut semper inviti liberis suis, libertate, aut bonis priventur (4).

§. 41.

(1) Cf. *Bourguignon*, I. Mem. p. 133 sqq. (2) Cf. supra §. 26. p. 54.
(3) Poena quae statuta est art. 396. du Cod. d'instr. Crim. Cf. supra §. 26. p. 56.
(4) Cf. Gutachten, p. 169 — 174. et Briefw. p. 516 — 519.

§. 41.

Neque minimam laudem Jurati ferunt ex celeritate, qua omnes causae ad finem perducantur, praetermissis longioribus ambagibus et altercationibus, quae saepius accusatis noxiae evadunt. Hanc etiam ob rationem Angli jubent, cujuscunque causae examen semel inchoatum uno tenore absolvi, atque sententiam differre prorsus prohibent. Atque hoc modo omnis occasio corruptelae sive judicum sive testium tollitur. Praeterea multae morae multaeque ambages evitantur, et tempori parcitur, quod captivi inter spem et metum detenti in carcere ferre coguntur. Insuper hujus instituti non minimum est emolumentum, quod tollatur *liberatio sub cautione judicio sisti* (*vrijlating onder handtasting*): qui enim tali sub cautione e judicio mittitur, si innocens sit, per totam vitam timere debet, ne rursus molestis inquisitionibus et litibus subjiciatur; sontes vero primam, quae se obferat, occasionem arripere possunt, ut effugiant, legesque et judices eludant.

§. 42.

Magni quoque defensorum hujus instituti interest, ut refellantur argumenta, quae contra pares (*Pärschaft*) afferuntur, (praecipue *Feuerbachii*, quae §. 33. exposui) ne ceteroqui totum hoc judicium aliquid absurdi et ridiculi continere videatur.

Ad haec itaque refutanda observat Collegium Rheno-Borussicum, saepius memoratum, totum hoc argumentum falsa niti hypothesi: quidquid enim alii crepent de paritate judicum et accusatorum, id nihil aliud significare, nisi ut accusatus judicetur ab hominibus a partium studio liberis, ex medio populo, modo lege praescripto, electis, non vero per judices a summa potestate creatos: porro observatur, hanc paritatem ubique frustra quaeri, quum fieri non possit, ut duo homines omnibus numeris sibi pares sint, quum aut vitae genere, aut aetate, aut divitiis, aut corpore, aut animo semper differant per ipsam rerum naturam. Omnia itaque argumenta, quae ex paritate contra hoc judicium afferuntur, originem trahere ex absurdo, quod quidem oppugnatores huic judicio inesse dicant, sed revera nunquam inesse possit (1).

§. 43.

Denique publica procedendi forma commendatur his argumentis:

1°. Ubi publice omnia, quae ad defendendum aut accusandum necessaria sunt, instruuntur, ibi profecto iniquitati omnis via clauditur, atque hinc magna sane civibus ori-

(1) Cf. Gutachten, p. 187 — 206.

oritur fiducia, qua formam judicandi patriae suae magni ducant, eamque omni ope defendant, ne vel corrumpatur, vel prorsus tollatur: atque sic cives intelligunt, si unius res agatur, communem rem agi, et hinc semper boni cives judiciis adesse cupiunt, ne quid contra justitiam aut sua privilegia committatur (1).

2°. Hanc publicam procedendi formam maxime amorem patriae augere, Britanni exemplo suo ostendunt. Hi enim maximo patriae amore gaudent atque fervent, quod in primis quoque huic instituto tribuendum est. Quisque civis Anglus gaudet potestate legislatoria, sive enim ipse inter Juratos ad judicandum legatur, sive per omne tempus quo causa instruitur et ad finem perducitur, judicio adsit, maximam in omni causa habet auctoritatem; et si forte quid contra justitiam, consuetudinem, aut privilegia committatur, statim animadvertere potest et repugnare: quin imo hoc emolumentum tantum est, ut scriptor quidem Germanus, ceterum hujus judicii oppugnator, negare non possit, praeter judicium Juratorum et publicam procedendi formam, nullum sibi cognitum esse institutum, quod tantopere valeat ad amorem patriae inter cives excitandum, augendum et conservandum (2).

§. 44.

Hisce argumentis ergo, quae ab utraque parte praecipua afferuntur, expositis, ceteris minoris momenti supersedere mihi liceat, atque operi finem imponere: stylum fateor satis simplicem esse; verum,

„ *Ornari res ipsa negat, contenta doceri.*" (3)

An vero satis felici successu res acta sit, doctiores videant atque judicent. Ceterum maxime gaudeo, in tanta re, quae ab utraque parte tam peritos habeat et defensores et oppugnatores, non juvenum exquiri sententiam, quum lubenter agnoscam *non nostrum esse, tantas componere lites.*

(1) Briefwiss. van Mr. *J. D. Meyer* en Mr. *H. W. Tydeman*, p. 522. not. 1.

(2) Cf. *v. Vincke*, Darstellung der innern Verwaltung Gross-Britanniens. Cf. *Meyer* in Op. saepius cit. Tom. II. p. 205. not. 1.

(3) *Manilius*, Astronomicôn, L. III. vs. 39.

SYMB.

Non nostrum — tantas componere lites.
VIRG. Ecl. III. vs. 108.

TANTUM.

FRIDERICI GULIELMI NICOL. SURINGAR,

L I N G E N S I S,

THEOLOGIAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA CANDIDATI,

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM AB ORDINE THEOLOGORUM LUGDUNO-BATAVORUM A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Philologice et Critice illustretur locus insignis Matth. XXII: 37—40. *habitâ etiam contextae orationis ratione; deque officii, a sanctissimo Servatore praescripti, nexu cum universâ Ethice Christianâ de industriâ exponatur.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT, D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

COMMENTATIO THEOLOGICA

DE

OFFICIO MATTH. XXII. 37—40. PRAESCRIPTO, EJUSDEMQUE NEXU CUM UNIVERSA ETHICE CHRISTIANA.

INTRODUCTIO.

Commentarios Evangelistarum de rebus a Christo gestis, sermonibusque ab eo habitis perlustrantes non possumus non maximam admirari praestantiam doctrinae moralis, quam tradidit summus ille Religionis Doctor, qui ad reparandam generis humani salutem in has terras venit, et quo nemo alius plus auctoritatis habet. Hujus enim doctrinae certissimis fundamentis superstructae sive spectemus amplitudinem, complectitur illa quaecunque de Deo rebusque divinis, nostrâque ad Deum auctorem nostrum et homines naturae nostrae socios relatione, ad vitam bene instituendam, et ad sincerae pietatis studium aliis commendandum, cognitu sunt necessaria; sin ad ejus attendamus evidentiam, videmus hic officia Deo, nobismet ipsis, ac naturae sociis, debita eo exponi modo, qui omnium hominum ingeniis illustrandis, animis emendandis et felicitati promovendae sit aptissimus. Sive denique ad animum revocemus egregia, quae haec doctrina complectitur virtutis incitamenta, sunt haec ejus generis, ut nulla possint cogitari, quae ad mores regundos et vitam recte instituendam, alendamque pietatem majorem habeant vim et efficaciam.

Ipse sanctissimus Servator vitae omnino inculpatae et virtutis perfectissimae dedit exemplum, quod intueri et ad quod nos componere liceat. Idem sinceros Dei cultores amplissimis post mortem praemiis ornatum iri docuit; et ne quid desit, quod homines ad verae pietatis studium possit incitare, auxilium quoque nobis in hac imbecillitate

 nos-

nostrâ promittit divinum ad ea peragenda, quae Deo placeant, et saluti nostrae promovendae maxime inserviant (1).

Haec doctrinae Jesu moralis praestantia, ut in reliquis omnibus, quae summus Doctor dedit praeceptis, ita quoque maxime elucet in illo de Deo O. M. et hominibus naturae nostrae sociis amandis praecepto, quod, ut Legis divinae summam et omnium officiorum a nobis praestandorum compendium, optimus Servator in egregiâ illâ sententiâ, quae Matth. XXII. 37—40. legitur, evidentissime commendavit.

Cum hujus loci insignis tractationem illustris Ordo Theologorum juvenibus hoc anno certamen literarium ingressuris proposuerit; equidem vires meas in solvendâ hac quaestione experiri mecum constitui.

Ut justo ordine procedat tractatio nostra, praemissis nonnullis de occasione, qua Servator haec loquutus est, primo loco observationibus criticis et philologicis, ad hujus loci illustrationem nonnihil conferre studebimus, dein vero de officii a sanctissimo Servatore praescripti nexu cum universâ Ethicâ Christianâ de industria exponemus.

PARS PRIMA.

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE ET CRITICAE IN LOCUM MATTH. XXII. 37—40, COLL. MARC. XII. 28—31.

Antequam ad ipsam horum commatum interpretationem progrediamur, paucis praemonendum, quaenam res huic Servatoris dicto ansam dederit.

Postquam Jesus solenniter Hierosolymas introiisset Matth. XXI. 1—10, ubi mortem suam a Senatu Judaeorum esse decretam noverat Jo. XI. 47 sqq., quotidie adibat templum, ibique populum ex omnibus Palaestinae oris, ob instans festum Hierosolymis con-

(1) De praestantiâ doctrinae Jesu moralis cff. *J. A. Turretini Opera* T. I. pag. 291 sqq. *J. J. Zimmermanni Opuscula* T. I. P. I. pag. 539 sqq. P. 2. pag. 569 sqq. T. II. P. 1. pag. 610 sqq., et qui plures laudantur a Cl. *J. Clarisse, over het bewijs voor den Goddel. oorsprong van het Evang. uit den voortref. aard van deszelfs Zedeleer*, *Haagsch Gen.* 1803. bl. 18 en 19. et in primis legantur, quae ipse V. Cl. scripsit ibid. pag. 48 sqq.

congregatum, summo cum applausu docebat, doctrinam suam miraculis confirmans, Matth. XXI. 14 sqq. Aegre hoc admodum ferebant, tum Pharisaei, quibus aperte obloquebatur, quorumque hypocrisin populo, magni eos ceteroquin facienti, palam faciebat, tum Sadducaei, quorum pessimam doctrinam, moresque valde corruptos saepe publice reprehenderat; atque hi ceteroquin maximi inimici et nullum inter se commercium alentes, nunc eâ de re consentiebant, prophetam hunc, cujus auctoritas quotidie apud populum nova caperet incrementa Matth. XXI. 46, e medio esse tollendum, quod cum publice facere non auderent prae metu populi, multas ei proposuerunt quaestiones, ut aliquam eum calumniandi ac deridendi occasionem invenirent.

Hisce vero non deterritus Jesus ad eorum interrogationes, vel per oppositas interrogationes, vel per parabolas, vel magis aperte, respondebat, pergebatque impietatem atque levitatem synedrorum, sacerdotum et procerum populi, publice reprehendere; qui, quamvis ipsorum curae salus Civitatis et Ecclesiae Judaeorum commissa esset, tamen mores majorum imitantes, salutem populi negligerent, proprii commodi et lucri causâ, ac dominandi libidine incensi, inscitiam et inprobitatem promoverent, errores spargerent, divinae voluntatis interpretes contumaciter repudiarent, et ipsius adeo Messiae, quippe votis ac desideriis ipsorum non respondentis, cohortationibus parere nollent.

Frustratis hisce conatibus non acquiescentes Pharisaei, abeuntes deliberabant, quomodo elicerent ex eo responsum, quod occasionem praeberet ejus perdendi.

Miserunt igitur nonnullos discipulorum suorum cum Herodianis quibusdam, qui pessime simulando, eumque blandis verbis alloquendo, quaestionem gravissimam et omnino captiosam proponebant, ad quam respondendo ille, vel in totius populi libertatis cupidissimi, ipsiusque Herodis odium incurreret, vel coram Magistratu Romano seditionis accusari posset, Matth. XXII. 15 sqq.

Pharisaeis tamen nunc etiam a Jesu ad silentium redactis, Sadducaei eum adibant in insidiis ei struendis nunc suas quoque vires periclitaturi. Noverant nempe Jesûm resurrectionem mortuorum docere, putabantque eum Pharisaeorum decretis de statu hominum futuro, eorumdem conditioni in hac vita simillimo adstipulari, cujus doctrinae absurditatem jam palam facere conabantur. Jesus vero non solum ostendit, vanam esse illam Pharisaeorum doctrinam, qua Sadducaeorum quaestio nitebatur, sed et praeterea docuit, illos futuram mortuorum resurrectionem negantes apertis Librorum Mosaicorum testimoniis repugnare, quare hi etiam scopo suo excidentes abierunt, Matth. XXII. 23.

Cum sic ex hisce controversiis sibi motis superior discederet Jesus, non poterat non crescere ejus apud populum fama et existimatio, cui invidentes Pharisaei de eâ imminuendâ iterum inierunt consilia.

Matthaeus com. 34 narrat, Pharisaeos, postquam audivissent, Jesum Sadducaeos ad silentium redegisse, una congregatos esse, ut consilia de eo captando inirent. Jam vero εἷς ἐξ αὐτῶν νομικὸς ad Jesum accessit et quaestionem ei proposuit, ad quam ea, quae com. 37—40 leguntur, respondit optimus Servator.

Νομικὸς ille, qui hic memoratur, a Marco XII. 28. dicitur εἷς τῶν γραμματέων; de utroque igitur nomine hic paucis agendum.

Νομικὸς apud Graecos scriptores passim dicitur *legis interpres*, *legis peritus*, *jureconsultus*. Conf. *Strabo* L. XII. pag. 318 c, qui eum dixit ἐξηγητὴν τῶν νόμων, *Arrian. Epict.* II, 13. τὸν ἐροῦντα καὶ ἐξηγησαμένον τὰ νόμιμα. conf. et *Anthol.* II. 22. 9. *Josephus B. J.* L. II. c. 21. § 7. et *in Vita* § 39. *Plutarchus Quaest. Rom.* pag. 271 citati a *Wetstenio* ad h. l.

In N. F. autem sic dicuntur interpretes legis Mosaicae ac traditionum, qui sacras litteras et traditiones non solum scrutabantur et interpretabantur, sed etiam in difficilioribus legis Mosaicae quaestionibus responsa dabant.

Γραμματεῖς Hebraeis vocantur סוֹפְרִים a verbo סָפַר, *scripsit*, *recensuit*, *exposuit*, de cujus nominis vario usu, tum apud alios scriptores, tum in libris V. F. diligenter egerunt *Fesselius*, *Advers. S.* L. I. c. 1. et *Fr. Spanhemius*, *Dub. Evang.* P. II. Dub. 38, 39, 40. Eorum frequens admodum in libris N. F. historicis est mentio. Erant illi Legis divinae doctores, qui Libros S. describebant et descriptos asservabant, eosdem populo in Templo et Synagogis praelegebant et interpretabantur. Vidd. *Wolfius* in *Cur.* *Koecherus* in *Anal.*, *Kuinoel* in *Comment.* ad Matth. II. 4. De discrimine, quod fuerit νομικοὺς inter et γραμματεῖς, non omnes idem statuunt. *Camero* ad l. Matth. *Basnage Annal. ad A. Dom.* 3. § VII. pag. 195, alii, existimant γραμματεῖς fuisse doctores, qui publice Legem in Synagogis interpretarentur, νομικοὺς vero, qui legem privatim in scholis exponerent. Ne alias aliorum sententias memorem, de quibus conf. *Koecher.* ad Luc. XI. 45. recte mihi statuisse videtur *Fesselius* l. c. p. 17 sqq. νομικοὺς fuisse ex τῶν γραμματέων ordine doctiores, in disputando exercitatiores, et in solvendis quaestionibus peritiores, quos Hebraei vocant חֲכָמִים *sapientes*, et מוֹרֵי הַתּוֹרָה *Magistros Legis*, qui τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως sibi vindicabant Luc. XI. 52. Iidem nonnunquam dicuntur νομοδιδάσκαλοι, quos nonnulli subtilius, quam verius a νομικοῖς distinguunt. Ceterum de νομικοῖς jam recte sic scripsisse videtur *Theophylactus* in c. XI. Lucae pag. 399. Νομικοὶ, γραμματεῖς ἦσαν, καὶ διδάσκαλοι τοῖς βουλομένοις, τὰ τοῦ νόμου ζητήματα λύοντες. cf. *Suiceri Thes.* pag. 782.

Quoniam utrique et νομικοὶ et γραμματεῖς populo erudiendo vacabant, conf. Matth. VII. 29, eorum nomina in scriptis N. F. haud raro promiscue videntur adhiberi, et hinc,

qui

qui apud Matthaeum c. 35. dicitur νομικὸς, apud Marcum XII. 28. vocatur γραμματεὺς, et quos reliqui Evangelistae γραμματεῖς nuncupant, hos Lucas videtur appellare νομικοὺς XI. 46, coll. Matth. XXIII. 2 et 4; Luc. V. 17. νομοδιδάσκαλοι memorantur, qui ibid. com. 21. γραμματεῖς vocantur.

Porro e scriptis N. F. constat, horum νομικῶν et γραμματέων non paucos stetisse a partibus Pharisaeorum, vid. Act. XXIII. 9. coll. c. 6, hinc saepius iis tribuuntur, quae alibi Pharisaeorum vitia fuisse dicuntur, sigillatim πρωτοκλισία ἐν τοῖς δείπνοις, et πρωτοκαθεδρία ἐν ταῖς συναγωγαῖς, Matth. XXIII. 6, Marc. XII. 39, Luc. XI. 43, XX. 39, 46. Pharisaei nempe in legis Mosaicae studio maximam ponebant operam. Hi erant, teste *Josepho B. J.* L. I. c. 5. § 2. L. II. c. 8. § 14. et de vita sua pag. 18. οἱ δοκοῦντες μετὰ ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα, σύνταγμά τι Ἰουδαίων, δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τοὺς νόμους ἀκριβέστερον ἀφηγεῖσθαι. οἳ περὶ τὰ πάτρια νόμιμα δοκοῦσι τῶν ἄλλων ἀκριβείᾳ διαφέρειν. Hinc etiam in N. F. cum γραμματεῦσι conjunguntur Matth. V. 20, XII. 38, XV. 1, XXIII. 2, 13 sqq. Marc. II. 16. VII. 1, 5. Luc. V. 21, Jo. VIII. 3. al. et Gamaliel, assessor synedrii Pharisaeus, dicitur νομοδιδάσκαλος Act. V. 34.

Non omnes tamen γραμματεῖς cum Pharisaeis fecisse ex Luc. XI. 44—46. palam esse plerique statuunt. Ibi nempe γραμματεῖς, dum Jesus Pharisaeorum placita et mores castigaret, conticuisse leguntur, postquam autem Jesus τοὺς γραμματεῖς καὶ Φαρισαίους graviter reprehendisset, ex iis νομικὸς aliquis, injuriam quasi depulsurus, in haec erupit verba: διδάσκαλε, ταῦτα λέγων καὶ ἡμᾶς ὑβρίζεις cf. *Deylingii Obs. S.* T. III. pag. 273, *Kuinoël* ad h. l. Sed cum non sine gravissimorum testium auctoritate c. 44. verba: γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, e textu ejecerit *Griesbachius*, non ausim ex hoc loco illud elicere. Majori fortasse jure illud concluditur ex Act. XXIII. 9. ubi οἱ γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων diserte memorantur, et Sadducaeorum sectam suos quoque habuisse γραμματεῖς ex Talmude constat, ubi nonnunquam סופרי צדוקין commemorari, viri docti observarunt. conff. *Buddeus H. E. V. T.* T. II. pag. 962 sqq. et qui plures laudantur a Cl. *Schacht* ad *Ikenii Ant. Hebr.* pag. 209 sqq.

Hinc quaeritur, utrum νομικὸς ille, de quo h. l. sermo est, e sectâ Pharisaeorum fuerit, an vero Sadducaeorum partibus addictus? Posterius placet Cl. *Paulo*, in *Comm.* ad h. l. Cl. *Schotto* in versione, aliis, statuentibus, hunc Legisperitum fuisse Sadducaeum, qui, postquam Jesu optimum responsum ad quaestionem de immortalitate audiverat, eo consilio eum adierit, ut de hac quoque doctrinâ ejus sententiam exploraret. Verum rationes, ad confirmandam hanc sententiam allatae, non sufficere videntur ad probandam hanc contextui repugnantem interpretationem. Observat quidem Cl. *Paulus*, nisi Sadducaeus hanc interrogationem instituisset, non opus fuisse, ut c. 41. se ad Phari-

risaeos converteret, iisque quaestionem proponeret Servator. Sed observandum est, Pharisaeos jam una congregatos fuisse, cum ille Legisperitus Jesum adiret, et Matthaeum, interpositâ τοῦ νομικοῦ quaestione et Jesu ad illam responsione c. 35—40, dein c. 41. pergere in enarrandis colloquiis Jesu cum Pharisaeis in Templo congregatis Marc. XII, 41, iisdem, quos antea c. 34. commemoraverat. Dein apud Marcum colloquium Servatoris cum Legisperito plenius et accuratius narrantem, in loco paralelo XII. 28, diserte legitur εἷς τῶν γραμματέων. Parum tamen probabile est, hunc Legis peritum, si Sadducaeorum sectae fuisset addictus, probaturum fuisse ea, quae Jesus ad placita Sadducaeorum refellenda dixerat.

Denique *Koecherus*, in *Analectis in IV Evangelia* in addendis T. II. pag. 1308, memorat peculiarem viri cujusdam docti sententiam, hunc Legisperitum, qui ad Jesum accessit, fuisse Saulum, qui postea in numerum Apostolorum relatus nomen Pauli accepit. Sed cum nullo argumento probari possit haec opinio, eâ refutandâ supersedemus.

Ceterum quaeritur, quo animo hicce Legisperitus ad Jesum accesserit, et quo consilio ei quaestionem proposuerit?

Cum apud Matthaeum c. 35. νομικὸς ille ad Jesum accessisse dicatur πειράζων αὐτὸν, et verbum πειράζειν, „ quando in N. F. de Pharisaeis et scribis dicitur, pene sit malitiose et subdole, non explorandi aut probandi animo, sed in damnum aliquod praecipitandi studio ac fine, captiosis verbis, aut iniquis postulatis, aut blasphemis suggestionibus, aliquem adgredi;" (verba sunt *Er. Schmidii* in nota ad Matth. IV,) et cum πονηρὰ ὑπόκρισις, et πανουργία tribuatur τοῖς πειράζουσι Matth. XXII. 18, Marc. XII. 15, Luc. XX, 23; haud mirum, plerosque interpretes statuisse, νομικὸν hunc, qui dicitur εἷς ἐξ αὐτῶν, nempe Φαρισαίων συνηγμένων, malo animo, et ut optimo Jesu insidias strueret, interrogationem illam: ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ, proposuisse.

Alii existimant, hunc Legisperitum bono animo Jesum adiisse, et verbum πειράζειν hic in meliorem partem interpretandum esse, ut respondeat Hebr. נִסּוֹת, *sententiam alicujus explorare*, ut I Reg. X. 1. Regina Scebae dicitur venisse πειράσαι sapientiam Salomonis. Sic *Grotius*, *Rosenmullerus*, *Paulus*, alii ad h. l. *G. J. Henke*, *de usu 70 Interpr. in N. T.* in *Hasaei* et *Ikenii Thes. Novo ad loca N. T.* pag. 9. *Schleusner* in *Lex. N. T.* v. πειράζειν. Hominem hunc non maligno consilio hanc quaestionem proposuisse, statuerunt quoque *Heumannus* et *Michaëlis* ad Marc. XII. 34. *Hess Gesch. Jesu* B. IX, c. 2. s. 312 seq. *B. van Willes* in *Spec. Hermen. de iis, quae ab uno Marco sunt narrata, praes. Cl. Heringa, Traj. ad Rhen.* 1811. pag. 136.

Et posterior haec sententia mihi quidem probabilior videtur, propter parallelum Marci lo-

locum. Ibi Legisperitus, non tantum dicitur c. 28, intellexisse, Jesum cum Sadducaeis disputantem iis recte respondisse, sed et ex hujus hominis responso ad sententiam ob optimo Jesu prolatam c. 32 et 33, palam est, eum longe rectius sensisse, quam plerosque Judaeorum doctores, qui non intelligerent, quid sibi velit: *beneficentia mihi magis probatur, quam sacrificia*, Matth. IX. 13, XII. 7. Praeterea ipse Servator, (qui noverat τὶ ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ Jo. II. 25.) et vultu et verbis indicavit, quantopere τοῦ νομικοῦ responsio sibi placeret, refert enim Marcus c. 34: καὶ ὁ Ἰησοῦς ἰδὼν αὐτὸν, ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη, εἶπεν αὐτῷ: οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ.

Nonnulli, ut difficultatem, quam in conciliandis Matthaei et Marci relationibus esse opinabantur, tollerent, statuerunt, hominem illum maligno quidem animo ad Jesum accessisse, Jesu responsione vero ita fuisse perculsum, ut meliori animo discederet. Sic *Chrysostomum Homil.* LXXII. pag. 764. ad h. l. observantem: ἠρώτησε μὲν γὰρ πειράζων παρὰ τὴν ἀρχὴν, ἀπὸ δὲ τῆς ἀποκρίσεως ὠφεληθεὶς ἐπῃνέθη, sequuti *Theophylactus*, *Victor Antioch.*, *Calvinus*, *Kuinoelius* ad h. l. Sed non opus esse videtur, ut hoc assumamus. Quid enim impedit, quo minus statuamus, hominem hunc, licet ex ordine esset τῶν νομικῶν, seu τῶν γραμματέων, quorum summa erat doctrinae et morum perversitas, et qui optimo magistro Jesu insidias struere non intermittebant, plerisque hujus ordinis sociis rectius sensisse, atque meliori consilio Jesum adiisse. Sunt in historiâ Jesu plura hujus rei exempla. Sic ἄρχοντα illum, qui Jesum interrogavit: διδάσκαλε ἀγαθὲ, κ. τ. λ. Matth. XIX. 16 sqq. Marc. X. 17 sqq. Luc. XVIII. 18 sqq. bono animo ad Jesum accessisse, patet ex iis, quae leguntur apud Marcum c. 20: ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ, ἠγάπησεν αὐτὸν. Nicodemus etiam, qui Jesum impense venerabatur, erat ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων Jo. III. 1. Praeterea, ne Gamalielem Φαρισαῖον et νομοδιδάσκαλον Act. V. 24, et magnum sacerdotum, qui doctrinam Christianam amplexi sunt, numerum Act. VI. 7. memorem, diserte testatur Joannes Evang. XII. 42. plures Synedrii magni assessorum, qui Jesum docentem audiverant et miraculorum ipsius fuerant spectatores, optimi Praeceptoris doctrinam probasse eumque admiratos esse. Neque adeo potest negari, fuisse tempore Jesu et Apostolorum inter ipsos Judaeorum doctores primarios, homines veri cognoscendi cupidos.

Novam, qua omnis, quae est in Matthaei et Marci relationibus conciliandis, difficultas tollatur, viam ingressus est *J. G. Rosenmuller*, vid. ejus *Exegetische Bemerkungen über* Matth. XXII. 34 – 40. *und* Marc. XII. 28, 34. in *C. A. G. Keil und H. G. Tzschirner Analecten für das Studium der exegetischen und systematischen Theologie* B. I. St. 3. s. 163 sqq. statuens, Νομικὸν apud Matthaeum, et Γραμματέα apud Marcum esse diversos, et diversam adeo utrumque Evangelistam narrare historiam. Nempe existimat, Νο-

μικὸν apud Matthaeum fuisse e sectâ Pharisaeorum, qui, audito Jesu responso ad quaestionem de tributo Caesari solvendo, abiissent, neque adfuissent colloquio cum Sadducaeis de futurâ mortuorum resurrectione, jam vero, postquam sibi nunciatum esset, Jesum Sadducaeos ad silentium redegisse, alio die nova de eo captando inierint consilia, et huic Νομικῷ, suis partibus addicto, Jesum interrogandi partes demandaverint, qui igitur malo animo, πειράζων αὐτὸν, ad Jesum accesserit; Γραμματέα vero apud Marcum existimat, neque e Pharisaeorum, neque e Sadducaeorum sectâ, sed e familiâ Karaeorum fuisse, qui colloquio Jesu cum Sadducaeis interfuerit ab optimo Doctore dictis adsensum praebens, qui idem mox, προσελθὼν ex auditorum turbâ, bono consilio de quaestione tunc temporis agitatâ, quaenam sit omnium legum primaria, magni hujus Prophetae sententiam rogaverit. Itaque rationem concludit *Rosenmullerus*, historiam, quam Marcus retulit, esse diversam ab eâ, quam tradidit Matthaeus.

Licet equidem haud negem, fieri potuisse, ut eadem quaestio, diversis temporibus, a diversis Jesu proponeretur, et Jesus idem responsum repeteret, et praeterea constet, Matthaeum nonnunquam de ordine temporis minus fuisse sollicitum, ex iis tamen, quae de utroque loco observavimus, manifestum videtur, non eam esse narrationum discrepantiam, ut necesse sit statuere, colloquia Jesu diversa, diversis temporibus habita, ab utroque scriptore narrari. Contra, si conferamus, quae apud Matth. XXII. a com. 15 ad finem capitis leguntur, cum iis, quae scripsit Marcus XII. a com. 13—37, palam est, eadem Jesu cum doctoribus Judaicis colloquia ab utroque narrari, omnemque diversitatem in eo esse, quod Matthaeus nostro loco, ut alias saepius, brevitatis studiosus fuerit, Marcus contra rem accuratius et plenius exposuerit, quae diversitas, ut levioris momenti est, sic et in omnibus fere scriptorum historicorum libris, ubi de eâdem re agunt, deprehenditur, faciuntque ejusmodi diversitates, qualis illa est, quae nostro loco obtinet, ad muniendam et confirmandam fidem Evangelistarum historicam.

Hic igitur Legisperitus, ad Jesum propius accedens, προσελθὼν Marc. XII. 28, eum interrogavit: διδάσκαλε, ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ, vel, ut Marcus habet, πρώτη πάντων ἐντολή; recte enim πάντων pro vulgari πασῶν hic in textum receperunt *Griesbachius* et *Matthaeius*, conf. *Kuinoel* ad h. l.

Sermonem hic esse de praecepto primo, non ratione ordinis, sed ponderis et dignitatis, quod omnium sit praecipuum et maximum, ita ut πρώτη hic idem sit, quod μείζων, liquet tum ex com. 31: μείζων τούτων ἄλλη ἐντολὴ οὐκ ἔστι, tum ex loco Matthaei com. 36, ubi ἐντολὴ μεγάλη, et com. 38, ubi πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολὴ memoratur. vid. *Lud. Cappelli Spicil. ad Joh. Cameronis Myrothecium Evangelicum* pag. 45 seq.

Di-

Dividebant nempe Judaei praecepta legis in magna et parva, in gravia et levia. Magna erant, quibus magna promissio esset addita, parva, quibus minor.

Ex hisce vero magnis praeceptis quid esset maximum, et omnium primo loco observandum, de eo disputabant Judaeorum Theologi, et vexatissimam hanc quaestionem dirimendam Jesu proposuit Legisperitus. Huic ejus desiderio ut satisfaceret Jesus, sententiam illam gravissimam enunciavit c. 37—40, ad cujus interpretationem nunc progredimur.

Verba Christi, quibus hoc argumentum complexus est, sic leguntur.

Matth. XXII. 37—40.

Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου.

Αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή. Δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ.

Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

Ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται.

Marc. XII. 29—31.

Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπεκρίθη αὐτῷ· Ὅτι πρώτη πασῶν τῶν ἐντολῶν· Ἄκουε Ἰσραὴλ Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν. Κύριος εἷς ἐστι. Καὶ ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου. αὕτη πρώτη ἐντολή. Καὶ δευτέρα ὁμοία, αὕτη. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. μείζων τούτων ἄλλη ἐντολὴ οὐκ ἔστι.

Quoniam, auctore *Quintiliano*, enarrationem praecedere debet emendata lectio, et huic fundamento superstruenda est recta S. Librorum interpretatio, equidem singulis hujus Pericopae commatibus primo loco lectiones varias, a *Millio*, *Wetstenio*, *Griesbachio*, *Matthaeio*, et *Birchio*, quorum editionibus usus sum, notatas commemorabo, de iis, quae alicujus momenti esse videantur, qualecunque judicium interponam, indicabo saltem, quae lectio in unoquoque loco, viris rei criticae peritis visa sit maxime probabilis.

In loco Matthaei, pro vulgari εἶπεν, optimi Codices habent ἔφη, quod in textum restituit *Griesbachius*, probante *Bengelio* et *Matthaeio*. Habent enim ἔφη Codices recensionis Alex. B et L, consentientes cum Cod. D recens. Occ., quod eo majorem habet vim, quo saepius Codd. D et L dissident. conf. *Griesbachius Symb. Crit.* pag. CXXVIII. Accedunt E. F. G. K. M. S. alii 82. Ex Codd. Matthaeanis antiquissimi B. H. V. alii 8. e patribus *Clemens*.

Utraque lectio, quod ad Grammaticas rationes, bene se habet, cum et ἔφη et εἶπεν passim a Matthaeo adhibeatur, cum autem ἔφη majorem a testibus habeat auctoritatem,

 εἶπεν

εἶπεν pro interpretamento habendum videtur. *Hesychius* explicat ἔφη per εἶπεν, ἔλεξεν, ἀπεκρίθη.

Apud Marcum legitur: ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπεκρίθη αὐτῷ, quo in loco *Griesbachius* omisit variam Codicum nonnullorum notare lectionem, quam exhibet *Wetstenius*, scilicet ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς L. et, notante *Birchio*, Vat. 1209, Vers. Copt. ὁ δὲ (Ἰησοῦς Syr.) εἶπεν αὐτῷ 1, 19. Vers. Syr. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ D. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ 28, 69. Haec vero varietas, forte inde est orta, quod formula ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ saepius a Marco adhibetur v. gr. Marc. VI. 37, X. 20, XIV. 20, XV. 2, et formula ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς legitur Marc. X. 5, 29, XII. 17, XIV. 48, XI. 14, ubi tamen ὁ Ἰησοῦς in optimis Codd. omittitur, ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς Marc. XI. 33. vid. *Gersdorf*, *Beyträge zur Sprachcharacteristik der Schriftsteller des N. T.* pag. 524.

Jesu optimi Religionis Doctoris hoc erat consilium, ut Legem Israëlitis olim, antequam regionem Cananiticam occuparent, datam confirmaret, atque ab additamentis et corruptionibus doctorum Judaicorum vindicatam melius explicaret. Sapientissimo ergo consilio responsum ad quaestionem sibi propositam repetiit e sacris illis libris, quorum apud universam Hebraeorum gentem maxima erat veneratio. Nempe Jesu responsum, com. 37 apud Matthaeum, et c. 29 et 30 apud Marcum, repetitum est e loco Deut. VI. 4, 5, collatis locis Deut. X. 12. et XXX. 6.

Locus Deut. VI. 4 a 5 h. l. citatus sic se habet:

4.

שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד

Ἄκουε Ἰσραήλ, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν κύριος εἷς ἐστι.

5.

וְאָהַבְתָּ אֵת יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בְּכָל־לְבָבְךָ
וּבְכָל־נַפְשְׁךָ וּבְכָל־מְאֹדֶךָ

Καὶ ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς δυναμεώς σου.

Deut. X. 12.

וּלְאַהֲבָה אֹתוֹ וְלַעֲבֹד אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ
בְּכָל־לְבָבְךָ וּבְכָל־נַפְשֶׁךָ

Καὶ ἀγαπᾷν αὐτὸν, καὶ λατρεύειν κυρίῳ τῷ θεῷ σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου.

Deut. XXX. 6.

לְאַהֲבָה אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בְּכָל־לְבָבְךָ
וּבְכָל־נַפְשְׁךָ לְמַעַן חַיֶּיךָ

Ἀγαπᾷν κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, ἵνα ζῇς σύ.

Mat-

Matthaeus in locis V. T. allegandis passim sequitur textum Graecum, e. gr. Matth. IV. 7, III. 3, IV. 10, V. 21 et 27, 38, XIX. 4 et 5 (ad h. l. cf. varietas lectionis) cf. et 18 et 19, XXI. 16, 42, XXII. 44, XXII. 39, aliisque in locis cum levi differentia; saepe tamen consentit cum textu Hebraico, ubi LXX. ab eo discedunt, e. gr. II. 15 et 18, IV. 15, VIII. 17, IX. 13, XII. 18—21, ita et nostro loco, siquidem vulgaris lectio των LXX. retinenda est, de cujus tamen varietate agendum.

Jam antiquitus ordo hoc in loco adeo turbatus est, ut vix restitui possit. Nempe pro διανοίας non pauci Codd., Patres et Edd. habent καρδίας, pro ψυχῆς alii ἰσχύος, pro δυναμέως alii διανοίας, quam lectionis diversitatem notavit *Holmesius* in editione V. T. Graecâ Oxonii 1798. et accuratissime exposuit Cl. *Amersfoord* in Diss. *de variis lectionibus Holmesianis locorum quorundam Pentateuchi Mosaici*, Lugd. Bat. 1815. pag. 157, 180 sqq. Forte tamen statuendum, veram lectionem fuisse, quae est in Cod. Alex. aliisque: καὶ ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς δυναμεώς σου; sed haec ita variata esse, ut pro καρδίας scriptum sit διανοίας; pro δυναμεώς, ἰσχύος, ut haecce διανοίας et ἰσχύος, primo in margine posita, mox in textum recepta, tandem primas lectiones καρδίας et δυναμεώς expulerint, praeterea alios Codices item sic in tertio vocabulo δυναμεώς variasse, ut pro hoc διανοίας haberent, sive quod literarum et soni similitudo qualiscunque descriptores falleret, sive quod hoc διανοίας alteri vocabulo δυναμεώς praeferrent, sive aliâ de causâ.

Vera igitur videtur vulgaris lectio, nisi quod pro διανοίας, ut habent 10 Codd., restitui debeat καρδίας e 33 Codd., e Cod. item Alex. ex Edd., Patr. nonnullis, et Verss., item e 3 Evang. et e locis parallelis Deut. X. et XXX. In alterâ sede ψυχῆς consensu plerorumque satis se tuetur. Δυναμεώς denique videtur in textu retinendum esse, duo tantum libri alteram lectionem ἰσχύος receperunt, sex alii δυναμεώς omiserunt, et διανοίας admiserunt. Matthaeus tamen pro διανοίας facit, Marcus et Lucas utramque glossam (*Grotius* jam monet, Marcum et Lucam ἐξηγητικῶς addere διανοίας vocabulum,) habent, sed non sine Codicum utriusque dissensu, ut dein suo loco videbimus. Lectionem: καὶ ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς δυναμεώς σου integram habent Codex Alex. VII, X, XI. 15, 16, 19, 28, 29, 30, 32, 52, 58, 64, 71—73, 77, 82, 83, 85, 108, 118, 129, 131. Ed. Compl. et Ald. Catena Niceph. Vers. Arab. Slav. Georgiana, et licet non in omnibus Codd. Armenica. Conf. Cl. *Amersfoordt* l. c. § 32 et 36.

Haec igitur lectio si vera sit, videtur omnino Matthaeus textum Graecum sequutus esse, quum facilius explicari possit, (praesertim si hoc assumamus, jam antiquitus fuisse ordinem turbatum,) quod in versione Graeca pro δυναμεώς legerit διανοίας, quam

quod

quod illud מְאֹד per διανοίαν verterit, praesertim cum ex Marco et Luca, utrumque glossema habentibus, appareat, hos certe textum Graecum adhibuisse, in Cod. enim Hebr. nulla hujus glossematis exstant indicia. Ceterum certi aliquid in talibus statuere difficile admodum est, cum nesciamus, utrum Evangelistae haec e memoriâ, an e Codice citaverint, nec non, utrum textum Hebraeum, an vero Versionem Graecam ante oculos habuerint.

Praemissis hisce de locis Pentateuchi, ex quibus optimus Servator dicta repetiit comm. 37. jam agendum de hoc loco.

Comma 37.

Quod ad varias lectiones. Triplicem articulum τῇ omittunt aliquot Codices. Primum B. E. F. G., ex quibus tamen in Cod. B, cum primo tantum loco omittatur, forte per vitium scriptionis e textu excidit. E Codd. Matthaeianis omittunt B. H. V. alii 11. Praeterea Codd. 69, 76, 124. alii ib. E Patribus *Theophylactus* et *Clemens Alex.* Editiones *Erasmi*, *Bogardi*. Deëst quoque in Codd. Vat. 1209. Havn. 1. 3, notante *Birchio*, omittendum quoque censet *Matthaeius* in utr. Ed. Alterum τῇ omittunt E. F. G. alii, ex Matth. B. H. V. alii 11, Editiones *Erasmi*, *Bogardi*. E Patr. *Theophylactus*, probante *Bengelio*, nec non Codd. Havn. 1. 2. 3. e textu ejiciendum quoque statuit *Matthaei*. Tertium τῇ omittunt 2 a prima manu et 12, Editiones *Erasmi* et *Bogardi*. In textu hunc articulum retinuit *Matthaei*.

Licet vero lectio ἐν ὅλῃ καρδίᾳ sine articulo reperitur in Codd. recensionis Alexandrinae et Occidentalis, (cujus Codicibus 69, 124. Alexandrinas subinde lectiones adspersas esse, conjicit *Griesbachius*,) vix tamen hoc loco articuli omissio probanda videtur, ob majorem Codicum eum habentium numerum et auctoritatem, ac praeterea per librariorum incuriam e textu facilius excidere, quam in eum intrudi potuit articulus.

Vulgarem lectionem probarunt *Millius*, *Wetstenius*, *Griesbachius*, et semper apud Matthaeum adjectivum ὅλος, quando praecedit substantivum, post se habere articulum, notat *Gersdorf* l. c. pag. 371. ubi conf. exempla a v. doct. allata.

Post ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου addunt nonnulli Codices καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ἰσχύι σου 13, 68, 69, 124. Ev. 26. Verss. Syr. et Aeth. Lectio vero sufficienti Codicum auctoritate destituta, e loco Marci et Lucae parallelo in textum horum Codd. et Verss. irrepsisse verosimile est.

Jam vero ad interpretationem hujus loci progrediamur. Ex Marci relatione Jesus ad quaestionem sibi propositam sic orsus est respondere: ὅτι πρώτη πάντων ἐντολή· ἄκουε Ἰσραήλ, Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν Κύριος εἷς ἐστι. Haec totidem verbis desumta sunt ex Deut.

VI.

VI. 4, et vulgo vertuntur: *audite Israëlitae, Jehovah, Deus noster, est unus Jehovah.* sic v. gr. *Dathius* in Vers. Pentat. *Kuinoel* ad l. Marci, alii; sed minus recte ut videtur, verba enim, et Hebraica יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד, et Graeca *κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν κύριος εἷς ἐστι* ita sunt posita, ut verti debeant: *Jehova Deus noster, Jehova est unus.* Vidd. *Vitringa* l. c. a *Wolfio* in *Curis* ad l. Marci et Cl. *van der Palm* in notâ marginali ad novam versionem Bibliorum Deut. VI. 4. Sapientissimo autem consilio haec de unitate Dei doctrina praemittitur praecepto de Deo amando; si plures essent Dii, non poterat non distrahi amor, et inter pares vel impares dividi. Verum, cum Deus sit tantum unus, quid justius, quam ut nos totos illi devoveamus, et toto animo omnibus viribus eum diligamus?

Quae porro leguntur, loco illo Deuteronomii celebri, laudavit optimus Servator apud Matthaeum hoc modo: *ἀγαπήσεις κύριον τὸν Θεόν σου κ. τ. λ.*

Verbum *ἀγαπᾶν* in N. T. est synonymum verbi *φιλεῖν*, quae passim permutantur, ut Jo. XXI. 15, 17, et in universum significat, *diligere, amare*; respondens Hebraico אָהַב, opponitur *τῷ μισεῖν* Matth. V. 44, 46. Apud Graecos tamen scriptores *φιλεῖν* majorem vim habet, et sensu *ἐμφατικώτερῳ* adhibetur, conff. loca allata a *Wetstenio* ad Jo. XI. 4. Sic apud Latinos *amare* et *diligere*. *Cicero ad Brutum* Ep. 1: „*L. Clo-„dius valde me diligit, vel ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat.*" conf. et *Epp. ad Fam.* L. IX. Ep. 14, *Plinius Epistolarum* L. III. Ep. 9. Futurum *ἀγαπήσεις* positum est pro Imperativo, sic Gen. XXXIII. 10, Jud. V. 21, Ps. V. 12, Luc. III. 5, ad quem locum conf. *Grotius*, Luc. XXII. 36, Jac. II. 8, 11, 1 Pet. I. 16. conf. *Glassii Philologia Sacra* L. I. Tr. III. can. XLVI. n°. 3. pag. 314, editionis *J. A. Dathii*, Cl. *E. A. Borger Spec. Hermen. exhibens Interpret. Ep. Pauli ad Galatas*, pag. 371. Est ex usu loquendi Hebraeorum, conff. exempla allata et tota lex decalogi.

Κύριον τὸν Θεόν σου. *Κύριος* proprie, *penes quem est auctoritas*, de Deo supremo omnium rerum domino passim adhibetur, h. l. pariter atque in vers. Alex. respondet Hebr. יְהוָה, de cujus nominis origine, significatione, ac pronunciatione multi multa disputarunt, hic loci neque enumeranda, neque dijudicanda, conff. loca Gen. XX. 18. XXI. 1. XXV. 30. Apud Graecos scriptores quoque *Κύριος* pro Deo dicitur vid. *Wesselingius* ad *Diod. Sic.* L. I. c. 65. et *Palairet Obss. Philol.* pag. 68. Apud Latinos quoque Deae dicuntur *Dominae*, sic *Iris* apud *Juvenalem* Sat. VI. vs. 529. *Cybele* apud *Valerium Flaccum* L. III. c. 23. De aliis vocis *Κύριος* significationibus in N. T. conf. *Schleusneri Lex.* hac v.

Τὸν Θεόν σου. Pronomen referendum ad praecedens *Ἰσραήλ* Deut. VI. 4. Scilicet Deus sapientissimo consilio sibi elegerat Abrahami nepotes, qui ceteris gentibus ad idolorum cul-

cultum delapsis, unum verum Deum colerent, qui idem ab iis dicebatur Deus Israëlis, vel *τοῦ λάου αὐτοῦ*, non solum, ut a falsis Diis discerneretur, verum etiam quoniam hanc gentem peculiari favore prosequeretur, ejusque quasi Numen tutelare esset. Origo hujus denominationis reperitur Gen. XXXIII. 20. וַיִּקְרָא־לוֹ אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל Postea vero pro vocabulo אֵל saepius usurpatur יְהוָה et frequens est formula יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל.

Ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου. Magis ad usum loquendi Graecorum accommodate scripserunt οἱ LXX. Marcus XII. 30, Lucas IX. 27. *ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου*, conf. *Gatakerus ad Antonin.* pag. 118. Ἐν apud Matthaeum est ex usu Hebraeorum ב subjecti et significat *e*, *ex*, sic saepius in N. T. e. gr. Jo. XIII. 35, XVI 30, Hebr. XIII. 9. Nonnunquam tamen et hoc sensu apud Graecos et Latinos occurrit. Exempla habet *Cuperus* in *Obss.* L. II. c. 8. et *Burmannus* ad *Phaedri Fab.* 25. ἐν ὅλῃ καρδίᾳ vero idem est quod alibi dicitur, ἐκ καθαρᾶς καρδίας, ut Paulus scripsit 1 Tim. I. 5. *corde integro atque sincero*, sic et latine dicimus: *totus in hoc sum*, conf. *Grotius* ad h. l.

Ceterum formula ἀγαπᾶν, vel φίλειν τινὰ ἐκ, vel ἀπὸ καρδίας, καὶ ψυχῆς, non infrequens est Graecis scriptoribus. Sic *Homerus* ἐν θυμοῦ φιλεεῖν, *Theophrastus Charact.* 17. θαυμάζω, εἰ σὺ καὶ ἀπὸ ψυχῆς μὲ φίλεις. *Aristophanes Nub.* vs. 56.

Ἀλλ' εἴπερ ἐκ τῆς καρδίας μ' οὕτως φιλεῖς.

Xenophon Exped. Cyri c. VII: ὅτι σου ἐκ τῆς ψυχῆς φιλός. Graeci enim in his memorant saepe istas partes hominis, in quibus putabant propriam esse sedem affectionum, conf. *Valckenaerii Scholae in Lucam* pag. 183. Saepe apud Latinos quoque, aliquem *animo*, *corde*, *cogitatione*, *viribus* etc. amare, vel aliquid facere, occurrit, ut et apud Graecos multa alia verba cum his junguntur, conff. exempla apud *Wetstenium* ad h. l. et *Alberti* in *Obss.* Locis ibi laudatis locum *Theocriti Idyll.* XXIX. vs. 4.

Οὐκ ὅλας φιλεεῖν μ' ἐθέλησθ' ἀπὸ καρδίας.

addidit Cl. *J. H. Schacht* in *Obss. Philol.* in Marc. in *Bibl. Brem. Nova*, cl. II. pag. 504. Opponuntur iis, qui sic ἐξ ὅλας τῆς ψυχῆς aliquid faciunt, δίψυχοι Jac. I. 8, IV. 8, 1 Chron. XII. 33, quibus est καρδία δίσσῃ Sirac I. 27.

Ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου. Conferantur ea, quae supra notavimus de varietate lectionis in Codd. Vers. Alex. Διανοία, est *facultas intelligendi*, *intellectus*, quo sensu saepius in N. T., et apud Graecos scriptores occurrit, cf. *Xenophon Memor. Socr.* L. III. c. 12. § 6. *Grotius* ad h. l. attulit phrasin *Thucydidi* usurpatam: διανοίαν ἔχειν πρός τι, *in aliquid intentus esse*, Eph. IV. 18. ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ dicuntur, qui inscii sunt, Hebr. VIII. 10, X. 16, (conf. et 1 Pet. I. 13, 1 Jo. V. 20.) διδόναι νόμους εἰς τὴν διανοίαν, est

est docere leges. Ceterum διάνοια saepe vertitur *cogitatio*, quod idem vocabulum pro intelligendi facultate usurpatur a Latinis e. gr. *Cicero ad Fam.* L. XVI. Ep. 8: *totâ cogitatione te videre cupio.*

Quod h. l. habent textus Hebr. מְאֹד, LXX δυνάμεως, Marcus et Lucas ἰσχύος, sunt *vires et facultates animi*, et h. l. intelligi potest *facultatum* jam commemoratarum *intensio*, seu *robur*. Vulg. *ex totâ virtute tuâ. Plautus Capt.* Act. III. scen. 3. vs. 27: *id persequar corde et animo atque viribus.*

Quaeritur autem, utrum omnia ista, quae diversis vocibus καρδία, ψύχη etc. efferuntur, re ipsa inter se differant, an vero rem unam et eandem denotent? Magistri Judaici, et qui hos sequuti sunt, de hoc praecepto agentes, singulis verbis peculiarem aliquam significationem tribuerunt. Sic Deum ἐξ ὅλης τῆς καρδίας amari debere, prius moneri dicunt, quia cor sit origo ejus, quod facit homo, sive bonum sive malum; alii, quod cor solum opus bonum vel malum facit. Alii illud בְּכָל intelligendum monuerunt de utroque cordis figmento, quod vocant, bono altero, altero malo. בְּכָל נַפְשְׁךָ, ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, quoniam oporteat se ipsum Deo tradere, vel etiam, si causa requirat, pro eo exponere animam, i. e. vitam, alii vertunt, totâ fortitudine, vel totâ memoriâ tuâ. Vocem מְאֹד vero exponunt de virium intensione, quâ omnes res et divitias amori Dei postponas, et harum etiam potius dispendium facere velis, quam ab amore Dei desistere. Conf. *Munsterus*, *Fagius*, *Clarius* et *Drusius* ad Deut. VI. 5, qui multa loca Rabbinorum attulerunt, quibus describendis supersedeo, ne justos commentationis limites transgrediar. Et observo tantum, ex illâ, quam apud Evangelistas observavimus, in verbis Mosis repetendis varietate, quae tamen in re ipsâ nihil mutat, colligi posse, quae verbis Mosis adjiciuntur, aut pro aliis apud eum exstantibus reponuntur, eundem cum illis habere sensum.

Memoranda etiam est *Augustini* aliorumque sententia, quam exhibet *Grotius* ad Matthaei locum, existimantium his verbis eam perfectionem significari, quam nemo in hac vitâ habuerit, aut habere potuerit, quasi praescriberetur non tam, qua currendum, quam quo currendum esset. „Hanc sententiam suum habere posse usum, ut homines „infirmitatis suae admonitos, intra humilitatis terminos contineat, et desiderium in iis „excitet vitae alterius, sed propriam hanc non esse verborum interpretationem," recte monet *Grotius*.

Alii observarunt, ἀγαπᾷν τὸν θεὸν ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, denotare amoris sinceritatem, ἐκ καρδίας enim opponi hypocritarum agendi modo; ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ indicare perfectionem amoris, seu integritatem, ita ut Deus non solis externis corporis actionibus, sed ipsâ quo-

quoque praestantiore hominis parte, anima, ejusque internis cogitationibus et affectibus, amari debeat.

Ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ, vel, uti plenius est apud Marcum et Lucam ll. cc., ἐξ ὅλης τῆς διανοίας, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος, praecipere summam virium mentis et corporis intensionem in hoc amore, adeo ut omnes nostras facultates huic amori excolendo unice impendamus, nec quidquam praeter Deum amemus, nisi propter Deum, atque ut Deo mandanti obsequium praestemus. Sic phrases has pluribus distincte exposuit *Vriemoetius* in *Annot. ad Dicta Classica V. T.* T. I. c. 1. pag. 62, 66, add. Tom. III. c. 14. pag. 126, 127.

Licet equidem haud negem, singulas istarum vocum aliquid habere proprium, et quidpiam denotare expressius, quod in ceteris aperte non exprimatur; ob frequentem tamen conjunctionem harum formularum apud Graecos Latinosque scriptores, et inprimis in S. Sc., et quia eodem sensu modo una, modo binae, modo ternae hae formulae adhibentur, καρδία, ψύχη et διανοία, non nimis subtiliter hic distinguendae sunt, cum saepe vocum multarum cumulatio nihil aliud, quam intensius studium designet. Sic e. gr. καρδία occurrit 1 Reg. XIV. 8, 1 Sam. VII. 3, 2 Reg. X. 31, Ps. CXIX. 2, Eccles. XLVII, 10. καρδία καὶ ψύχη Jes. XXIII. 14, 2 Chron. XV. 12, 2 Reg. XXIII. 3, conf. loca e Graecis Latinisque scriptoribus supra allata. Similiter πνεῦμα et ψύχη junguntur 1 Thess. V. 23, Hebr. IV. 12, et *Philo* ad locum Deut. VI. respiciens, *cultum*, inquit, *cultum ingeniti et sempiterni rerum auctoris exerceamus* διανοίᾳ, καὶ λόγῳ, καὶ πάσῃ δυνάμει, vid. *Kuhnii Spicil. Obss. ad N. T. e Philone Al.* pag. 23. Non pleonastice tamen hae voces καρδία, ψύχη, et διανοία h. l. et apud Marcum com. 31, ubi quatuor sunt καρδία, ψύχη, ἴσχυς, et διανοία, conjunguntur; sed ex populari loquendi ratione omnia nostra cogitata, sensa, consilia, studia ita appellantur in universum, ad orationem tanto copiosiorem et concitatiorem reddendam, et designandam amoris magnitudinem atque integritatem, ut in omnibus, quae sentias et agas, Dei praecepta respicias, et non nisi Deo accepta et justa sequaris. Vid. de hac loquendi ratione *Kuhnius* l. c. *Koppius* ad l. laud. ex 1 Thess. Ep., *Abreschius* ad *Paraphrasim Epist. ad Hebr.* pag. 271, *Morus* in *Dissertt.* Vol. I. pag. 329.

Comma 38.

Αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή. ἡ μεγάλη καὶ πρώτη habent Cod. BDL, 1, 13, 69, 118, 124, in Cod. D ἡ ante μεγάλη omittitur, in Cod. L autem ante πρώτη repetitur. Ev. 26. Verss. Syr. Pers. w. Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. (excepto Cod. Cant. et Brix.) e Patribus Hilarius, opus inperf. in Matt. Aug. et notante *Birchio*, Vat. 1209. Ven.

Ven. 10, Vind. Lamb. 31, Syr. hieros. Solum πρώτη habet Cod. 27. Lectionem ob magnam testium auctoritatem non esse spernendam monuit *Griesbachius*, et observavit *Gersdorfius* in *Beiträge zur Sprach-Characteristik der Schriftsteller des N. T.* Th. I. s. 360 sq., propter praecedens αὕτη ἐστιν, non abesse posse articulum adeoque legendum: αὕτη ἐστιν ἡ μεγάλη καὶ πρώτη ἐντολή; apud Matthaeum enim semper post οὗτος ἐστι sequi articulum c. III. 3. 17. XII. 23. XIII. 19, 20, 22, 23, 38, 55. XV. 20. XVII. 5. XVIII. 4. XXI. 38. XXVI. 26, 28. interposito tamen interdum nomine proprio XIV. 2. XXI. 11. XXVII. 37. Sed observare liceat, exempla a viro doctissimo allata non plane similia esse; nam in omnibus hisce locis, post οὗτος ἐστιν sequitur, vel substantivum, vel adjectivum, vel participium loco substantivi nude positum, in nostro autem loco junguntur duo adjectiva et substantivum, πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή, et cum major Codicum numerus lectionem vulgarem tueatur, potius statuendum videtur, in Codicibus ante memoratis verborum esse transpositionem, cujus innumera in Codd. sunt exempla. Ceterum *Matthaeius* in utrâque N. T. editione nullam h. l., notavit lectionis varietatem.

Quod ad parallelum Marci textum. Lectionem vulgarem, nempe ὅτι πρώτη πασῶν τῶν ἐντολῶν, e textu ejecit *Griesbachius*, et ejus loco ponit ὅτι πρώτη πάντων ἐντολή. Omittuntur autem haec omnia in Cod. 229, et notante *Birchio* in Cod. Esc. 8. ὅτι πρώτη ἐστιν habent BL. Vers. Copt. et apud *Birchium* Vat. 1209. *Primum mandatum est* Cod. Vers. Lat. colb. πάντων πρώτη D, cant. Verc. Veron. Vind. item 91. Vers. Arm. πρώτη πασῶν *Birchii* Ven. 10. πρῶτον πάντων 1 Marc. apud Eus. ὅτι πασῶν ἐντολῶν. Matth. r. ὅτι πρώτη πάντων ἐντολή. A. 33, 69, 72, 89, 127, 131, 235. Ev. 36. al. 22. *Matt.* i. l. n. 10. *Birchii* Vatt. 349, 360, 1067, 1210. Vind. Lamb. 33. Kol. 4. Havn. 1, 2. πρώτη πάντων ἐντολή ἐστι. 61. πρώτη πάντων τῶν ἐντολῶν ἐστὶ. 157. πρώτη πάντων τῶν ἐντολῶν. *Birchii* Vat. 354. Vind. Lamb. 30, 31. Kol. 6. πρώτη πάντων τῶν ἐντολῶν ἐστι. *Birchii* Urb. 2. ὅτι πρώτη πάντων ἐντολή ἐστιν αὕτη. C. item Corb. αὕτη πρώτη πασῶν ἐντολή Matt. e.

Licet hic usu veniat ea Critices Regula, ex pluribus lectionibus eam praestare, quae velut media inter ceteras interjacet, tantus tamen est Codicum dissensus, ut de genuinâ lectione vix certi quidquam statui queat. Siquidem comm. praecedente recte legatur ποία ἐστὶ πρώτη πάντων ἐντολή, quadrat ad verbum in quaestionem propositam haec responsio: ὅτι πρώτη πάντων ἐντολή, quam lectionem habent nonnulli antiquiores recensionis Constantinopolitanae Codices supra memorati. Verum dubitare licet, utrum recte sic legatur quaestio illa. Nam πάντων istud com. 28. abest ab Occidentalibus D et Itala, quibus assentiuntur 1, 13, 28, 69.

Hos vero illud πάντων non jugulasse, quia Grammaticae rationes (πασῶν postulantes) ei adversari viderentur, inde patet, quod iidem Codices com. 29. servarunt πάντων. Contra vero Alexandrini B et L exhibentes com. 28 illud πάντων, omittunt id com. 29. Hinc suspicari licet, primitus semel tantum scriptum fuisse πάντων, et tunc omnino prius delendum esse videtur, quoniam omnes Codices in posteriore loco quotquot *omnis* exprimunt, utantur forma insolentiore πάντων, paucissimis tantum exceptis junioribus, priori vero loco Codices aliquanto magis fluctuari videntur inter πασῶν et πάντων. Certe πασῶν neutro in loco potest defendi, recte enim *Millius Proleg.* § 1344. sic scripsit: „ Haud foret in hac neutiquam Grammatica lectione (nempe πάντων) tantus exempla„ rium consensus, si non esset ipsius Evangelistae." Si vero quaeratur, utrum legendum sit ἐντολῶν, an ἐντολή; posterius certe a Codicibus majorem habet auctoritatem, ut supra indicavimus. Cum vero Codd. B D L aliique supra notati, illud omittant, dubitandum videtur, num haec vox in responsione Jesu repetita, an vero a librariis postea ad majorem perspicuitatem addita sit. In locis enim spuriis saepius ordo inconstans et instabilis, et omnino multiplex varietas est, quapropter non raro plurium in eodem loco lectionum variantium nulla vera est; tum etiam lectio brevior nisi testium vetustiorum et gravium auctoritate penitus destituatur, plerumque longiori, quae ex interpretamento fluxisse videatur, praeferenda est. Ceterum lectionem, quam *Griesbachius* in textum restituit: ὅτι πρώτη πάντων ἐντολή, jam probavit *Bengelius.* Conf. *Wetstenius* ad h. l. et *Griesbach. Comm. Crit.* P. II. pag. 168.

Ἄκουε. Cod. Colb. ἀκούσαι, notante *Wetstenio*, Ἰσραὴλ Cod. D legit Ἰστραήλ.

Ἡμῶν. ὑμῶν legunt Codd. num. 10, alii 3, et Barber. 1. Matt. i. p. 17. vers. Slavonica et Cod. Vind. et editio Colinaei. σου 27. ex emend., al. 2, Matt. 12. Vers. Copt. Aeth. Arr. Pers. Whel. Vulg. editus et Colbertinus Cod. Lectionem hanc probavit *Millius*, existimans, lectionem ἡμῶν emendationem esse ex Cod. Graeco loci Deut. cit. Sed quia antiquissimi et optimi Codices lectionem ἡμῶν habent, lectio σου orta videtur e proxime sequenti commate ubi illud occurrit.

Posterius κύριος omittit unus Codex, a *Wetstenio* notatus. Καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, omittunt haec verba Codd. K. 157, 229. alii 3, Matt. r. 10. *Birchii* Urb. 2. Esc. 8. Non talis vero horum testium est auctoritas, ut lectionem suspectam reddere possit. Verba καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, omittunt D. 157. Matt. f. Verss. Arm. Syr. hieros. Cod. Cant. Colb. Germ. 1. Corb. et *Birchii* Urb. 2. *viribus* legitur in Cod. Veron. Verc. Corb. Vind. Ante ψυχῆς ponit A, post ἰσχύος 218. Neque tamen et h. l. sufficiens est testium auctoritas ad tentandam lectionem. Forte omissio his in locis, vel et transpo-

sitio,

sitio, orta est per librariorum festinationem, alterutram periodum a καὶ incipientem omittentium. Articulum τῆς ter omittit Vat. 1209. *Birchii.*

Αὕτη πρώτη ἐντολή omittunt haecce Codd. B. E. L. et Vers. Copt. apud *Birchium* 1209. Hi testes aliquam certe habent auctoritatem, quia Codd. B. L. et Vers. Copt. sunt recensionis Alex., quae ceteroquin uberiores exhibere solet lectiones, cum vero a reliquis Codd. et Verss. antiquioribus destituantur, non eam vim habere videntur, ut e textu ejiciantur. Post πρώτη addunt πάντων Codd. K. alii 7, Matt. q. 10. et Evangeliaria quaedam a *Wetstenio* notata, apud *Birchium* Vatt. 349, 360. Vind. Kol. 4. Ex praecedentibus vero illud in textum irrepsisse videtur. Pro ἐντολή, πάντων ἐντολῶν habet Esc. 8. a *Birchio* not.

Αὕτη ἐστί. Pronomine demonstrativo αὕτη indicatur id, quod com. 37. praecesserat.

Πρώτη καὶ μεγάλη. Marcus in loco parallelo, et in quaestione Jesu propositâ comm. 38, et in ipsius responso c. 30, usus tantum est voce πρώτη. a Matthaeo hic additur μεγάλη. Obtinere h. l. enallagen positivi pro superlativo, quales plures sunt in N. T. conf. Matth. V. 19, Hebr. X. 21, XIII. 20, 1 Petr. V. 4, ita ut μεγάλη hic ponatur pro μεγίστη, observarunt interpretes. Est ex Hebraicâ Comparativi et Superlativi formâ apud Graecos et Latinos quoque scriptores non infrequente: conf. *Glassius* L. I. tr. I. can. 18. Cl. *Paulus* quidem, in *Commentar.* ad h. l. monet, vocem μεγάλην hic superlative sumi non posse, quia c. 39. memoretur ἐντολὴ ὁμοία, et quoniam illud, quod omnium maximum et praestantissimum est, non habeat sibi aequale. Sed tenendum est, haec Jesu verba esse responsum ad quaestionem: ποία ἐντολὴ μεγάλη propositam, ibi vero μεγάλη ponitur pro μεγίστη, nam hac de re tunc temporis inter Judaeos quaerebatur.

Jesus πρώτην καὶ μεγάλην ἐντολὴν dixit, non quod hac magis, quam particularibus aliis Dei legibus, tenebantur, sed quatenus est summa omnium legum. Sic Paulus τὴν ἀγάπην dixit τὸ τέλος τῆς παραγγελίας, 1 Tim. I. 5. τὸ πλήρωμα τοῦ νόμου, Gal. V. 14. Rom. XIII. 9 et 10.

Ἐντολή derivatur a verbo ἐντέλλομαι, et generatim significat omne praeceptum, speciatim vero saepe praeceptum divinum, ut h. l. et Matth. V. 19, XV. 3 et 6. Intelligitur h. l. ἐν τῷ νόμῳ, conf. c. 36. Marcus h. l. πρώτη πάντων scil. ἐντολῶν, positum est pro πασῶν, frequenter enim genus neutrum cum masculino et foeminino permutatur. vid. *Glassius* L. I. Tr. I. can. 21, *Heinrichs* ad Col. I. 20. *Storr*, in *Libros Hist.* ad Luc. XVI. 15. *Borger* ad Gal. III. 22.

Comma 39.

Δὲ ὁμοία. Cod. B. legit *ὁμοιῶς*, quod e scribendi vitio ortum videtur, apud Marcum omittit Cod. *Birchii* Vat. 1209.

Pro *αὐτῇ* Codices nonnulli legunt *αὕτη*. B. G. 72, 106, 108, 124, alii 24, vel plures cum Barber. 7. Matth. B. H. V. alii 13. Editiones nonnullae et ex Patribus Basilius. *αὐτῆς* Matth. e. γ. Chrys. Bas. *ταύτῃ* D. 16. al. 5. Verss. Copt. Vulg. Ital. Patres Cypr. Hilar. Zeno. Oros. Op. imp. in Matth. alii, *ταύτης* Chrysost., *δευτέρα ὅμοιως*, *αὕτη* apud *Birchium* Cod. Vat. 1209. Verba vero *ὁμοία αὐτῇ* ita cohaerent cum *δευτέρα*, ut post illa intelligi debeat *ἐστὶ*, si vero legatur *αὕτη*, tum etiam post *ὁμοία* omissum esse vel ipsum *αὐτῇ*, vel *τῇ πρώτῃ*, vel *τῇ μεγάλῃ*, assumendum videtur, quare potius cum major Codicum numerus lectionem vulgarem tueatur, haec retinenda videtur.

Difficilior lectionis varietas obtinet in Marci loco, ubi lectionem vulgarem *αὕτη* habent Cod. B. L. et Vers. Copt. *ὁμοία αὐτῇ* s. *ταύτῃ* s. *αὐτῆς* A. a prima manu D. 1, 40, 69, 124, alii 15. et Barber. 2. Matth. e. l. (ex emend.) alii 4. Syr. Utr. Pers. Whel. Arr. Aethiop. Arm. Got. Slav. Vulg. Ital. *Birchii* Vind. Lamb. 31. e Patribus *Victor*, *Euthym.*, probante *Bengelio*, et *Millio Proleg.* 1078. Lectionem hanc magis contextui convenire supra observavimus, judicium vero suspendimus ob magnam Codicum vulgarem lectionem tuentium auctoritatem.

Σεαυτόν. Nonnulli Codd. habent *ἑαυτὸν* 1, 124. apud *Birch.* Vatt. 349, 360, 1067. Urb. 2. Laur. VI. 34. Vind. Lamb. 31. Havn. 1, 2, 3. Ev. 5, 36. al. 25, Matth. V. d. e. al. 6. Cum vero antiquissimi Codd. lectionem vulgarem tueantur, lectio *ἑαυτὸν* vel ex librariorum incuria literam Σ, ob similitudinem cum sequenti Ε, in describendo omittentium, vel ex Marci 33. et Rom. XIII. 9. ubi legitur *ἑαυτὸν*, quod elegantius esse *Casaubonus* judicat, in hunc locum delata videtur. Habent eam Ed. *Erasmi* I, et *Aldi*, e Patribus *Basilius*. Haud rara est harum vocum permutatio. Sic *Platonis Phaedonis* cap. XLIX. pro *δεδιὼς σαυτοῦ σκιὰν*, legitur in Cod. Tubing. *ἑαυτοῦ σκιὰν*. Conf. Clar. *Borger.* ad *Gal.* pag. 73. In loco Marci item Codices nonnulli habent *ἑαυτὸν* H. alii 25. Accuratius plurimos indicavit *Wetstenius*. Addantur ex *Matt.* a. alii, ex *Birch.* Urb. 2. Vind. Lamb. 31. Kol. 4. Havn. 1, 2.

Δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ. *ὁμοία Hesychius ἴσα.* Nempe *priori aequale et simile mandatum*, quia amorem et actus externos non tantum, sed praesertim internos praecipit, et cum priori arctissime cohaeret, ut docet Joannes I Epist. IV. 20. Itaque intelligitur similitudo obligationis, et indicatur, alterius praecepti haud secus, quam prioris obedien-

dientiam esse necessariam, ut jam recte observavit *Melanchthonus Opp.* T. II. p. 255, 356, 364, edit. *Peuceri*, *Vitebergae* 1562. Δευτέρα tamen dicitur, quia hoc praeceptum e priori sequitur, et quod qui ejus sit observans, Deo, qui hanc legem tulit, obedientiam praestat.

Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Haec verba desumta sunt e loco Levit. XIX. 18:

וְאָהַבְתָּ לְרֵעֲךָ כָּמוֹךָ Καὶ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

Haec sententia saepius in N. F. repetitur, conf. Marci et Lucae loca et Matth. V. 43, VII. 12, XIX. 19. (quo tamen in posteriori loco hoc monitum omittit Syr. hieros., omittendumque judicat *Origenes*. Conf. *Griesbach.* in *Comm. Crit.* P. I. pag. 159—161.) Rom. XIII. 9. et Jac. II. 8, et ob insignem et praestantiam et brevitatem fere in proverbium abiisse videtur, quâ observatione etiam facile explicari potest, quare Νομικὸς ille apud Lucam, postquam Jesu Deuteronomii locum praelegisset, hunc Levitici addiderit.

Quod ad varietatem lectionis in h. l. Codd. 10. ab *Holmesio* notati pro σεαυτὸν habent ἑαυτὸν, ut et Edd. Compl. Ald. Verss. Slavon. Ostrog. ἑαυτοῦ Cyr. Alex. Ob Codicum tamen reliquorum lectionem vulgarem habentium consensum haec non tentanda videtur. Conf. *Amersfoord* V. Cl. l. c. pag. 154, 176.

Τὸν πλησίον σου לְרֵעֲךָ, ὁ πλησίον scil. ὢν ut Hebr. רֵעַ a Rad. רָעָה proprie est, *qui una mecum pascit*, hinc *socius*, *amicus*, *popularis*; inde Alexandrini vocem אָח *frater*, *cognatus*, *popularis*, reddiderunt τὸν πλησίον, Gen. XXVI. 31. Joël II. 8. Ipsa quidem lex Mosaica Levit. XIX. 18. videtur particularis fuisse, praecipiens Israëlitis amorem erga populares, φιλαδελφίαν, non vero amorem erga alias gentes, aut erga homines omnes. Nam posita est haec lex inter medias leges particulares. Deinde vocabulum רֵעַ hic significare popularem, apparet ex appellatione בְּנֵי עַמֶּךָ h. l. cives, quacum h. versu commutatur. Porro additur argumentum hoc: *ego sum Deus*, ejusque explicatio com. 36, *qui vos eduxit ex Aegypto*, quod non nisi ad Israëlitas pertinet. Denique de amore erga omnes homines lata est peculiaris lex comm. 33: *peregrinum ama ut te ipsum.* Vid. de h. l. *Michaëlis Mosaisch Recht* D. II. § 72. pag. 19 sqq. *Tittmanni Commentar. in Evang. Joannis* pag. 497 sq. Hinc Judaei voce רֵעַ non intelligebant, nisi populares suos, Israëlis progeniem, infensissimi quippe aliarum gentium inimici. Conf. *Wetstenius ad N. T.* T. I. pag. 311. Sed in doctrinâ Jesu longe latius patet vox πλησίον, atque ad universitatem generis humani, etiam ad disjunctissimos, atque adeo ad ipsos hostes, spectat Matth. V. 44 sq. Sic etiam h. l. est quivis homo, sive popularis sit,

sive

sive peregrinus, absque ullo vel Gentis, vel Patriae, vel Religionis discrimine, et similiter in N. T. saepius adhibetur, v. gr. Matth. XIX. 19. Rom. XIII. 9, 10. Gal. V. 14. Jac. II. 8. al. Vidd. loca apud *Schleusnerum* h. v. Hanc suam doctrinam illustravit et perversam Judaeorum sententiam optime refutavit Jesus Luc. X. 30, allato exemplo Samaritae de Judaeo praeclare meriti, quo constaret, etiam peregrinos et inimicos amandos, iisque humanitatis officia esse praestanda.

Ὡς σεαυτὸν, כָּמוֹךָ. Verba haec neque ad subtilitatem metaphysicam revocanda, neque urgenda esse, existimem. Si enim sic intelligas, ut alios omnes eodem amore prosequamur, quo nos ipsos prosequimur, sequeretur nullos esse charitatis gradus, omnes debere plane eodem gradu amoris diligi, cum amor, quo nos prosequimur, unus sit. Jesus igitur non docere videtur, quam impense alios diligere debeamus, sed tantum exemplum amoris afferre, q. d. ut absurdum sit te ipsum non amare, sed odio prosequi; ita et alios te amare oportet, adeoque non tam est descriptio modi, quo alios diligere debeamus, quam potius hic esse sensus videtur: amas te, ama quoque alios, singulos sic dilige, quomodo tu ab iis diligi velles, si esses eorum loco. Conf. Matth. VII. 12. Particula ὡς enim imaginem quandam potius, quam similitudinem indicat, similitudinem κατά τι, conf. Cl. *Clarisse* l. c. pag. 86. cujus significationis similia exempla occurrunt Eph. V. 23: ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικὸς, ὡς καὶ ὁ Χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας. 24: ὥσπερ ἡ ἐκκλησία ὑποτάσσεται τῷ Χριστῷ, οὕτω καὶ αἱ γυναῖκες τοῖς ἰδίοις ἀνδράσι. 25: ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν, καθὼς ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν. *Ignatius ad Polycarpum* cap. I. πάντας βαστάζε, ὡς καὶ σε κύριος. In quibus omnibus vocula ὡς non magnitudinem et veluti gradum obedientiae, amoris etc. significat, sed comparationis tantum vim habet. Conf. Cl. *Borgerus ad Galatas* pag. 347 sqq.

Comma 40.

Ταύταις. *Matthaei* in priori editione h. l. notavit varietatem lectionis, quod nempe Codd. 6. 9. η. ρ. habeant ταύτῃ. ὅλος omittunt Cod. 54. Verss. Syr. Arab. p. Copt. Sahid. Habet Aug. diserte. Quod ad sensum, poterat quidem abesse, cum tamen Codices omnes fere habeant, lectio non in dubium vocanda, quoniam Versionum auctoritas in talibus sola non est sufficiens. Omissionem hujus vocis probat *Millius Proleg.* § 1251, ubi scribit: „ atque hanc lectionem simplicem ipsius Evangelistae fuisse haud „ quaquam dubito."

Καὶ οἱ προφῆται κρέμανται. Κρέμαται καὶ οἱ προφῆται legunt Codd. B. D. L. et e *Birch.* 1209. Verss. Syr. Vulg. It. Patres *Tertull. Cypr.* et Latini omnes exc. *Zenone.* Lectio certe

certe haec est rarior, et testimonia habet Codicum antiquissimorum, Versionum et Patrum, et facile in alteram ob majorem perspicuitatem potuit mutari, quare Vulgariori, ni praeferenda, certe aequiparanda videtur.

Quod apud Matthaeum legitur ἐν ταύταις κ. τ. λ. Marcus brevius sic habet c. 31: μείζων τούτων ἄλλη ἐντολὴ οὐκ ἔστι, ad sensum verborum Jesu, quae apud Matthaeum leguntur, explicandum. Conf. Cl. *van Hengel, over den invloed der karakters en denkwijze van de Evangelisten en Apostelen op derzelver Schriften, Teyl. Gen.* T. XXVII. pag. 71 sq.

Ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς. Intelliguntur praecepta de amando Deo amandisque hominibus, quae commatibus praecedentibus fuerant memorata.

Ὅλος ὁ νόμος. Νόμος, lex, apud Alexandrinos respondet Hebraico תּוֹרָה, quod primum de singulis legibus in V. T. usurpatur v. gr. Ex. XII. 49. XIII. 9. XVI. 4, deinde vero de toto συστήματι religionis, quod Moses jussu divino civibus suis tradiderat, Num. XV. 15. Deut. I. 5. IV. 8, 44, quâ significatione etiam a N. F. scriptoribus haec vox adhibetur, ita ut denotet complexum omnium legum populo Judaico olim per Mosem traditarum, et omnem religionis Judaicae doctrinam, conf. *Koppe Exc.* III. in *Epist. Pauli ad Gal.*

Προφήτης נָבִיא; προφητεία נְבוּאָה; προφητεύειν נִבָּא et הִנַּבֵּא varias habent significationes, de quibus egit *Koppe* in *Exc.* III. in *Epist. Pauli ad Ephesios* pag. 148 sq.

Προφήτης (a προφάω, quod idem ac προτίθημι, προφέρω, unde *Diodoro Siculo* L. I. c. 2. Historia προφήτης τῆς ἀληθείας vocatur. Conf. et Exod. VII. 1.) Graecis dicebatur ἐξηγήτης τῶν μαντείων, interpres oraculorum divinorum. In N. T. saepe dicitur Propheta, qui divinitus revelata oracula de rebus eventuris, ab humanâ intelligentiâ prorsus alienis, vel etiam praecepta divina hominibus tradere solebat, conf. loca citata a *Schleusnero* ad h. v. n°. 1. Vulgo nomine προφητῶν, si cum νόμῳ conjunguntur, reliqui V. T. scriptores sine discrimine omnes intelliguntur. Scilicet Judaei solebant sacrum Codicem, vel in duas, Legem et Prophetas, vel in tres, Legem, Prophetas et Hagiographa, distinguere. Διχοτομία in primis consueta est Jesu et Apostolis, conf. ll. cc. Matth. V. 17. VII. 12. Luc. XVI. 29. Sed Lucae XXIV. 44. a Servatore memorantur νόμος Μωσέως, καὶ προφῆται, καὶ ψάλμοι. Itaque Jesus τὸν νόμον, καὶ τοὺς προφήτας laudans, intelligit doctrinam divinam de officiis humanis exponentem, per Mosem et Prophetas, reliquosque scriptores sacros traditam. Conf. *Ikenii Dissertatio ad locum Luc.* laud. *Diss.* Vol. I. pag. 419 sqq. *Kuinoel* ad Matth. V. 17. *H. N. Ferf Vindiciae* Matth. V sqq. *contra Evansonum, Traj. Bat.* 1799. pag. 153 sqq.

Κρέμανται. Κρεμάω proprie *suspendo*, respondet Hebr. תָּלָה Gen. XL. 19, 22. conf. Act. V. 30. Matth. XVIII. 16 Metaphorice vero κρέμασθαι ἐν τινὶ, *pendere ab aliqua re*, *positum esse*, *contineri in aliqua re. Grotius*, *Olearius*, *Rosenmullerus*, hic sibi Latinismum videre visi sunt. Concedendum omnino est, Latinos h. sensu voce *pendere* uti; copiosa vero Graecorum scriptorum loca aliter sentiendum esse evincunt. Conf. *Pindari Olymp. Od.* VI. vers. 125. *Anacreon Od.* XXIX. 17. ἀπ' ἐλπίδος κρέμαται. *Philo Opp.* T. II. ed. *Mangey*, pag. 420, ubi Moses admonet rebelles, ne sacra turbent, unde αἱ τοῦ ἔθνους ἐλπίδες ἐκρεμάντο, et alio loco apud eundem κίνδυνος ἐπικρεμάμενος, est periculum, quod oritur ex facinore, conf. *Kuhnii Spicil. Obss. ex Philone* pag. 24. Simili sensu apud Graecos quoque usurpatur verbum ἀρτάομαι. Sic *Plutarchus* ad *Apollonium* pag. 116. c. Γνῶθι σεαυτὸν, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἐκ τούτων γὰρ ἤρτηται τὰ λοίπα πάντα. Conf. *Wolfius* in *Curis* et *Wetstenius* ad h. l. Sensus igitur hujus loci huc redit, hisce duobus praeceptis omnis legis et prophetarum doctrina continetur, primarium et maximum est illud de Deo hominibusque amandis praeceptum. Sic Paulus quoque 1 Tim. I. 5. amorem τὸ τέλος τῆς παραγγελίας vocat, i. e. finem sive summam praeceptorum. Simili sensu adhibetur ἀνακεφαλαιοῦσθαι Rom. XIII. 9. i. e. universae legis argumentum huc redire; ibid. c. 10. amare alterum est legem servare, πλήρωμα τοῦ νόμου ἡ ἀγάπη, nempe eam legem, qua officia aliis hominibus praestanda continentur, conf. ibid. c. 8. et πᾶς νόμος πληροῦται Gal. V. 14. universa lex absolvitur, de quo vocis πληροῦσθαι usu conf. *Storr. Diss. de voce* πλήρωμα § XIII. in *Opusc. Acad.* Vol. I. pag. 183 sqq. Cl. *J. van Voorst Obss. ad loca quaedam Matthaei* pag. 3, 4. Cl. *Borger* ad *Gal.* l. c. et *Knapp Scripta varii argumenti* T. II. pag. 569.

PARS

PARS ALTERA.

DE OFFICII A SANCTISSIMO SERVATORE PRAESCRIPTI NEXU CUM UNIVERSA ETHICA CHRISTIANA.

Cum officium insigni illo, quem philologice et critice illustrare conatus sum, Matthaei loco ab optimo Servatore praescriptum, sit bipartitum; jam alterâ hac qualiscunque Commentationis nostrae sectione de utrâque hujus officii parte sigillatim videtur agendum, ita ut, quis utriusque praecepti cum universâ Ethicâ Christiana sit nexus, quoad ejus fieri poterit, breviter exponatur.

§. 1.

Praeceptum de amando Deo recte dicitur complecti officium Deo praestandum.

Antequam ad praeceptum Christi de amando Deo sigillatim tractandum progrediamur, propter nonnullorum dissensum mihi quidem paucis demonstrandum videtur; si philosophice rem spectemus, amorem in Deum, quem praeceptum illud postulat, recte dici *officium Deo a nobis hominibus praestandum*, ab officiis erga nosmet ipsos, et naturae nostrae socios, omnino distinguendum.

Nempe nonnulli recentiori memoriâ Philosophi ad quaestionem: num sint officia erga Deum ab hominibus praestanda? negando responderunt, varii generis argumentis usi, quae tamen quam exigui sint momenti ad sententiam illam probandam, jam paucis indicare liceat.

Garvius quidem, in Libro: *Philosophische Anmerkungen und Abhandlungen zu Ciceros Büchern von den Pflichten*, B. II. s. 55 sqq. ed. 4. 1794. *Becker*, *über die Pflichten und Rechte des Menschen*, Th. II. s. 643. *Niemeyer*, *Handbuch für Christliche Religionslehrer*, Th. I. *populaire und practische Theologie*, § 65 et 66. alii, laudati Cl. *Krausio*, in *Commentatione*, cui titulus: *Doctrina de officiis erga Deum, judicata ex Christianae religionis et recentissimorum Philosophorum praeceptis*, *Regiomonti* 1811, repetita

in ejus *Opusculis Theologicis* pag. 293, statuerunt, nulla a nobis officia Deo posse praestari, quod Deus neque nostrâ operâ perfectior et beatior fieri, neque nostrâ negligentiâ ullam perfectionis et beatitatis jacturam facere possit.

Fatemur quidem, summae Dei perfectioni nihil aut accedere, aut decedere posse, ex officiis Naturae perfectissimae ab hominibus, vel praestitis, vel denegatis, quod et in S. S. docetur Job. XXII. 2, 3. Act. XVII. 28; sed inde non sequitur, nulla omnino Deo a nobis praestari posse officia. Neque enim *officium* est id, quod a nobis efficitur in eo, cui praestatur (1), neque ejus vis cernitur in effectu, qui inde proficiscitur (2), sed *officium* est actio, quam lex moralis, cui nobis est parendum, praescribit, sive illa voluntatis determinatio et ratio agendi, quae praeceptis legis moralis, actionum nostrarum normae, sit consentanea (3). Cum igitur lex moralis a nobis postulet, ut Deum amemus mente nostrâ et omnibus viribus nostris, licet Summi Numinis perfectio et beatitas nulla hinc incrementa capere possit, omnino amor erga Deum est officium a nobis Deo praestandum, quod si quis neget, negare etiam debet, esse officiis erga alios accen-

(1) Nempe *officium* nominatur, neque κατ᾽ ἀντίφρασιν, quasi *minime officiat*, i. e. noceat, neque ab *efficiendo*, ut veteres putabant, neque ex *opificio* contrahitur; sed ab *obficere* est, quod significat, apte, accommodate, decenter facere, ut *occasio*, quae opportune accidit, ut *obedio*, *oblecto*, *obsequor*, *obtempero*, aliaque, quae simplicium verborum actionem commodam et ad aliquid adtemperatam exprimunt. Sic *J. M. Heusinger*, in notâ ad inscriptionem Libri I. *Ciceronis de Officiis*, probante Cl. *Wyttenbachio*, in *Bibl. Crit.* P. VIII. pag. 61 sqq.

(2) Itaque non probanda videtur eorum sententia, qui cum *Hutchesono officia* vocant ejusmodi actiones, quae ad nostram, vel aliorum salutem et perfectionem promovendam faciant; sic enim non nisi inproprie de officiis erga Deum sermo esse potest, etenim Dei supremi nec salus, neque perfectio a nobis promoveri potest.

(3) Diversae quidem sunt *officii* determinationes: v. gr. *Moshemio* est actio lege praescripta, quia vel aliis commodum affert, vel quia ex amore et reverentia aliis debita sponte profluit; *Mursinnae*, *Comp. Theol. Mor. prol.* § 2, est actio, ad quam obligamur, sive quam lex quaedam, cui nobis est parendum, jubet; Cl. *S. J. van de Wynpersse Instit. Philos. Mor.* § 155. est actio consentiens cum nostrâ relatione cum aliis et divinae legi adtemperata; *H. V. Becker*, *über die Natur der Pflichten gegen Gott*, *Rostock* 1788: *Pflichten sind durch verbindliche Gesetze vorgeschrieben*, *das Rechtverhalten bestimmende Arten zu handlen*, conf. *Doederlein Auserl. Theol. Bibliothek* T. IV. s. 548 sqq.; *Kant*, *Grundleggung zur Metaphysik der Sitten* s. 14. *Pflicht ist die Nothwendigkeit der Handlung aus Achtung fürs Gesetz*; *Reinhard*, *System der Chr Moral*, Th. II. Cap. I. § 196. Vol. II. pag. 152: *Pflicht ist eine Art des Verhaltens*, *zu der man eine Verbindlichkeit hat*; *A. J. Deiman* in *Diss. Stolp.* 1816. pag 8. *Pligt is al dat geen*, *het welk de zedelijke wet ons voorschrijft*, *als rigtsnoer onzer zedelijke en alzoo vrije daden*, *of die wilsbepaling en wijze van handelen*, *welke overeenstemt met het doel en de voorschriften der zedelijke wet.* Licet igitur alii alio modo definiant *officium*, in eo tamen conveniunt omnes, quod sit agendi ratio legi morali attemperata. Vid *Schleiermacher Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre. Berlin* 1808. s. 149: *von dem Begriffe der Pflicht ergiebt sich aus allen Erklärungen*, *welche einigen Bestand haben*, *dass er das Sittliche bezeichnet in Beziehung auf das Gesetz.* Conf. *Krause* l. c. pag. 313.

censendas ejusmodi actiones, quibus praestandis proprie loquendo horum perfectioni nihil accedit, v. gr. internam animi reverentiam erga parentes et praeceptores, gratum animum erga eos, qui nos beneficiis cumularunt, et quae sunt hujus generis plura.

Dein observarunt Philosophi ante laudati, ex opinione de officiis Deo praestandis natam esse superstitionem et ritus externos, quibus veram virtutem supplere, aut compensare sibi viderentur homines; ex eodem quoque fonte ortum esse studium, suam de Deo rebusque divinis sententiam aliis obtrudendi, dissentientes calumniandi, et posthabitis officiis, quae nobismet ipsis et naturae nostrae sociis debemus, nimium pretium statutum esse iis, quae proxime ad Deum pertinere viderentur. Sed neque hoc argumentum ad opinionem de officiis Deo debitis infringendam quidquam valet.

In officiis erga Deum praestandis multos a rectâ viâ aberrasse nequit negari, sed minime hinc sequitur, nulla igitur esse veri nominis officia erga Deum. Recte enim observat Cl. *Krausius* l. c. eodem modo omni religione, et ipsâ adeo philosophiâ abusos esse homines, nec tamen propterea religionem et philosophiam rejiciendam esse, cuiquam in mentem venisse, ita potius judicandum esse, sensum communem omni tempore officia erga Deum agnovisse, et non nisi in eo, quod falsam officii notionem conceperit, erravisse. Praeterea, licet nonnulli abusi sint distinctione officiorum erga Deum et erga alios, revera tamen sunt distincta, neque enim hac distinctione diversa officiorum genera sibi invicem opponuntur, sed arctissimus eorum est nexus, et ut distinguuntur tantum pro diversis, quae proxime spectant, objectis, ita omnia, quae Deo praestantur, officia, simul quoque ad singulorum quorumcunque, nec minus ad publicam omnium felicitatem augendam faciunt. Conf. *Doederlein* l. c. p. 550. *Reinhard* l. c. § 201. p. 166 sqq.

Nulla veri nominis officia erga Deum esse alio insuper modo demonstrare conatus est *Kantius*. Vidd ejus et *Tieftrunckii* loca apud *Krausium* l. c. pag. 315 sq. *Kantius* nempe, cum statueret, Deum cogitari quidem et credi, sed non cognosci posse, neque esse argumenta theoretica, quibus evidenter demonstretur, Deum existere, sic rationem concludit, ergo etiam officia erga eum, quem non nisi fide attingamus, nec intueri possimus, statui non posse; etenim eum, cui officia praestanda esse existimemus, non solum mente cogitari, sed et experientiâ cognosci et vere adesse debere: nostrum quidem esse, omnibus officiis nostris fideliter fungi; sed nos ita sentiendo et agendo non facere, quod Deo, sed quod nobismet ipsi debeamus, adeoque proprie loquendo officia nostra erga Deum, esse officia erga nosmet ipsos.

At vero, licet sensibus humanis et experiundo Deus non cognoscatur, neque argu-

mentis mathematicam evidentiam habentibus effici possit, Deum existere (4); illud tamen ex Philosophiae criticae principiis negari nequit, et ipse *Kantius* saepius dixit, nihil certius esse, quam hoc, Auctorem mundi a nobis credi, eundemque a mundo diversum cogitari debere. Jam vero, si persuasum nobis sit, Deum existere, eundemque a mundo diversum esse, debemus etiam officia erga eum observare, quae reverentia erga Naturam perfectissimam postulat. Haec vero officia erga Deum, siquis nimis argutando, non nisi officia erga nosmet ipsos esse statuat, non potest non de Religionis, quae officia erga Deum praescribit, auctoritate multum detrahere, et rectam horum officiorum functionem valde impedire. Quomodo v. gr. precibus et gratiarum actionibus debitum Deo honorem praestemus, et Numen Supremum rite adoremus, si persuasum nobis sit, et precum et gratiarum actionis officia, non nisi officia esse erga nosmet ipsos observanda? Quomodo Deum sincerâ mente et omnibus animi viribus amet ille, qui officium amoris erga Deum non nisi pro officio erga semet ipsum habeat et sic appellet illud?

Praeterea *Kantius*, et qui eum sequuntur, officia esse, quae Deo praestari debeant, negarunt dicendo, omne officium alicui praestandum eo spectare, ut non modo consiliis ipsius non repugnemus, verum etiam, pro viribus nostris adjuvemus ipsum, quo facilius id, quod velit, consequatur; jam vero omnia, quae Deus in mundo gubernando spectat, a Deo solo pendere, adeoque Deum, si vel maxime voluntatem suam hominibus patefaciat, nihil aliud iis praecipere posse, nisi hoc, ut unusquisque officia erga semet ipsum et alios constanter observet, nec vero Numinis summi alieno auxilio non egentis curam suscipiat. Vid. *Tieftrunck* l. c. a *Krausio* l. l. pag. 298.

Sed omnem hanc difficultatem ortam esse e falsâ officii definitione, facile intelligitur ex iis, quae ante observavimus. Nobis quidem inperscrutabile est Dei in mundo gubernando consilium, neque Deus auxilio nostro indiget; sed non pendet officii erga Deum natura et dignitas ex eo, quod actionibus nostris Deum in mundo gubernando adjuvemus, sed quoniam Deo, et ceterarum rerum omnium, et nostro auctori, vitam et vires et omnia debemus, consequitur, Deum amandum, ei obediendum, et totam vitam, quam ab eo accepimus, ad ejus voluntatem, quam Religio nos docet, esse componendam.

Mittimus tum *Fichtii*, Dei nomine moralem mundi ordinem intelligentis, et praeterea quidquam esse divinum negantis, *Idealismum*, tum *Schellingii*, Deum non a mundo se-

(4) Nempe in hac causâ frustra quaeritur de evidentiâ mathematicâ; haec enim res demonstrationis mathematicae non est capax, adeoque nihil detrahitur vi morali argumentorum, Cosmologici, v. gr. et Physico-Theologici, qualis in hac causâ unice postulari debet, licet iis desit vis mathematica.

sejunctum, sed omnia esse Deum, et Deum esse omnia, statuentis *Pantheismum*, et de utrâque philosophandi ratione, quae nullum officiis erga Deum praestandis relinquit locum, hcc tantum observamus, viris doctis *Fichtii* sententiam ejusmodi visam esse, ut, licet verbis agnoscat Deum, vix tamen Atheismi culpâ careat. Videantur quae in Germaniâ *Eberhardus*, *Flattus*, *Vogelius*, *Heusingerus*, alii, de *Fichtii* sententiâ scripserunt, et conferatur elegans Philosophiae *Fichtianae* adumbratio in Cl. *Borgeri* disputatione *de Mysticismo*, ab Instituti Teyleriani Theologici Moderatoribus a. 1819 editâ pag. 57 sqq. edit. 2. p. 113 sqq. Quod ad *Schellingii* doctrinam, quantopere haec ad destruendam moralitatem, tollendumque boni ac mali discrimen, faciat, demonstrarunt non pauci, qui eam altius sunt perscrutati. v. gr. *Süskind*, *Prüfung der Schellingisshen Lehren von Gott*, *Weltschöpfung*, *Freiheit*, *moralischem Guten und Bösen. Tubing.* 1812. idem in *Magazin für Christliche Dogmatik und Moral* P. XI. p. 143 sqq. P. XII. p. 24 sqq. *Stäudlin*, *Lehrbuch der Dogmatik und Dogmengesch.* pag. 172 sqq. ed. 3. *Storr*, *Lehrbuch der Dogmatik übers. von Flatt* Vol. I. pag. 275 sqq. *Krause* l. c. pag. 301 sqq. Cl. *Borger.* l. c. pag. 64 sqq. edit. 2. p. 128 sqq.

§. 2.

Officium amoris erga Deum Ethica Christiana distinguit ab officiis nobismet ipsis aliisque praestandis.

His igitur praemissis nil obstat, quominus in optimi Servatoris praecepto, officium Deo praestandum praescribi statuamus. Male enim nonnulli hunc locum ita interpretati sunt, vel potius contorserunt, ut nullum erga Deum officium hic praescribi contenderent. *Kantius* v. c. his verbis nihil aliud nobis imperari putat, quam hoc, ut virtus nostra magis magisque fiat gratuita. Vid. *Critik der pract. Vern.* s. 147 sqq. *Tieftrunckius* praeceptum Jesu idem valere existimat, quod regulam: ne servias cupiditatibus, sed legibus, quas tibi ipse, pro rationis libertate, praescribis, obtemperes, atque in iis voluntatem Dei agnoscas. Sed ne dicam, grammaticam verborum Christi interpretationem ejusmodi sensum nequaquam admittere, recte observavit *Krausius* l. c. pag. 308. si prius praeceptum: *Dilige Deum*, idem esset atque hoc: rationis praeceptis tanquam Dei legibus morem gere, tum alterum: *Dilige alios* cet. ex illo derivandum fuisse; minime vero alterum ex altero derivari, sed utrumque vocari ὅμοιον. Amor erga Deum igitur, (πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή) et amor erga homines (ὁμοία αὐτῇ) non unam eandemque rem exprimit, sed varias officii partes indicat. Jesus praeterea repetit hoc praeceptum e legibus Mosaicis, Mosem vero officia erga Deum statuisse, dubio caret, nec Jesus

us-

usquam monet, aliter se, quam Mosem, hoc praeceptum intelligere. Alia insuper N. T. loca aperte docent, discrimen inter officia erga Deum et erga homines in Ethicâ Christianâ statui debere. Servator ipse haec officia distinguit Matth. XXII. 21. ἀπόδοτε τὰ καίσαρος καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. Judaei nempe putabant, pugnare cum officiis erga Jehovam tributum Caesari Romano persolvendum; si igitur Jesus officia ab hominibus Deo praestari posse negasset, hoc in casu certe sententiam suam profiteri debuisset, respondit vero: praestate Caesari, quae Caesari, et Deo, quae Deo praestanda sunt, suum cuique persolvite. Ergo formula τὰ τοῦ θεοῦ officia erga Deum eodem modo, quo illa τὰ τοῦ καίσαρος, officia erga magistratum civilem designat.

Nonnulli observarunt (e. gr. *Crugott*, *Hutcheson*, *Hume*, locis a *Reinhardo* citatis T. II. pag. 68. in notâ) Jesum, quando praeceptum de amando Deo memorat, se accommodasse tantum ad Mosis sententiam, revera autem mutuum hominum amorem, tanquam praeceptum summum et unicum in suâ religione, tulisse, illudque praeterea καινὴν ἐντολὴν dixisse Jo. XIII. 34 et 35. adeoque amorem in Deum tantum esse subsidium amoris, quo naturae nostrae socios prosequi oportet, quamobrem Paulus quoque Rom. XIII. 8, 10, et Gal. V. 14, solius amoris erga homines mentionem fecerit, et hunc adeo πλήρωμα νόμου dixerit.

Specie quidem non caret haec sententia, neque tamen probanda videtur. Illud omnino sine ullâ ratione satis idoneâ assumitur, Jesum quando praeceptum de amando Deo ἐντολὴν πρώτην καὶ μεγάλην dicit, se ad Mosis sententiam accommodasse, et tamen docere voluisse, hoc esse primarium Ethices Christianae praeceptum, quo amare quemvis alium sicut nosmet ipsos jubemur. Quod ad locum Jo. XIII. 34. memorata ibi ἀγάπη εἰς ἀλλήλους omnino diversa est ab ἀγάπῃ τοῦ ἑτέρου, sive τοῦ πλησίον, quae nostro loco et in Lege Mosaicâ postulatur; nam praeceptum illud ἀγαπᾶτε ἀλλήλους proxime et proprie Apostolis datum esse elucet e c. 35, ubi discipuli soli et mutuus eorum amor memorantur. Eorundem quoque ratione habita hoc praeceptum dicitur novum, tum quia saepe iteratis de principatu inter se certaminibus satis manifestum reddiderant, se quale hoc praeceptum esset, quamque vim haberet, nondum satis perspexisse, tum quod Christus iis nondum praeceperat, ut eo amore, quo ipse eos amavisset, qui morti adeo se daturus sit pro iis, invicem se amplecterentur. Vid. de h. l. *Knapp*, *Script. var. argum.* pag. 369. *Kuinoelius* et *Titimannus* in *Comment.* ad h. l. *C. L. G. Stark*, in *Paraphr. et Comment. in Evang. Jo.* XIII. XVII. pag. 14 sq. *H. A. Schott Opusc. Exeg. Crit. Dogmat.* T. I. pag. 102 sqq.

Omnino igitur Christus amorem erga Deum ab amore erga homines distinguit, et similiter Apostoli amorem erga Deum, licet cum amore erga alios arctissime junctum, ut of-

officium singulare saepius commendant, v. gr. 1 Cor. VIII. 3, 1 Jo. IV. 9—11, 19, 21, V. 1—3.

Paulus quidem, locis allatis Rom. XIII. 8—10, et Gal. V. 14, solius amoris erga alios mentionem facit; sed observandum, ibi Apostolum tantummodo agere de iis, quae homines sibi invicem debeant, alibi, ubi contexta oratio fert, etiam agit de amore erga Deum. Conf. Rom. VIII. 28, 39, 1 Cor. VIII. 3. Pari modo et ipse Servator Matth. XIX. 18 sqq., exempli et speciminis loco mentionem fecit ejusmodi praeceptorum legis Mosaicae, quae officia spectant erga homines observanda.

Praeterea Jesus ipse, ad cujus exemplum omnes se componere oportet, amorem suum erga Deum ab amore erga homines distinguit, et diserte docet, se in hunc mundum venisse, quoniam haec esset Patris voluntas Jo. X. 17, 18, Col. IV. 34, quare nullo modo probari potest, in Jesu doctrina mutuum hominum amorem esse primum omnium officiorum et quasi principium.

Denique officia erga Deum ab iis, quae nobismet ipsi et aliis debemus, esse distinguenda, docere videtur Paulus Tit. II. 12. ubi Christianis σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς vivendum esse praecipit, quorum officiorum prius nobismet ipsi, alterum reliquis hominibus, tertium Deo debemus. Judaeis quoque pariter ac Graecis scriptoribus in usu fuisse tripartitam hanc officiorum descriptionem, patet non tantum ex locis *Philonis*, *Luciani*, *Isocratis* et *Porphyrii*, a *Bosio* in *Exercit.* pag. 235, *Heinrichsio* ad h. l., et *Krausio* l. c. pag. 306, allatis; verum etiam ex *Platonis Phaedone* pag. 313, ubi καλῶς καὶ ὁσίως καὶ δικαίως vivendum monet. De *Socrate* apud *Marcum Antoninum* L. VII. § 66. pag. 232. memoratur quod fuerit δίκαιος τὰ πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ὅσιος τὰ πρὸς θεούς.

§. 3.

Nexus officii amoris erga Deum cum reliquis officiis Deo debitis.

Quod *Tullius* in libris *de Officiis* inter omnes philosophos constare ait, et saepius a se disputatum esse narrat: *qui unam habet, omnes habet virtutes*, et quod idem monet Tusc. Quaest. L. II: *si unam virtutem confessus sis te non habere, nullam necesse sit te habiturum*; id summo profecto jure dicendum est de amore erga Deum, qui vinculo tam necessario cum reliquis officiis Deo debitis est conjunctus, ut qui hanc virtutem unam habet, omnes habeat; qui hac una destituitur, destituatur omnibus. Hinc *Augustinus*: „ *quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino virtutem esse existimaverim, nisi summum amorem Dei.*" (5).

Arc-

(5) Hunc *Augustini* locum, qui legitur *de moribus Eccles. Cathol.* L. I. c. 15, debeo Cl. *Ammon*, *Vollst. Lehrb. der Moral*, 4. Ausg. s. 317.

Arctissimus hic omnium, quae Deo debita sunt, officiorum cum amore, quo Numen supremum prosequi nos oportet, nexus non potest non in oculos incurrere, sive spectemus hujus amoris indolem, sive in ejus fontem inquiramus, sive attendamus ad eam et sentiendi et agendi rationem, quae e sincero, quo animus noster erga Deum affectus sit, amore nascitur.

Quod ad hujus amoris *indolem*. In definiendo amore erga Deum magna est dissensio, non eorum tantum, qui hac in re verbis et formulis utuntur adeo obscuris, ut quid sibi velint vix intelligas, sed virorum etiam doctorum, qui de Ethicâ Christianâ praeclare sunt meriti, quam tamen dissensionem hic memorare nihil attinet, neque opus esse videtur, ut mysticorum commenta de amore Dei puro ad examen revocemus, vel ut inquiramus in diversam rationem, qua exposuerunt viri docti distinctionem amoris *concupiscentiae* et *complacentiae*, quam posteriorem iterum distinguunt in amorem *amicitiae* et *obedientiae*. De hisce vidd. *Buddaeus Inst. Theol. Mor.* pag. 143 sqq. *Mosheim Zedeleer der H. S.* T. III. pag. 603 sqq. *Reinhard* B. II. pag. 37 sqq.

Rectius omnino agere videntur, qui simplici Jesu et Apostolorum de amando Deo doctrinae adhaerentes observant, Jesum doctorem summum non subtilibus ratiociniis, qualia adhibebant Philosophi, non adductis Majorum sententiis, ut mos erat Judaeorum doctoribus, sed modo plano, facili adque omnium captum accommodato, haud secus quam majestatis pleno, legis Mosaicae praeceptum de amando Deo denuo inculcasse, adeoque eodem sensu, quo Moses olim de amore Dei loquutus fuerat, hoc officium commendasse.

In scriptis Mosaicis Deum *amare* est i. q. Deum colere, permutantur enim formulae Deum *timere*, Deum *amare*, Deum *colere*, praecepta et statuta Dei *observare* Deut. X. 12, 13. in Decalogo *Deum amare* et *praecepta ejus servare* junguntur Exod. XX. 6. conf. et Deuter. VI. 2, 5, 9. similiter et in aliis V. T. libris *Deum amare*, *mandata ejus obsequi*, *et malum odisse*, sunt loquendi formulae, quae idem fere significant 1 Reg. III. 3, Ps. XCVII. 10, alibi. Eodem sensu in doctrinâ Jesu ad amorem Dei referuntur omnia, quae Deum spectant, officia a nobis observanda. Sicut *amor Christi* significat *obedientiam mandatorum ejus* Jo. XIV. 15, 21, 23. XV. 13, 14; sic etiam amorem erga Deum cerni in obedientiâ ipsi praestitâ, docet exemplum Christi, qui declarat, *se Patrem amare, ejusque mandata exsequi* Jo. XIV. 31, *seque mandata Patris servando constanti eum amore complecti* Jo. XV. 10.

Ex doctrinâ Joannis, de amando Deo saepius monentis, *praecepta Dei qui servat, in ejus mente inest vere perfectus Dei amor* 1 Jo. II. 5. III. 24. *qui rerum mundanarum amore ducitur, amoris erga Deum expers est*, 1 Jo. II. 15. *noster in Deum amor*

in

in eo cernitur, quod praeceptis ejus pareamus, 1 Jo. V. 3. conf. *Reinhard* l. c. pag. 24 sqq.

Hujus amoris *fontem* esse *fidem*, et sine hac illum consistere non posse, aperta est S. S. doctrina 1 Tim. I. 5. conf. et Gal. II. 20, V. 6, 1 Joh. V. 2, 4, et hujus fidei sinceritas ex ejus fructu amore conspicua redditur Jac. II. 18 sqq. 1 Jo. II. 6—11; ex quo apparet, cum hac doctrinâ de summâ omnium legum, non pugnare loca, ubi omnia ad fidem Jesu habendam et fiduciam in ejus meritis ponendam revocari videntur e. gr. Jo. III. 14—18, 36. Marc. XVI. 16. Act. XVI. 31. Rom. X. 9, 10. Et sponte patet, nos Deum nullo modo posse amare, nisi nobis adsit certa persuasio, eum existere, quare etiam optimus Servator, in parallelo Marci loco, huic praecepto praemisit illud, quod Israëlitis olim dicebatur, *Deum esse, et esse unicum*.

Haec vero fides rectae superstructa esse debet Dei cognitioni, quae ad amorem necessario requiritur, nam hunc amorem non, quod mystici contendunt, e subitâ mentis commotione ortum habere, sed justis rationibus esse superstructum, ratio satis docet, et e nostro loco, aliisque N. T. locis, est manifestum. Jubemur enim Deum amare *ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ*, et reprehenditur coecus et importunus in causâ Dei et Christi tutandâ et vindicandâ fervor Rom. X. 2. 1 Tim. I. 13. Nemo igitur Deum poterit amare, qui nesciat, quantus et qualis sit Deus, quo nomine Paulus Athenienses, Deum incognitum colentes, reprehendit Act. XVII. 23, qua propter Jesus et Apostoli studium hocce Deum cognoscendi graviter commendant Jo. XVII. 3. Col. I. 9, 10. III. 10, 16. Eph. I. 17—19. 1 Jo. V. 20. Act. XVII. 11, 27. coll. Luc. XI. 31 (6).

Haec vero cognitio vim suam in animos exserere debet Col. I. 9. Rom. XII. 2, ita ut non tantum contemplatione potentiae, justitiae, sanctitatis, sapientiae, et reliquarum virtutum divinarum, in ejus admirationem rapiamur; sed et accedat fides, quâ Deum agnoscimus judicem sanctissimum, propter merita Christi omnia peccata nostra condonantem, et omnes bene agendi conatus remuneraturum: quae fides nobis omnino Deum sistit supra omnia amabilem, quem diligere debeamus, quia nos primum dilexit 1 Jo. IV. 19 coll. 8, 10, 16; cujus amabilis magnitudo in benefaciendo inprimis cernitur. Conf. Jesu doctrina in Or. Mont. Matth. V. 44—48. VI. 9, 13, 25, 32. et Pauli Rom. VIII. 28, 39. vid. et Hebr. XII. 4—11. Huc quoque pertinent loca, in quibus summa et

(6) Jam Stoici docuerunt: Τὸ κυριώτατον τῆς εὐσεβείας ἐκεῖνό ἐστιν, ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ θεῶν ἔχειν ὡς ὄντων κ. τ. λ. *Epictetus Enchirid.* c. 38. „Deum colit, qui novit. Primus est Deorum cultus credere „Deos: deinde reddere illis majestatem, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est." *Seneca Epist.* 94.

et perpetua Dei benignitas summis laudibus celebratur, eo consilio, ut sensus jucundus hujus benefactoris et fiducia in eo collocanda augeatur et alatur. Conf. Jo. III. 16. Matth. VII. 7, 11. coll. Luc. XI. 12. Matth. VI. 9—13, 25—32. Rom. V. 8.

Ex rite cognitâ hac Dei benignitate, cui omnia debeamus, et a qua omnia sperare nobis liceat, non potest non oriri certa animi persuasio, Deum esse infinite bonum, sanctum et sapientem eundemque liberalissimum virtutis remuneratorem, nec non leges ipsius esse aequitatis et justitiae plenas, quae persuasio facit, ut animus amore optimi Numinis exardescat, et nihil prius habeat, nihil antiquius, quam, ut ad illas leges se conformando, Deo placeat.

Quod igitur denique ad *sentiendi et agendi rationem*, quae e sincero, quo animus noster erga Deum affectus sit, amore nascitur, hujus amoris comites indivulsi sunt

A. *Pii sensus.* Huc

1. Primo loco referimus *admirationem et aestimationem Dei*, ex primo amoris momento, rectâ Dei cognitione, ortam, qui enim Deum perfectissimum noverit, non possit non in summam ejus rapi admirationem, et quo majores in hac cognitione fecerimus progressus, eo major quoque et rectior sit nostra aestimatio Dei, qui Optimus est et Maximus, ac proinde supra omnia expetendus Rom. XI. 33—36. 1 Joh. IV. 16.

Hanc Dei admirationem amor sincerus comitem semper habet. Qui Deum amat, saepe de Deo cogitet, virtutum divinarum contemplatione delectetur, atque in ejus, qui talis est et tantus, summam admirationem rapiatur, necesse est. Conf. exempla Ps. LXIII. 7. LXXIII. 28. CXIX. 4, 5. Jes. XXVI. 8, 9.

2. Amori, quo Deum maximi aestimamus, arctissime junctus est *gratus erga Deum animus.* Deum amamus, quoniam plurima nobis quotidie largitur bona, et horum adeo agnitio beneficiorum parit ejusmodi sensum, quo omnia, quibus fruimur, bona Deo benignissimo accepta referamus Act. XIV. 17. Jac. I. 17. Rom. I. 21. Gratus hic erga Deum animus, qui saepe in N. T. commendatur Eph. V. 20. Col. 1. 12. III. 15, 17. 1 Thess. V. 18, et adjunctum habet gaudium de usu beneficiorum divinorum Phil. IV. 4. Rom. XII. 12. 1 Pet. I. 6—8, coll. 3—5. Eph. I. 3, 4, cum voluptate contemplatur immensam Patris munifici, qui haec largitur bona, benignitatem, suam a Deo dependentiam et infirmitatem agnoscit 1 Cor. IV. 7. Jac. I. 17. Luc. XVII. 18, et intelligit, quantopere hisce beneficiis ad Deum ea largientem amandum obstringatur. Gratus porro animus magnitudinem et pretium beneficiorum, praesertim per Jesum Christum nobis partorum, rite perpendit Rom. V. 8, 9. et immensam Dei gratiam in iis conspicuam celebrat Rom. XI. 35, atque ita augetur et confirmatur sensus obligationis, ac studium Deum, cui par gratia referri nequeat, supra omnia amandi.

3. Cum

3. Cum hac Dei admiratione et grato erga eum animo arcte cohaeret *laetitia in Deo*, qui Optimus est et Maximus, cujus infinita potentia, sapientia, bonitas et clementia, praesertim conspicua in veniâ peccatorum per Jesum Christum partâ, largissimam nobis praebet laetandi materiem. Aperta haec est S. Scripturae doctrina, hoc gaudium semper nobis adesse Phil. IV. 4, beneficiis in nos collatis excitari, conf. exemplum Jesu Luc. X. 21. et Phil. I. 18. et a nobis ali debere Col. III. 16. conf. *Reinhard* l. c. pag. 346.

Quomodo autem laetemur de Deo, qui talis est ac tantus, et cui innumera debemus beneficia, nisi sincero erga eum affecti simus amore?

4. Ex amore erga Deum quarto loco profluit *fiducia in Deo*, sive certa persuasio, nos omnia vere bona ab eo exspectare posse, nos sub ejus tutelâ felices fore, et nobis ad hanc felicitatem nihil unquam defuturum. Deum rerum omnium auctorem et gubernatorem benignissimum atque sapientissimum, eundemque omnis boni fontem, fiduciâ nostrâ esse dignissimum, Jesus et Apostoli docuerunt Matth. V. 45. VI. 8, 32. Eph. III. 20. Rom. IV. 20, 21. VIII. 28; de promissis Dei non esse dubitandum 2 Cor. I. 20. Hebr. XI. 11; eumque propter merita Christi nos felicitatis participes et votorum nostrorum compotes redditurum esse, affirmant Rom. VIII. 31, 39. Hebr. IV. 16, atque ita fiduciam in Deo collocandam jubent Matth. VI. 26—30. X. 29—31. Luc. XXI. 28. Rom. VIII. 24—39. Col. I. 11. 1 Tim. VI. 17. Rom. V. 3, 5. Jac. I. 6, 7, multisque in Epist. ad Hebraeos, aliisque locis, conf. *Reinhard* l. c. pag. 358.

Ex hac fiduciâ in Deo oritur quieta et invicta, in rebus etiam adversis, animi constantia, qua omnia, quae nobis eveniunt, aequo animo ferimus, quia nobis persuasum est, Deum Patrem optimum nostrae saluti omni ratione consulturum, et nihil, quod nobis noceat, effecturum esse. Ita in Deo adquiescendum esse, docetur Jac. I. 3, 4, 12. V. 7—11. Hebr. X. 36. XII. 1—12. XIII. 5. Rom. XII. 12. V. 3. 1 Tim. VI. 6—8. conf. *Reinhard* l. c. pag. 343 sqq.

Et haec quidem de piis animi sensibus, quos Ethica Christiana postulat, eorumque cum amore erga Deum nexu sufficiant.

B. Quod ad *actiones*, quae amorem nostrum erga Deum comitantur, huc pertinet

1. *Reverentia*, seu *timor Dei*, qua ab omnibus, quae Deo sanctissimo displiceant, sedulo nobis caveamus. Saepius in N. T. hoc officium commendatur, conff. 1 Pet. I. 17. II. 17. Matth. X. 28. Col. III. 22, aliisque locis, et notio *timoris Dei* in S. Scripturâ tam late patet, ut saepissime ad omnem religionem et pietatem designandam adhibeatur: v. gr. Deut. VI. 13. X. 12. 2 Reg. XVII. 25. Ps. XXXIV. 12. Jonae I. 9, et homines pii vocentur *Deum timentes* Ps. CXLV. 19. Act. X. 2.

Ex amore oritur haec Dei reverentia, quae propterea dici solet *filialis timor*, qui filium bene moratum decet. Rom. VIII. 15. 2 Tim. I. 7. Hebr. XII. 9, 28, et distinguitur a *servili metu*, quem poenae comminatio progignit Luc. XIX. 21, quem amori Dei repugnare diserte docet Joannes 1 Epist. IV. 18. de quo metu religioni contrario conf. *Reinhard* T. I. pag. 709.

2. *Honoris divini studium*, seu *veneratio Dei*. Honoramus Deum, non tantum cum verbis testamur, quanti ipsum faciamus, et quando laudes ejus celebramus; verum etiam, cum in actionibus ad voluntatem ejus componendis diligentem ponimus operam 1 Cor. X. 31, nec non cum alios, vel sermone, vel exemplo, ad Deum honorandum excitamus Matth. V. 16. 1 Pet. II. 12. et zelum nostrum pro gloriâ Dei reddimus manifestum, cujus rei exemplum dederunt Apostoli Act. XIV. 14 sqq. XVII. 16. Gloriae autem Dei magis studere poterit nemo, quam qui intimo ejus amore incensus, in Dei consilium, quo nos creavit, et a peccatis per Filium liberavit, studeat collineare 1 Pet. II. 9. 1 Cor. VI. 20. Tit. II. 14.

3. *Adoratio Dei*, qua ipsum celebramus, ipsique vota nostra exponimus. Complectitur igitur, vel Dei laudem et gratiarum actionem, pro beneficiis in nos collatis, Ephes. I. 3. 1 Pet. I. 3. 1 Cor. IV. 4. Apoc. IV. 11, quod officium Jesus tanquam partem cultus divini praescribit nullo modo negligendam Luc. XVII. 18; vel preces proprie dictas, sive vota de bonis, vel nobis, vel aliis inpetrandis, et malis ab iisdem avertendis Jac. V. 13. Exempla harum precum sunt plerique Psalmi, oratio dominica, et quaedam aliae, tum in Veteri, tum in Novo Foedere, Gen. XXXII. 9—12. 1 Reg. III. 6—9. VIII. 23—53. Matth. XVI. 39, 42. Jo. XVII. Act. I. 24, 25. IV. 24—30. Eph. III. 14—21.

Quomodo vero Deum rite adoremus, nisi eum ut summum bonum supra omnia amemus, et fiduciam in eo collocemus vivam, quae in amando Deo suam prodat efficaciam, sinceras vero gratias Deo agere poterit nemo, nisi qui continuâ summorum Dei beneficiorum meditatione in ejus amorem ducatur. Ad gratiarum actiones et preces accedere quoque debet laeta virtutum divinarum celebratio, quae si sincera est, ex amore Dei ortum habet, conf. 1 Pet. II. 9. Hebr. XIII. 5. 1 Cor. VI. 20.

4. *Professio verae Religionis*, qua Deus maxime honoratur, hominumque saluti optime consulitur, quae Religionis professio cernitur in assiduâ Librorum sacrorum lectione, coetuum piorum frequentatione, crebris sermonibus de Deo rebusque divinis, et universe in omnibus iis, quae ad cultum Dei, tum internum tum externum, pertinent. Sectatoribus suis hanc Religionis professionem mandavit Christus Matth. X. 32, 33, 37—39. Luc. IX. 26. XII. 8, 9, similiter Apostoli Rom. X. 9, 10. 2 Tim. I. 7, 8.

II. 11, 12. 1 Pet. III. 15. IV. 13, 14, 16. 1 Jo. II. 22, 23. IV. 3, 15. 2 Jo. 7. Hebr. X. 26, 27.

Quomodo vero quis in profitendâ Religione sit constans, etiamsi propterea cum multis incommodis, imo vitae periculo, sit conflictandum, nisi ducatur sincero Dei et Jesu Christi amore? Egregia hac in re sunt exempla ipsius Jesu Jo. XIV. 31, et Apostolorum Jo. XXI. 17. 2 Cor. V. 14. Rom. V. 5. 1 Cor. IV. 11, ne quid dicam de Stephano aliisque, qui amore Dei et Jesu Christi ducti, suam Religionis professionem morte obsignarunt.

5. Denique ex amore Dei sequitur *obsequium* illi in omnibus praestandum. Haec enim obedientia esse debet sincera, ita ut omnis agendi modus voluntati divinae sit consentaneus Phil. II. 4—11, posthabitis bonis, quae in mundo sunt, sensualibus, Matth. VI. 24. XVI. 24. Act. V. 29. Rom. VIII. 7. Jac. IV. 4. 1 Jo. II. 15, 16. et talis omnino, qualis est liberorum erga parentes, Hebr. XII. 5—9. 1 Pet. I. 17. Quomodo vero quis tali modo omnes res obedientiae Dei poterit postponere, nisi amore erga Deum ducatur? quapropter et amor Dei in obsequio ejus mandatis praestito cerni dicitur 1 Jo. II. 5.

Ut igitur obsequium mandatorum Dei universe in ejus amore est fundatum, ita inprimis amor erga Deum se exserit, et conspicuus est in obedientiâ praecepto, de amandis hominibus naturae nostrae sociis, praestitâ. Hoc enim consilio nobis hoc praecepit summus legislator, ut ad ipsius exemplum nos componeremus Luc. VI. 36. Eph. V. 1. atque ita in amandis hominibus Deo similes, *filii diceremur Patris coelestis* Matt. V. 44, 45. Summo igitur jure priori praecepto amoris erga Deum optimus Servator jungit alterum de amandis hominibus, ad cujus officii nexum cum universâ Ethicâ Christianâ contemplandum jam progredimur.

In Ethicâ Christianâ primum quidem post officia Deo debita locum sibi vindicant officia erga Jesum Christum, Servatorem nostrum, praestanda. Ille enim Filius Dei et Naturae divinae socius diserte dixit Jo. V. 23: *ὁ μὴ τιμῶν τὸν ὑιὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα τὸν πέμψαντα αὐτὸν*, et quali eum amore prosequi debeamus, docent loca Matth. X. 37. 1 Cor. XVI. 22. et exemplum Apostolorum, Phil. III. 8—10. Act. V. 41. Cum vero officiorum, quae Jesu Christo debentur, eadem in universum sit ratio, quae est officiorum erga Deum, ulteriori eorum expositione h. l. supersedendum, et ad alterum de amandis hominibus praeceptum hic progrediendum esse existimavi.

§. 4.

Nexus officii amoris in homines cum reliquis erga eos praestandis.

Quod de officiis erga Deum observavimus, ea omnia unum de amando Deo praeceptum conplexu suo continere, idem dicendum de officiis erga alios praestandis, quae uno optimi Servatoris praecepto: *ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου*, ita comprehenduntur, ut qui hoc charitatis officio bene fungitur, reliquis etiam bene fungatur necesse sit. Diserte Paulus hanc in rem docet Rom. XIII. 8, 9, 10. ab eo qui alterum amet, legi satisfieri, et quaecunque sint legis praecepta, hujus mandati veluti summâ comprehendi: alios pariter dilige, ac temet ipsum; amorem primas tenere, amori igitur studendum esse, idem praecipit 1 Cor. XIII. 13. XIV. 1. conf. 1 Thess. III. 12. 1 Pet. III. 8. 2 Pet. I. 7. 1 Jo. IV. 7. 2 Jo. 5. Jure igitur *Chrysostomus*: *Ἀρχὴ καὶ τέλος ἀρετῆς ἁπάσης ἡ ἀγάπη. Ἔστι πασῶν τῶν ἀρετῶν τὸ κεφάλαιον, τὸ ἅλας τῶν ἀρετῶν*, et *Theophylactus*: *τὸ κεφάλαιον, καὶ ἡ πηγὴ τοῦ ὀρθοῦ βίου, ἡ ἀγάπη.* Vidd. hae, et plures ejusmodi *Chrysostomi* sententiae, apud *Suicerum* in *Thes. Eccles.* pag. 19. Arctissimum hunc omnium officiorum erga naturae socios praestandorum, cum amore iis debito nexum facile quisque perspiciet, qui attenderit tum ad hujus amoris indolem, fundamentum, et ambitum, tum ad animi sensus, quos comites habeat, et ad actiones, quibus se reddat manifestum.

1. Quod ad amoris *indolem*. Est affectus ille benignus, quo non solum a quovis laedendo abstineamus, sed et omnium commoda, quantum fieri possit, promovere studeamus. Nam qui alios amat, eorum delectatur felicitate, abstinet igitur ab omnibus, quae illi sint contraria, et e diverso dat operam, ut illam conservet, et ad ejus incrementum aliquid conferat. Mosem hoc sensu vocem *amare* adhibuisse, patet e loco Lev. XIX. 18. ubi quae inde a comm. 11. de benevolentiâ, aequitate et justitiâ praeceperat, in unum illud amoris praeceptum contrahuntur, conf. *Reinhard* l. c. pag. 56.

Jesus vero et Apostoli eodem sensu de hoc amore locuti sunt. In doctrinâ Jesu *amare alios* frequenter permutatur cum formulis, *benedicere*, *benefacere aliis*, *precari pro aliis* cet, Matth. V. 44. Luc. VI. 27, 35, et ipse quid de hoc amore loquens intelligeret, ostendit Luc. VI. 31: *καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως.* Joannes vero docet, nos non solum ab omni erga alios odio, 1 Jo. II. 9—11. et injustitiâ, III. 11. abstinere debere, sed ipsâ re et factis amandos esse alios, ita ut eorum causâ ardua quaevis suscipiamus, et promti atque parati simus ad auxilium iis praestandum, ibidem 15 sqq. Similiter Paulus docet, amorem non solum ne-

mini

mini facere injuriam, Rom. XIII. 10. sed de recte factis laetari, omnia obtegere, omnia credere, omnia sperare, omnia exspectare, 1 Cor. XIII. 4—7. Gal. V. 13—15. conf. 1 Pet. III. 8. Jac. II. 15, 16. Ea igitur est amoris hujus indoles, ut nihil sociali hominum vitae contrarium permittat, sed aequitatem, honestatem et omnis generis officia, quae particulari magis nomine vocare solemus, complectatur.

2. *Fundamentum* hujus amoris, seu proxima causa, quae nos ad eum obstringat, esse debet amor Dei, sive obedientia Deo, qui nobis hoc praeceptum dedit, praestanda, quamobrem ii, qui proprii commodi aut emolumenti causâ alios amant, non recte amare dicuntur Matth. V. 46, 47. Luc. VI. 32. conferantur quae ante de amore erga Deum observavimus § 3. n°. 5. Praeterea ad hujus praecepti observantiam homo suâ naturâ ac ratione obligatur, ita enim sumus constituti, ut non sibi quisque soli vivat, sed ut magna quaedam civitas sit totus hic terrarum orbis, eaque hominum inter homines commendatio, ut ab homine homo propter id ipsum, quod homo sit, alienus non videatur, et unusquisque se non unius circumdatum moenibus loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis, agnoscat. Conf. *Cicero de Legibus* L. I. c. 23. Sponte hinc sequitur omnium, quae in societate humana praestanda sunt, officiorum cum amore erga alios nexus.

3. Quod ad *ambitum* hujus praecepti, Jesus quidem τὸν πλησίον esse amandum dixit; quid vero ita loquendo sibi velit, ipse disertissime ostendit in responsione cuidam popularium suorum, solos Abrahami nepotes e gente Israëliticâ amandos statuentium, datâ, Luc. X. 27. et in loco Matth. V. 44—48. in exemplum proponens summum Dei erga omnes, nemine excepto, amorem Matt. V. 45. Luc. VI. 35. conf. et 1 Jo. IV. 9—12.

Itaque amor ille, quem praecepit Christus, tam late patet, ut omnes naturâ conjunctos complectatur, unde consequitur, inimicos quoque amandos esse, id quod ipse docuit Servator Matth. V. 43. conf. 1 Pet. III. 9. Rom. XII. 17. Hac autem in re cernitur maxima Ethices Christianae praestantia. Fateor equidem, veteres scriptores Graecos et Romanos benignum in hostes animum, et injuriae oblivionem, tanquam nobile quid et generosum, magnis subinde laudibus extulisse, et hoc nomine celebrari *Aristidem*, *Phocionem*, *Lycurgum*, *Socratem*, *Themistoclem* e Graecis; *Camillum*, *Metellum*, *Tiberium Gracchum*, *Scipionem*, *Julium Caesarem*, *Ciceronem*, alios e Romanis; *Plutarchum* quoque scripsisse tractatum *de utilitate ex inimicis capiendâ*, et *Senecam*, *M. Aurelium Antoninum*, aliosque Philosophos, egregia de amandis inimicis dedisse praecepta. Vidd. *Grotius*, *Wetstenius* ad l. Matth. l. *Koppius* ad Rom. XII. 17. sed recte observat *Buddeus* l. c. c. III. s. IV. § III. „ splendida haec esse verba, quibus res ip-

„ sa, ita ut decet, nunquam responderit, et apud homines sibi relictos nunquam res-„ pondere potuerit." Israëlitis olim praestantissimum de ope inimicis ferenda datum fuerat praeceptum Exod. XXIII. 4, 5; sed ab ἐχθροφιλίᾳ, quam impense laudaverat Regum sapientissimus Salomo Proverb. XXIV. 17, 18. XXV. 21. Judaei, tempore Christi, erant alieni, eorumque doctores odium hostium commendasse leguntur Matth. V. 43. Eadem fuit sententia Siracidis XII. 1—7, qui idem XXV. 10. beatum praedicat virum, qui, dum in hac vitâ degat, hostium casum videat. Loca Talmudicorum huc pertinentia vidd. apud *Wolfium* in *Curis* ad Matth. l. l. Recte igitur *Tertullianus ad Scapulam:* „ Amicos diligere omnium est, inimicos solorum Christianorum."

Quamvis tamen omnes et singulos amore prosequi debeamus, hoc tamen non impedit, quo minus quosdam, qui arctioribus nobiscum conjuncti sint vinculis, praecipue amemus, Gal. VI. 10. 1 Tim. V. 8. unde et Petrus φιλαδελφίαν ab ἀγάπῃ distinxit, 2 Epist. I. 7. Tantum quoque abest, ut universale de amandis hominibus praeceptum tollat officia, quae nobismet ipsi, quae parentibus, quae cognatis, quae amicis, quae popularibus debeamus, ut e contrario nulla sit doctrina, quae magis illa praecipere possit. „ Consulatur ergo sibi, consulatur familiae, consulatur patriae, verum hoc te-„ neatur semper, non per se, non absolute valere illa officia; sunt enim partes tantum „ illius virtutis, quae totum hoc continet, quaeque dum ipsa tanquam regina modere-„ tur universum, quasdam tantum provincias illis concedit officiis, quae particulari ma-„ gis nomine vocare solemus, sed ita demum, ut illius nomine regant, neque has op-„ pugnent leges, quibus illa totum continet et gubernat." sunt verba Ill. *Kemperi* in Oratione *de Jure Naturae immutabili et aeterno*, *Harderv.* 1799. pag. 20. a quibus huc transferendis, propter eorumdem et gravitatem et elegantiam, mihi temperare non potui.

4. Quod jam ad *animi sensus*, quibus alios homines diligere oportet, hi quoque luculenter declarant, quam arctus sit officiorum, quae Ethica Christiana hoc nomine praescribit nexus cum amoris erga alios officio.

Cum in omni amore adesse debeat certa de adamati objecti praestantiâ persuasio, sequitur, primas in amandis aliis partes tribuendas esse rectae hominum aestimationi, quam saepius commendant S. Scriptores, Matth. XVIII. 10. Act. XVII. 29. Rom. XII. 10. Phil. II. 3. 1 Pet. II. 17. Jac. III. 9.

Huic rectae aliorum aestimationi arctissime juncta est gaudii ac doloris aliorum societas. „ Hoc proprium est," inquit *Cicero*, *de Amicitia*, „ animi bene constituti et „ laetari bonis rebus, et dolere contrariis," addimus, rebus aliorum non minus, quam nostris. Hoc enim est Ethices Christianae praeceptum: *laetemini cum laetis; doleatis cum*

cum tristibus, Rom. XII. 15. sicut membra corporis ejusdem sibi invicem de mutuâ sanitate et vigore gratulantur, et sicut dolent omnia, quodsi unum eorum dolet, ita quoque nos oportet laetari de prosperâ aliorum fortunâ, atque dolere de malis, quae iis eveniant, 1 Cor. XII. 12—17. conf. Hebr. X. 33, 34. Quam arctus vero sit hujus de aliorum salute laetitiae nexus cum amore, docet Paulus 1 Cor. XIII. 6. Gal. V. 22. atque huic gaudio de aliorum salute opposita est invidia, Jac. III. 14—16. Gal. V. 20, 21, 26. conf. et Matth. XX. 13—15.

Porro in amore requiritur mens sincera, quam Jesus et Apostoli saepius commendarunt, Matth. X. 16. reprehendentes ὑπόκρισιν, Matth. XXIII. 28. Luc. XIII. 1. adulationem, Eph. VI. 6. Col. III. 22. fraudem et mendacium, Matth. XV. 19. XIX. 18. Marc. VII. 22. 1 Pet. II. 1. III. 10. Eph. IV. 25. Col. III. 9. Jac. III. 14. aliisque locis quam plurimis. Hinc verus amor dicitur ἀνυπόκριτος. 2 Cor. VI. 6. 1 Pet. I. 22. et ne malum quidem cogitat, 1 Cor. XIII. 5. Praeterea huc pertinet fiducia in aliis collocata, qua benignum de aliis feramus judicium, optima quaevis de iis speremus, omniaque, quantum fieri potest, in meliorem partem interpretemur, 1 Cor. XIII. 7. Jac. III. 17. Denique huc pertinet, quod aliorum meritis justum pretium statuamus, de nemine severius judicemus, nemini temere irascamur, infirmos toleremus, nos non arroganter supra alios efferamus, neque temere alios contemnamus, vidd. Matth. V. 22. VII. 1—3. Luc. XIII. 1—5. 1 Cor. IV. 5. Jac. IV. 11, 12. Rom. XIV. 3. XV. 1, 2. 1 Cor. VIII. 9—13. IX. 13—23; quorum omnium animi sensuum, quos Ethica Christiana postulat, quis sit nexus cum amore, facile quisque perspicit, et diserte indicat Paulus 1 Cor. XIII. 5, 7. ἡ ἀγάπη οὐ λογίζεται τὸ κακὸν, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει.

Ceterum animum hisce sensibus affectum in amandis aliis non otiosum esse, sed impellere nos ad quaevis humanitatis officia praestanda, ex ipsâ horum sensuum ratione sequitur, et docent illud S. Scriptores Jac. II. 15, 16. 1 Jo. III. 18. Gal. VI. 10.

5. Denique accedimus ad *actiones*, quibus amor in alios se reddit manifestum. Huc pertinent omnia officia, tum ore, tum ipsâ re erga alios praestanda, quae tam late patent, ut non nisi summa eorum capita hic verbo indicari possint.

A. Ad charitatis officia *ore* praestanda pertinent.

a. Vota pro aliorum salute suscepta, et *gratiarum actiones*, quibus Deus laudatur pro bonis, quorum illi compotes redditi sint, cujusmodi votis et gratiarum actionibus passim Epistolas suas ordiuntur Apostoli, nec non preces ad Deum, ut omnis generis bona largiatur naturae nostrae sociis, eosdemque ab omni malo praestet immunes; has preces saepe praecipiunt Apostoli, 1 Tim. II. 1—3. 1 Pet. III. 9. Jac. V. 14—18. 1 Jo. V. 16, 17. Ephes. VI. 18, 19. 1 Thess. V. 25. Hebr. XIII. 18. Pro inimicis

 quo-

quoque praecandum esse, docuit Jesus Matth. V. 44. Luc. VI. 28. et ipse exemplo praeivit, Luc. XXIII. 34.

b. Cura de intellectus et voluntatis aliorum emendatione. Ut colloquiis suis unusquisque pro facultate suâ aliis prodesse debet rebus utilibus, quarum scientiâ est praeditus, detegendis, et inprimis rectioribus, si fieri potest, de religione sententiis tradendis, 1 Thess. V. 11, 14. 1 Pet. III. 15; sic et voluntati aliorum emendandae studendum est, ut sermonibus nostris alios a malo dehortemur, virtutis amorem ac studium commendemus, et sic eos reddamus meliores, Heb. X. 24. 1 Thess. V. 14. 1 Cor. XV. 33. Ephes. IV. 29, 30.

c. Consolatio, qua animum eorum, qui rebus adversis sunt pressi, erigere studemus, alloquiis ita conpositis, ut facere possint ad leniendum eorum dolorem, eosque ita corroborandos, ut animo aequo et patienti conditionem suam sustineant. Officium hoc commendatur, Jac. I. 27. 1 Thess. II. 11. V. 14. Col. IV. 8. 1 Cor. I. 3—7.

d. Veracitas, sive integritas in dictis, qua quae loquimur sentimus, et stamus promissis, a perfidiâ omnique mendacio, quod alteri sit noxium, alieni, etiamsi veritas odium pariat, Ephes. IV. 15, 25. V. 9. Gal. IV. 16. Cum hac integritate semper conjungendam esse prudentiam, docet Jesus, Matth. X. 16. et lenitatem in veritate quoque defendendâ adesse debere, monet Paulus τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ commendans, Ephes. IV. 15. conf. 1 Cor. III. 1, 2. Hebr. V. 11—14.

e. Qui alterum amat, cavet sibi, tum ne calumniâ et obtrectatione de famâ alterius absentis quid detrahat, aut fictis aliorum criminationibus aurem praebeat, easque in vulgus dispergat Rom. I. 30—32. Ephes. IV. 31. Col. III. 8. 1 Tim. VI. 4. tum ne alterum lacessat maledictis, eique falso exprobret crimina, Matth. XII. 33—37. XV. 19. Eph. IV. 31. Col. III. 8. 2 Tim. III. 2. Tit. III. 2. 1 Pet. II. 12. III. 16. IV. 4. 2 Pet. II. 10, 12. Jac. IV. 11. Contra non solum verbis testatur, quanti eum aestimet, sed et pro dignitate eum colit, Rom. XIII. 7. 1 Pet. II. 17. atque honorem ejus et famam contra injustos obtrectatores tuetur, cujus officii generosum est exemplum in Jonathane 1 Sam. XIX. 4, 5.

f. Denique amor omnem asperitatem, morositatem, et acerbitatem e sermone exsulare jubet, qui alterum amat in omnibus, quae sibi intercedunt cum altero colloquiis, suavem et jucundum se praebet, affabilem et facilem aditu, sermone et vultu, cuncta ejus verba spirant benevolentiam. Talia erant domini nostri Jesu Christi verba, Luc. IV. 22. et quanta fuerit optimi Servatoris humanitas, quam longe abfuerit ab austeritate et morositate, omnis testatur ejus vita. Christi exemplum hoc nomine laudat Paulus, Rom. XV. 2, 3. et ad hoc exemplum ipse se composuit, 1 Cor. X. 33. IX. 19. Praeterea ejus-

ejusmodi cum aliis colloquendi morem Apostolus diserte commendat, Col. IV. 6: *Oratio vestra quovis tempore sit gratiae plena, et sale condita.* Conferatur locus *Ciceronis de Amicitia:* „ Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque mo„ rum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. Tristitia autem et in omni re „ severitas absit. Habet illa quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet, et „ liberior, et dulcior, et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior. " Sic etiam vera charitas, quae parens est amicitiae.

B. Officiorum charitatis in *sermone* observandorum tam necessarius est nexus cum officiis, quae ipso *opere* sunt praestanda, ut non anxie nimis distingui debeant, *neque enim*, ut monet Joannes, *verbis et ore tantum, sed re et factis alios diligere oportet*, atque in omni nostrâ vivendi et agendi ratione elucere debet, hanc esse omnium actionum nostrarum normam, ut neminem laedamus, omniumque salutem, quantum fieri possit, promovere studeamus.

Potest autem duplex officiorum huc pertinentium genus distingui, eorum nempe, quae pertinent ad *justitiam*, et eorum, quae pertinent ad *benevolentiam.*

I. *Justitiam*, quae neminem laedere, et suum cuique tribuere jubet, veluti officiorum, quae aliis debemus, summam praecepit Jesus, Matth. VII. 12: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, i. e. neminem laedas, quod tibi vis fieri alteri quoque feceris, i. e. suum cuique tribuas. Haec justitia hoc nomine laudatur quoque et commendatur, Act. XXIV. 25. 1 Tim. VI. 1. Tit. II. 12. Versatur autem circa aliorum *animos*, *vitam*, *bona*, et *famam.*

1. Cum hominum prima ac praecipua pars sit *anima*, ejusque bonis reliqua omnia sint posthabenda, sponte intelligitur, amorem nobis injungere primum illud et praecipuum justitiae praeceptum, ut caveamus, ne nostrâ culpâ alicujus anima detrimenti quid capiat, quod officium diserte praescribunt Jesus et Apostoli, Matth. XVIII. 6. Luc. XVII. 2. Eph. V. 6. 1 Cor. VIII. 11. et qui illud omittant, *οὐκ ἔτι κατὰ ἀγάπην περιπατεῖν*, docet Paulus, Rom. XIV. 15. conf. et Jac. V. 20.

2. Porro nobis injungitur cura aliorum *vitae*, ut non solum neminem sine justâ causâ vitâ privemus, Matth. V. 21. Rom. XIII. 9. Jac. II. 11. quibus in locis lex decalogi ad Christianos refertur, adeoque nec vulneremus eum, nec faciamus aliquid, quod ejus valetudini nociturum videatur, sed et faciamus quaecunque ad valetudinem et vitam alterius conservandam idonea existimemus, Luc. X. 34, 35. Abstinendum igitur et a vindictae cupidine, Matth. V. 21, 22. Rom. XII. 17—21. Gal. V. 20, 21. Col. III. 8. neque aliquem odio prosequi licet, Tit. III. 3. 1 Jo. II. 9—11. quod non solum amori erga alios, sed et amori erga Deum repugnat, 1 Jo. IV. 20.

3. Sta-

3. *Status* quoque *externi* aliorum, et *bonorum*, quae alter possidet, rationem habere praecipit amor.

Peccant igitur, qui aliorum possessiones sibi injusto student vindicare modo, Luc. III. 14. 1 Thess. IV. 6. Eph. IV. 8, 28. 1 Cor. VI. 10. 1 Pet. IV. 15. et legem decalogi, de furto non committendo, ad Christianos quoque retulit Jesus, Matth. XIX. 18. et in praecepto amoris contineri docet Paulus, Rom. XIII. 9. Neque alteri sunt denegenda, quae quis jure postulare possit, cujusmodi sunt merces ob laborem quendam debita, Jac. V. 4. et tributa summo Imperanti pendenda, Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 7.

Huc inprimis quoque pertinet, ut damna, nostrâ culpâ aliis quovis modo illata, quantum in nobis est, restituamus, tamdiu enim damni illati culpa perdurat, quamdiu illud non restituere conati simus. Hanc restitutionem jubent leges universales, Matth. VII. 12. Rom. XIII. 7, 8. eamque in Zachaeo probavit Jesus, Luc. XIX. 8—10. conf. et Philem. 18.

4. *Famae* denique et *honori* alterius vel quidquam detrahere, vetat justitia, et quantopere nobis cavere debeamus ab omni calumniâ, et obtrectatione, jam ante exposuimus, atque loca S. Scripturae huc pertinentia indicavimus, ubi agebatur de officiis charitatis ore praestandis. Quum vero bona fama pretiosissimis atque utilissimis hominum rebus sit accensenda, sponte sequitur, haud infimum esse hoc justitiae officium, ut bonam aliorum existimationem et verbis et factis conservare studeamus et augere.

Ceterum cum justitiae fundamentum sit amor, ex hoc ipso, qualis illa esse debeat, facile apparet. Quamvis nempe amor nobis praescribat, ut et neminem laedendo, et suum cuique tribuendo, ne latum quidem unguem a juris normâ recedamus, idem tamen amor nequaquam postulat, ut jus nostrum in omnibus persequamur, et quidquid nobis jure competat, ab aliis nobis exposcamus.

Ethica Christiana e contrario nos jubet, ut libenter subinde de jure nostro remittamus aliquid, quae virtus, aequitas, ἐπιείκεια dicitur, Tit. III. 2. 1 Pet. II. 18. 1 Tim. III. 3. et huc quoque pertinere videtur regula universalis Matth. VII. 12. quare et Jesus et Apostoli potius injuriam esse patiendam, quam in causâ suâ vindicandâ omne, quod strictum jus permittat, persequendum esse monuerunt, Matth. V. 25—27. 39—48. XVIII. 21—35. 1 Cor. VI. 7. Jac. III. 14, 17. Haec vero aequitas est media quasi inter officia, quae justitia a nobis postulat, et officia, quae pertinent ad benevolentiam, vel bonitatem, vel humanitatem, vel amorem strictiori sensu sic dictum, ad quae nunc progredimur.

II. Altera igitur officiorum classis referri potest ad *benevolentiam*. Benevolentia, quae in S. N. T. libris saepius dicitur ἀγάπη, cujus synonyma sunt χρηστότης, ἀγαθω-

θωσύνη, Gal. V. 22. Eph. V. 9. Col. III. 12. et alibi, est illa animi adfectio, qua ex aliorum felicitate voluptatem percipimus, atque ad aliorum commoda promovenda sumus parati. Hujus officii latissime patet usus, et ad praeceptum de amandis hominibus observandum semper requiritur animus benevolus. Ne quid repetam eorum, quae ante de amoris erga alios indole, de animi sensibus, quibus alios amare oportet, deque amoris officiis, tum ore, tum ipsa re, erga alios praestandis, dicta sunt, et quae pro magnâ parte ad benevolentiam possunt referri, hic tantum observamus, benevolentiam strictius dictam cerni

1. In benignâ erga alios voluntate, qua eorum salus nobis curae cordique est, ita ut de prosperâ eorum fortunâ laetemur, de adversâ dolore tangamur, Rom. XII. 15. Hebr. XIII. 3. conf. X. 34. 1 Petr. III. 8.

2. Huc pertinet studium, omnes facultates viresque nostras in commune bonum adhibendi, 1 Pet. IV. 10, 11. Rom. XII. 6, 11. ita ut non nostra tantum, sed aliorum quoque commoda spectemus, Phil. II. 4—11. 1 Cor. X. 24—33.

3. Huc referimus pacis atque concordiae studium, cujus in hominum societate summa est necessitas, et quod magnam habet vim ad aliorum amorem nobis conciliandum. Sacri Scriptores saepissime monent, curandum esse, ne nostrâ culpâ oriatur discordia, atque operam dandam esse, ut concordia alatur et, si opus sit, reparetur, Matth. V. 5, 9. 23—26. 1 Pet. III. 8. Eph. IV. 3. 2 Cor. XIII. 11. Rom. XII. 16, 18. XIII. 13. Hebr. XII. 14. 1 Cor. XIII. 5. Jac. III. 14—17. IV. 1. Paratos igitur nos esse oportet ad injuriam ab altero nobis illatam condonandam, et absque ullâ vindictae cupidine mites, lenes, mansuetos, et magnanimos in eos, qui nos offenderint, Matth. VI. 12, 14, 15. XVIII. 21—35. 1 Cor. XIII. 4—7. Eph. IV. 32. Col. III. 12, 13.

4. Ex benevolentiâ sponte profluit beneficentia, qua liberales sumus in eos, qui opis indigeant, iisque facultatibus nostris opitulamur. De hac virtute, necessario nexu amori in alios junctâ, sic scripsit *Cicero de Officiis* L. I. c. 14: „Beneficentiâ ac liberalitate nihil est naturae hominis accommodatius," eamque Jesus et Apostoli saepissime commendant. Qui hanc virtutem exercent, dicuntur ἀγαθὸν ἐργάζεσθαι, Act. IX. 36. 1 Tim. V. 10. VI. 18. Tit. III. 8, 14. 2 Cor. IX. 8. καλὸν ποιεῖν, Gal. VI. 9. ἀγαθοεργεῖν, Gal. VI. 10. ἀγαθοποιεῖν, Luc. VI. 35. εὐποιεῖν, Hebr. XIII. 16. εὐεργετεῖν, Act. X. 38. et nulla fere est virtus, quae tot tantisque laudibus in S. Codice celebretur, ita ut ipsius Dei, Patris coelestis, imaginem referre dicantur homines, qui beneficiis in alios conferendis dent operam, Matth. V. 44 sqq. Eph. V. 1, 2. Qui charitatis universae, idem hujus virtutis est ambitus, ita ut beneficos nos praestare oporteat in omnes, praesertim vero erga eos, qui opis nostrae maxime indigent, quales sunt

pau-

pauperes, quos opibus et bonis nostris sustentare oportet, Jo. XII. 8. Matth. XXV. 35—40. XXVI. 11. VI. 1—4. Luc. XI. 41. VI. 30. Rom. XII. 8, 13, 20. 2 Cor. IX. 6, 7. VIII. 12, 14. 1 Cor. VI. 2. Gal. VI. 8—10. 1 Tim. VI. 17, 18. 1 Jo. III. 17. orphani et viduae, aegroti et infelices, quibus succurrendum, Matth. XXV. 35—40. Jac. I. 27. Matth. IX. 13. XXIII. 23. 1 Pet. III. 8. Beneficentiam vero amoris esse sequelam et fructum, et ipsa hujus virtutis indoles manifestum reddit, et e doctrinâ Jesu atque Apostolorum, de egenis et miseris, qualescunque tandem sint, et cujuscunque Religionis, sublevandis et adjuvandis, palam est, Luc. VI. 30. Matth. V. 42. Gal. VI. 9. 1 Jo. III. 18. Hoc officium erga omnes sine discrimine praestandum esse, apparet ex eo, quod Jesus in exemplum amoris proposuerit beneficentiam Samaritae in parabolâ Luc. X. 30—37.

Cum igitur in optimi Servatoris praecepto: ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, omnia et singula officia, quae naturae nostrae sociis debemus, contineantur, sponte patet, ex hoc quoque fonte promanare ea officia, quae in Societate, vel domesticâ, vel civili, vel ecclesiasticâ nobis observanda injungit Ethica Christiana, cum et primum amoris sit officium, ut nihil humani a nobis alienum ducamus, sed omnium commodis quovis modo inserviamus, quare hisce officiis enumerandis non morabimur.

Coronidis loco mihi hic apponere liceat haud inelegantem loci Paulini, de verae charitatis attributis 1 Cor. XIII. 4 sqq. versionem poëticam, quae exstat in *Jo. Forbesii a Corse, Theol. Morali*, L. I. c. XIII.

„ Multa diu tolerat dilectio, et usque benigna est,
„ Expers invidiae est, et nil molitur inepte,
„ Non fastu turget, non illi mos inhonestus,
„ Quae sua non quaerit, non est proclivis ad iram,
„ Non illi mala mens, nec eam delectat iniquum.
„ Vero congaudet, fert omnia, et omnia credit,
„ Sperat cuncta, pati vult cuncta, haud excidit unquam;
„ Magna fides, spes magna, ast his dilectio major."

§. 5.

Amoris erga nosmet ipsos cum officiis, quae nobis debemus, nexus.

Hactenus exponere conatus sum, qua ratione amor erga Deum, omnia comprehendat Naturae divinae debita officia, et quomodo amor erga naturae nostrae socios omnia illa,

la, quae homini homo debet, ambitu suo complectatur. Nunc mihi nonnulla videntur addenda de amore erga nosmet ipsos, et officiis hinc promanantibus.

Est quidem, et esse debet, amor, quo quisque in semet ipsum fertur, amoris erga alios exemplar ac norma, adeoque de officiis erga nosmet ipsos prius constare debet, quo rectius intelligatur, quid naturae nostrae sociis sit praestandum; quamobrem et in plerisque Ethicae Christianae institutionibus officia erga alios postponuntur officiis erga nosmet ipsos; in hac tamen ad quaestionem de loco Matth. XXII. 37—40. responsione equidem de amore, tum erga Deum, tum erga alios, ejusque cum Ethicâ Christianâ nexu primum exponendum censui, quoniam in gravissimo, quod optimus Servator, Mosem secutus, dedit, praecepto, officia moralia ad duas classes principes, nempe amorem erga Deum, et amorem erga omnes naturae nostrae socios, referuntur, et Matth. XXII. 40. aperte de ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς sermo est. At vel sic tamen mihi de hoc optimi Jesu effato disserenti non omittenda videbatur brevis expositio nexus amoris erga nosmet ipsos cum officiis, quae Ethica Christiana observare jubet.

Sunt quidem viri docti, qui statuant, Christum amorem erga nos ipsos non praecepisse, utpote qui sit instinctus naturae humanae, qui igitur tanquam talis ad doctrinam moralem non pertineat, sed docuisse simpliciter, amorem hunc amore erga Deum et naturae nostrae socios esse gubernandum. Vid. v. gr. Cl. *Muntinghe Geschied. der Menschh. naar den Bijbel* Vol. VI. not. 105. pag. 58 sq. et in *Historia Relig. et Eccles. Christianae* pag. 15 sq. adeoque videri possit superfluum, hoc loco de amore erga nosmet ipsos, ejusque cum reliquis nostris officiis nexu exponere. At vero cum in praecepto de amandis aliis amor erga nosmet ipsos tanquam exemplum memoretur, ac norma amoris, quo alios prosequi nos oporteat, et diserta sint S. Scripturae effata de officiis erga nos ipsos observandis, nullum esse potest dubium, quin Jesus hanc philautiam, cuivis naturâ insitam, non solum probaverit, sed et pro officio habuerit a nemine mortalium negligendo.

Nexus praeterea, qui huic officio, cum officiis Deo hominibusque debitis intercedit, is est, ut illo neglecto hisce bene fungi nullo modo possimus, horum vero observatione et illi satisfiat.

Non opus esse videtur, ut hic ante dicta de *Crugotti*, *Hutchesoni*, *Humii*, amorem erga alios pro summo Ethices praecepto habentium, omnemque adeo philautiam inprobantium, sententiâ, nullâ S. Scripturae, ut supra ostendimus, auctoritate munitâ, repetamus; vel haereamus in eorum refutandâ opinione, qui statuunt, nos non posse a nobis ipsis obligari; ad quam difficultatem tollendam *Kantius* in *Tugendlehre* s. 65, ho-

minem distinxit in *νοούμενον*, rationalem, qui praecipiat, et *φαινόμενον*, sensualem, qui obtemperet; tenendum enim, nos non a nobis obligari ad haec officia praestanda, sed a Deo, nostro conditore et summo legislatore, cujus praecepta homini Christiano non licet pro lubitu negligere. Etiamsi praeterea philautia omnibus naturâ sit insita, et *Cicero* monuerit, amorem erga nosmet ipsos non scriptam, sed natam legem esse, quam non aliunde didicerimus, sed ex naturâ hauserimus, attamen non ausim statuere, nos praecepto, quo nosmet ipsos amare et saluti nostrae prospicere jubeamur, carere posse. Experientia enim et S. Scriptura satis nos edocent, ita depravatam esse naturam nostram, ut ratio non semper voluntati imperare possit, tantamque esse affectuum vim, ut sensuum oblectamentis vix semper resistere possimus; quare nemo jure dixerit, supervacanea esse praecepta, quae insitum felicitatis studium regant atque gubernent.

Officiorum erga nosmet ipsos observandorum eadem ac eorum, quae Deo hominibusque debentur, est ratio, ut in uno amoris praecepto resolvantur, quoniam ejus vel sunt indicia, vel effectus. Hunc igitur philautiae cum reliquis officiis nexum breviter ostendam. Omnium erga nosmet ipsos officiornm summam Paulus Tit. II. 12. (de quo loco supra egimus,) temperantiae notione complexus est, et cum temperantia, tum ad mentem, tum ad corpus spectet, et sit studium in usu eorum, quae ad nos perficiendos faciant, delectum et modum servandi, fons omnium officiorum quae nobismet ipsi debemus, dici potest, conf. Cl. *S. J. van de Wynpersse Inst. Philos. Mor.* § 293.

Cum vero amor erga nosmet ipsos felicitatis perfectionisque nostrae sit studium, complectitur et eos animi sensus, et actiones illas, quibus et perfectiores et feliciores evadere possimus.

A. Quod ad *animi sensus*, qui in amore erga nosmet ipsos adesse debent.

1. Huc requiritur *nostri cognitio*, quam saepe commendarunt Jesus et Apostoli, Matth. VII. 3, 5. Luc. IX. 55. XVIII. 11, 13. 2 Cor. XIII. 5. Phil. III. 12. Jac. I. 23—25. cujus maxime ad felicitatem perfectionemque promovendam est necessitas, nemo enim ad eam pervenire poterit, nisi qui bene perspectum sibi habeat, quaenam ad eam consequendam requirantur mentis facultates, vires, atque dotes, Matth. XXV. 14—30. Rom. XII. 4—8, quaenam sit imbecillitas naturae nostrae et corruptio, Rom. VIII. 7—25. 1 Cor. XV. 9, 10. 2 Cor. XII. 9. Phil. III. 12, quaenam denique sint beneficia a Deo inprimis per merita Jesu Christi in nos collata, et quis sit verae salutis consequendae modus, 1 Jo. III. 1—3. Rom. VIII. 14, 15. XII. 3. 1 Cor. III. 16. VI. 19. Hebr. II. 11.

2. Ex verâ hac, et ad normam religionis Christianae compositâ, nostri cognitione ad philautiam recte gubernandam necessariâ, duae profluunt palmariae virtutes, *reverentia*

sui

sui et *modestia*, quarum altera alteri recte constituendae egregie inservit, et quae utraque amori erga nosmet ipsos arctissime est juncta. *Reverentia sui*, sive justa naturae humanae aestimatio, quam Ethica Christiana postulat, Matth. X. 31. XVIII. 10, 11. Rom. VIII. 14, 15. 1 Cor. V. 16. VI. 15—19. 2 Cor. VI. 14, 18. Hebr. II. 11, 16. Jac. III. 9. unumquemque incitare debet ad perfectionem moralem, perpetuo virtutis studio, Rom. VIII. 17. 1 Cor. III. 16. VI. 15, 19, 20. 2 Cor. V. 1—10. Ephes. V. 25—30. Phil. III. 20, 21. officiisque bene fungendis, Act. V. 29. 1 Cor. VI. 1—10. promovendam, res adversas forti animo perferendas, Matth. X. 31. collato exemplo Pauli, 1 Cor. IV. 4. 2 Tim. IV. 7, 8. et omnibus facultatibus, et viribus sibi concessis ad suum aliorumque commodum pie utendum, Rom. XII. 3 sqq.

Dein ad *modestiam*, sive moderatam de nobismet ipsis opinionem in nobis excitandam et alendam, ne supra modum nos efferamus, neque arrogantiae, quam atro Ethica Christiana notat carbone, 2 Cor. X. 12—16. Gal. VI. 3. Luc. XVI. 15. superbiaeque, Luc. XVIII. 11, 12. 1 Cor. XIII. 4. Gal. V. 26. indulgeamus, facit cognitio naturae nostrae depravatae, ita ut sentiamus et agnoscamus, quantum nobis desit, sive intellectum nostrum spectemus 1 Cor. XIII. 9—12. Rom. XI. 33—36. sive voluntatem, Rom. VII. 14—25. Phil. III. 2—17. Jac. III. 2. ut gratuitae Dei benevolentiae omnia referamus accepta 1 Cor. IV. 6—8. Jac. I. 17. et summam Dei O. M. perfectionem reverenter suspiciamus, Rom. IX. 20, 21. XI. 33—36. probe gnari, vitam et omnes res nostras esse fragiles et caducas, incertas et brevi tantum duraturas, Jac. I. 9—12. IV. 13—16. 1 Tim. VI. 17—19. Haec vero modestia saepius in N. F. commendata, Matth. XVIII. 4. XXII. 12. 1 Pet. V. 5, 6. Rom. XII. 3—16. Phil. II. 3. et in qua suo praeiverunt Jesus et Apostoli exemplo, ad defectus nostros emendandos, et ad studium amissae per peccatum imaginis divinae magis magisque restituendae, continuo nos incitabit.

In amore igitur erga nosmet ipsos adesse debet nostri cognitio, et modesta aestimatio: hi vero animi sensus, si in nobis insint, non possunt non comites habere ejusmodi actiones, quibus nosmet ipsos et perfectiores et feliciores reddere studeamus.

B. In perfectione et felicitate nostrâ *actu* procurandâ et animi, et corporis, et conditionis externae habenda est ratio, idque agendum, ut non solum in vitâ praesenti, sed in statu quoque post mortem futuro, nobis bene sit.

1. Cum animus praestantior sit hominis pars, de ejus perfectione maxime nos oportet esse sollicitos. In *curâ animi* primum requiritur, ut intellectus emendetur, et veritatis, 1 Thess. V. 21, rerum ad causam religionis pertinentium, Eph. I. 17, 18. III. 18, 19. IV. 15. Jac. I. 19, 21. 2 Pet. III. 18. voluntatis divinae, atque officiorum a nobis prae-

 stan-

standorum, cognitione augeatur, Rom. XII. 2. Phil. IV. 8. Eph. V. 15, 17. et hac ejus luce diligenter utamur, Matth. VI. 22, 28. dein vero, ut haec intellectus emendatio in voluntate quoque sit conspicua Jac. III. 13—17. Mens debet excoli virtutis studio, Matth. V. 6, 20. 1 Thess. IV. 3. Tit. III. 8. Hebr. XII. 14. XIII. 21. 1 Pet. I. 15, 16. III. 11. 2 Pet. I. 5. vindicandâ verâ ejus libertate Jo. VIII. 31, 32. 1 Cor. VI. 12. sectandâ ejus integritate, Matth. V. 8. 1 Jo. III. 8. servandâ recti conscientiâ Rom. XIII. 5. 1 Cor. VIII. 7, 9, 13. 1 Tim. I. 19. 1 Jo. III. 19, 20. officiis bene fungendo Matth. VII. 13. cohibendis affectibus pravis Matth. V. 22, 28. Gal. V. 16, 24. Col. III. 5. Rom. VII. 7 sqq. VIII. 5, 6, 12, 13. Jac. I. 19. III. 2, 6. 1 Pet. II. 11. III. 11. ac universâ indole emendandâ Matth. III. 7, 8. Marc. I. 15. Luc. XIII. 3—5. XXII. 32. Act. II. 38. Horum vero officiorum observatione nos non tantum nobis prospicere, sed et Deum colere, aliorumque salutem promovere, quis est qui neget?

2. Arctissimum est, quod inter animum et corpus intercedit, commercium, nec minor adeo *cura* gerenda est *corporis*, ad quam ipsa natura nos ducit, et quam S. Scriptores saepius commendant, 1 Cor. VI. 15, 19, 20. IX. 25—27. 2 Cor. VII. 1. Col. II. 23. Rom. XII. 1. XIII. 14. Et primo quidem cura habenda est vitae, cui conservandae omni modo studendum. Hac vero pro lubitu et temere abjiciendâ, non solum felicitati nostrae multum detrahimus, cum sic non omnia, quae agenda fuissent, absolvantur, Gal. VI. 8—10. Hebr. XII. 4—11. 1 Cor. IX. 24—27. 2 Cor. V. 1—10. 2 Tim. I. 12. IV. 7 sqq., sed et gravissime contra Deum peccamus vitae nostrae auctorem, cujus jura nobis arrogare, Rom. XIV. 7—9. cujusque donum praestantissimum spernere nobis non licet, Matth. VI. 25—27. X. 29, 30. quo, dum concessum nobis sit, ad nostrum aliorumque commodum pie utendum, qua in re suo nobis exemplo praeivit Paulus, 2 Cor. V. 2—9. Phil. I. 20—23. Contra vitam iis rebus, quae ad valetudinem conservandam faciant, sustentandam esse, diserta est S. Scripturae doctrina, Eph. V. 29. 1 Cor. VI. 13—15. Rom. XIII. 14. Matth. X. 9—10. 1 Cor. IX. 19—22. 1 Tim. II. 9, 10. 1 Pet. III. 3, 4. Jac. II. 1—4. et conf. 1 Tim. V. 23. Matth. IV. 7. IX. 12. quare non opus est multis demonstrare, eos graviter peccare, qui vel, nullâ necessitate jubente, pericula subeant, vel etiam voluntariâ mutilatione, intemperantiâ, libidine aliisque hujus generis vitiis, quae Ethica Christiana condemnat, valetudinem negligant, turbent, et diruant; eos contra recte agere, qui temperantiae et sobrietati, castitati, prudenti recreationum usui, animo suâ sorte contento, aliisque virtutibus operam dantes, ea observent, quae ad valetudinem conservandam et ad vitam sine molestia agendam utilia sunt et necessaria.

3. Ad felicitatem perfectionemque nostram promovendam faciunt quoque *bona externa*,

na, quae internis augendis et conservandis inserviunt, quare et ad haec minime negligenda nos impellit amor erga nos ipsos. Ad haec bona pertinet res familiaris, cujus curam nobis habendam esse, ejusmodi docent S. Scripturae loca, quibus monemur, honestâ ratione victum nobis comparare, Eph. IV. 28. 1 Thess. IV. 11. 2 Thess. III. 6—12. et qua in re suum Paulus ad imitationem proposuit exemplum, 1 Cor. IV. 12. 2 Cor. XI. 9. XII. 13. 1 Thess. II. 9. 2 Thess. III. 7, 8. modicusque in vestitu ornatus Christianis permittitur, 1 Tim. II. 9, 10. 1 Pet. III. 3, 4. Divitias autem a Christianis contemni debere, neque e praeceptis Jesu solos Apostolos spectantibus, neque primorum Christianorum exemplo potest probari, contra ex eo, quod divitum, aeque ac pauperum, officia peculiaria memorantur, 1 Tim. VI. 9, 10. Jac. I. 9—11. ac inter ipsos Jesu amicos et mulieres eum de suis sustentantes enumerantur, et praeterea quod bonorum possessione ad officia erga alios, pauperes inprimis, praestanda indigemus, eaque nobis multa praebent vitae oblectamenta, quibus tanquam Dei beneficiis nobis uti licet, Act. XIV. 7. ipse nobis suo exemplo praeeunte Jesu, Jo. II. 1—10. Luc. V. 29. VIII. coll. Matth. X. 19. quorumque contemtores reprehendit Paulus, 1 Tim. IV. 3, 4. Col. II. 22, 23; sequitur, omnino opus esse, ut ea, quae vitae necessitatibus et commoditatibus inserviant, nobis paremus, opesque nostras, sive mediocres sint, sive lautiores, conservemus, augeamus, et bene inpendamus. Nos vero in iis acquirendis nunquam justitiae officia laedere, neque in earum possessione, quanquam parcimonia commendetur, caritatis officia negligere debere, ex amore erga alios, rationalis in nosmet ipsos amoris perpetuo comite, satis apparet. Oblectamenta quoque aliis non incommoda, 1 Cor. VIII. XII. 14—22. et modica, Luc. X. 41, 42. 1 Cor. VII. 29—31. Tit. II. 12. eademque utilia magis quam jucunda, 1 Cor. X. 23. a pravâ voluptate longe remota, Rom. XIII. 14. Eph. V. 18. Gal. V. 16—21, 24. Phil. III. 18, 19. et ad honorem Dei et Jesu Christi composita, 1 Cor. X. 31. Col. III. 17. esse debent, si verae nostrae felicitati perfectionique morali sint inservitura.

Honoris quoque studium, sive diligentiorem curam bonae nostrae existimationis, et meritae laudis amorem, cujus diserta Jesu Apostolorumque nobis adsunt exempla, Jo. V. 34, 36—47. VII. 18—29. VIII. 14 sqq. X. XVIII. 23—37. Matth. XII. 25, 30. Luc. XI. 17—26. Act. XVI. 35—40. XXV. 11. 1 Cor. IX. 15. 2 Cor. XI. 10, 12. arctissime eum vero in nos amore esse junctum, facile perspiciet, qui attendat, honorem esse plurimarum et praestantissimarum virtutum comitem, et egregium ad praeclara facta incitamentum; etenim, ut *Cicero Tusc. Quaest.* L. III. c. 2. inquit, „ gloria solida quaedam res est, et expressa, non adumbrata, ea est consentiens laus bonorum, „ incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute, ea virtuti resonat, tanquam

„ imago." *Socrates*, ut apud *Ciceronem de Officiis* L. II. c. 12. legimus, „ hanc viam „ ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qua„ lis haberi vellet, talis esset."

Fugienda igitur est ambitio, sive vanae gloriae cupido, neque gloriam captare licet e stirpe, muneribus, divitiis, aliisve rebus inanibus, Phil. II. 8. Gal. V. 26. Rom. II. 29. XII. 3; contra laus quaerenda est e recte factis et verae virtutis studio, Matth. V. 16. coll. 10—12. XVIII. 1—4. XX. 25—28. Phil. IV. 8. Neque tamen laudis tantum causâ pietatem exercere oportet, quae vana olim fuit Pharisaeorum ambitio, Matth. VI. 2. sed ultimus actionum nostrarum finis esse debet gloria Dei, cui et omnia bona accepta sunt referenda, 1 Cor. IV. 7. sic ipsi quoque maxima tribuenda est laus ob dona, quae ab ipso accepimus, Jo. V. 41—44. VIII. 54.

4. Denique quamvis religionis ac virtutis studium jam in hac vitâ multum ad hominis perfectionem atque felicitatem conferat, ad perfectam tamen virtutem, et felicitatem consummatam, in vitâ demum post mortem futurâ homo pervenire poterit, itaque in eo maxime nobis est elaborandum, ut certam melioris vitae in coelo futurae spem habeamus, et ad eam consequendam nulli labori, nullis rebus terrestribus, ne ipsi quidem, si opus sit, vitae nostrae parcamus, Matth. V. 29, 30. VI. 19, 20. XVI. 26. Luc. XII. 23. Jo. VI. 27. 2 Cor. IV. 18. 1 Tim. VI. 19. Et cum nihil certius morte, tempus autem mortis nobis sit incognitum, saepius de illâ cogitandum, et tota vita sic est componenda, ut sit praeparatio ad alteram in patriâ coelesti olim exspectandam Col. III. 1, 2. Phil. III. 20. 1 Jo. 15—17. ex quo posteriori loco apparet, nos voluntati Dei obtemperando verae demum saluti nostrae consulere.

§. 6.

Optimi Servatoris praeceptum omnium, quae Ethica Christiana postulat, officiorum summa.

Quae hactenus in medium sunt prolata de optimi Servatoris praecepto, omnia, quae Deo, naturae nostrae sociis, et nobismet ipsis debemus, officia continente, ejusmodi esse videntur, ut quis ejus cum universâ Ethicâ Christianâ sit nexus, satis sit manifestum. Quaesitum vero est, num illud amoris praeceptum dici possit, et recte dicatur, Christianae Ethices principium?

Non varias hic memoro Philosophorum atque Theologorum sententias de quaestione: num sit unum morum principium, et quale sit, vel esse debeat illud? cujus rei indagatio ad philosophiam moralem potius, quam ad Jesu et Apostolorum de moribus doctri-

trinam pertinet, quamobrem et in quaestione, in quâ solvendâ vires meas periclitatus sum, de nexu cum universâ Ethicâ Christianâ, non de ejus principio, sermo esse videtur.

Multi tamen id egerunt, ut e S. Scripturâ principium aliquod Ethices Christianae elicerent, et diversâ admodum ratione hac de re sententiam dixerunt. Vidd. *Plank*, *Einleitung in die Theol. Wissensch.* Th. II. pag. 547 sq. *Reinhard* l. c. Th. II. s. 5 sqq. et scriptores ibi laudati.

Quod si quaeratur de omnium primo et summo morum principio, sensu philosophico, observandum est, Jesu Apostolorumque non hoc fuisse consilium, ut morum disciplinam ad artis regulas accurate describerent, ac eruditum religionis doctrinae systema conderent, sed id potius egisse eos, ut populi essent doctores perspicuâ omniumque ad captum accommodatâ ratione religionem tradentes, officiaque ab hominibus praestanda commendantes. Conf. *A. W. P. Möller* in *Diss. Hag.* A. 1803. § 39. pag. 213 sqq. Cl. *Clarisse* l. c. pag. 120 sqq. qui iidem viri clarissimi docuerunt, quam longe praestet Jesu et Apostolorum de moribus doctrina omnibus iis, quae, vel *Socrates*, vel *Plato*, vel *Aristoteles*, vel *Cicero*, aliique philosophi veteres docuerint. Conf. et vener. *L. Valk* in *Diss. Hag.* A. 1812. pag. 106 sqq. Frustra igitur in tali disciplina quaeritur aliquod principium omnium primum subtile ac philosophicum, neque praeceptum amoris tale esse, monuit Cl. *S. J. van de Wynpersse* l. c. § 189.

Si vero quaeratur de principio aliquo populari, ex quo reliqua officia facile possint deduci, nullum certe poterit inveniri, quod magis universae religionis indoli conveniat, ab omnibus melius possit intelligi, majoremque ad praxim habeat vim, quam illud de amore erga Deum hominesque praeceptum, nostro loco traditum.

Quaecunque pertinent ad Religionem, sive subjective intelligantur pii animi sensus erga Deum, atque universa agendi ratio ad voluntatem Dei composita, sive objective intelligatur doctrina de Deo et rebus divinis, cujus cognitione opus est ad obedientiam Deo praestandam, haec omnia ad unum hoc de amando Deo, amandisque hominibus praeceptum possunt referri; complectitur illud summam officiorum ab omnibus omni tempore praestandorum, complectitur obligationem, quam communem habent omnes homines, est lex sempiterna et immutabilis, cui qui non parebit, ipse se fugiet, et naturam suam aspernabitur.

Quae tandem sit opinionum varietas hominumque dissensio, hoc optimi Servatoris praeceptum, naturae humanae plane accommodatum, ab omnibus intelligi, et omni suo ambitu percipi potest. Quis enim est, qui nesciat et cui non a naturâ quasi insitum

sit,

sit, se totum quantum a Deo pendere, omniaque ei debere, cujus igitur voluntati sibi prae reliquis omnibus obsequendum sit?

Hoc praeceptum praeterea non solum officia a nobis praestanda exponit, sed etiam rectam eorum observandorum rationem diserte tradit, estque igitur materiale simul et formale.

Brevissimum insuper est hoc praeceptum, et simul satis perspicuum; quaevis officia quibusvis in casibus ab omnibus praestanda tam necessario jungit vinculo, ut sibi invicem non obstent, sed in unum quasi centrum concurrant; officiorum omnium nexum tam dilucide exponit, ut qui ad hoc praeceptum animum et vitam componere studeat, facile careat multis illis et obscuris saepius Philosophorum de officiorum pugnâ regulis. Conf. Cl. *Clarisse* l. c. pag. 51.

Nullum denique morum principium majorem vim ad virtutis praxim potest habere, hoc Ethices Christianae praecepto. Quid enim est, quod magis homines ad voluntariam ac alacrem officiorum functionem allicere valeat, quam praeclara ejusmodi actionum nostrarum norma, quae et nostrae ad Deum O. M. relationi respondeat, et naturae nostrae accommodata, quae ad communem hominum utilitatem pariter ac ad singulorum salutem tam egregie sit composita, et cujus observatione nostrae saluti, et per omnem hanc vitam, et post mortem quoque duraturae, optime prospiciamus.

Itaque rationem concludere liceat, arctissimum esse officii ab optimo Servatore praescripti nexum cum universâ Ethicâ Christianâ et veram esse Pauli sententiam, quae hujus commentationis sit symbolum:

Πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη. Rom. XIII. 10.

PETRI JOHANNIS UYLENBROEK,

AMSTELODAMENSIS,

MATHESEOS, PHILOSOPHIAE NATURALIS, PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM CANDIDATI, ET IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM MATHEMATICAM, A NOBILISSIMO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM AC PHYSICARUM ORDINE A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Explicetur Methodus Interpolandi, et uno alterove exemplo illustretur.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM MATHEMATICAM.

Quaestio Mathematica, quam Nob. Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Ordo hoc ipso anno proposuit, postulans, ut *explicetur Methodus Interpolandi, et uno alterove exemplo illustretur*, tum propter rei gravitatem, tum propter utilitatem, quam ex ejusmodi quaestione tractanda mihi promittebam, ita mihi arrisit, ut consilium ceperim, in ea solvenda vires meas periclitandi. Quod consilium cum pro virili exsequerer, nata est scriptio, quam Cl. Ordinis judicio submitto. In ea autem dijudicanda, id sciant, velim, sibique persuasum habeant Viri Cl. tantum abesse, ut opusculum meum perfectum et consummatum habeam, ut e contra multum et plurimum ipsi deësse, ex animo profitear; quod, cum ex aliis causis, tum ex virium mearum imbecillitate est explicandum. Hoc igitur si teneant Viri Cl., non dubito, quin hanc meam scriptionem animo benigno sint lecturi, et vitia, quae multa fortasse in ea occurrunt, juveni et juvenili imperitiae condonaturi. Cujus benignitatis atque benevolentiae exspectatione confirmati jam ad ipsam quaestionem explicandam accedimus.

INTRODUCTIO.

Series dicitur continuus ordo quantitatum, secundum legem quandam a se invicem pendentium.

Leges, quibus quantitates obtemperare possunt, innumerae sunt. Hinc innumerae dantur serierum species. Inter varias autem leges, duae sunt ceteris simpliciores, et quidem ut vulgo dicuntur, ratio geometrica, et ratio arithmetica. Series igitur, cujus termini priorem illam legem seu rationem sequuntur, geometrica vocatur; cujus vero termini alteri legi obediunt, arithmetica.

Ex nota rationis geometricae et arithmeticae significatione, apparet, quid sit series geometrica, quid series arithmetica. Est nempe series geometrica illa, in qua quotiens, quod ex divisione duorum terminorum proxime subsequentium, ubicunque illi termini sumantur, oritur, semper est idem; dum in serie arithmetica differentia inter duos terminos proximos ubivis est constans.

Hinc dictae series his formulis exprimi possunt:

Geometrica:

$$Aq^{-(n-1)} \dots Aq^{-4},\ Aq^{-3},\ Aq^{-2},\ Aq^{-1},\ A,\ Aq,\ Aq^2,\ Aq^3,\ Aq^4 \dots Aq^{n-1} \quad (P)$$

Arithmetica:

$$A,\ A \pm d,\ A \pm 2d,\ A \pm 3d,\ A \pm 4d,\ A \pm 5d,\ A \pm 6d, \dots A \pm (n-1)d \quad (Q)$$

Classem autem serierum arithmeticarum constituunt non tantum illae series, quae terminorum suorum differentias constantes habent, sed etiam illae, in quibus differentiae differentiarum sive differentiae secundae constantes sunt; similiter illae, in quibus differentiae differentiarum secundarum, sive differentiae tertiae aequales sunt; uti et illae, in quibus differentiae quartae, quintae, etc., et in genere differentiae n^{tae} sunt constantes.

Omnes hae series cum arithmetica proprie sic dicta ad unam classem referuntur; nec injuria. Quemadmodum enim in illis differentiae secundae, tertiae, quartae, etc., n^{tae} sunt constantes, sic in hac differentiae primae constantes sunt. Conveniunt igitur inter se series memoratae hoc modo consideratae; at discriminis gratia, in ordines se-

rediguntur, et quidem ratione habitâ differentiarum constantium. Sic series, quarum secundae, tertiae, quartae, etc. n^{tae} differentiae sunt constantes, vocantur series arithmeticae secundi, tertii, quarti etc. n^{ti} ordinis; dum series, cui primae differentiae aequales sunt, eodem jure vocaretur series arithmetica primi ordinis, sed usus voluit ut haec simpliciter series arithmetica diceretur.

Series (P) et (Q) ita, ac fecimus, propositae, omnes terminos requisitos continent, sive quantumvis extendi possunt, ope extremorum terminorum generaliori modo expressorum. At vero, non semper series ita occurrunt. Fieri enim potest, ut seriei datae termini nonnulli intermedii desint, quorum valores quaerantur; vel, ut, serie quadam integra geometrica vel arithmetica proposita, quaestio sit de inserendis inter duos ejus terminos, aliis quibusdam terminis, eidem legi ac termini dati subjectis. Hoc problema unum idemque est ac illud, quo quaeritur, aliquot medios proportionales geometricos vel arithmeticos inter datos terminos invenire; ejusque solutio est uti notissima, ita perquam facilis.

Sint v. g. inter duos terminos A et Aq^5 seriei geometricae nonnulli termini v. c. n inserendi; sit ratio incognita et quaerenda inter duos terminos proximos inserendos x, tum nova series erit:

$$A,\ Ax,\ Ax^2,\ Ax^3,\ \text{etc.} \ldots\ldots\ldots Aq^5$$

Terminus insertus n^{tus} erit hujus seriei $(n+1)^{tus}$, quoniam primus terminus datae seriei A additus est. At vero terminus n^{tus} seriei est $= Ax^{n-1}$ (vid. formula (P)); hinc Ax^n erit terminus $(n+1)^{tus}$, et Ax^{n+1} erit terminus proxime sequens, i. e. Aq^5. Itaque habemus aequationem

$$Ax^{n+1} = Aq^5$$
$$x^{n+1} = q^5$$
$$x = \sqrt[n+1]{q^5}$$

Si v. g. 4 termini sunt inserendi, i. e. si $n=4$, erit $x = \sqrt[5]{q^5} = q$, et nova series erit:

$$A,\ Aq,\ Aq^2,\ Aq^3,\ Aq^4,\ Aq.$$

Si $n=5$, foret $x = \sqrt[6]{q^5}$, et nova series:

$$A,\ A\sqrt[6]{q^5},\ A\sqrt[6]{q^{10}},\ A\sqrt[6]{q^{15}},\ A\sqrt[6]{q^{20}},\ A\sqrt[6]{q^{25}},\ A\sqrt[6]{q^{30}}.$$

quae series, aeque ac prior, est geometrica.

Similiter res procedit pro serie arithmetica. Sint v. g. inter duos terminos A, $A+5d$ seriei arithmeticae n termini inserendi. Sit differentia incognita et invenienda duorum terminorum inserendorum x, tum nova series erit:

$$A,\ A+x,\ A+2x,\ A+3x \text{ etc. } \ldots\ldots A+5d.$$

$A+(n-1)x$ erit terminus n^{tus} seriei (vid. formula (Q)); hinc $A+nx$ erit terminus $(n+1)^{tus}$, et $A+(n+1)x$ erit terminus proxime sequens, i. e. $=A+5d$. Itaque habebimus aequationem

$$A+(n+1)x=A+5d$$
$$(n+1)x=5d$$
$$x=\frac{5d}{n+1}$$

Si v. g. 4 termini sunt inserendi, i. e. si $n=4$, erit $x=\frac{5d}{5}=d$. Hinc nova series erit:

$$A,\ A+d,\ A+2d,\ A+3d,\ A+4d,\ A+5d.$$

Si $n=5$, erit $x=\frac{5d}{6}$; hinc nova series:

$$A,\ A+\frac{5}{6}d,\ A+\frac{10}{6}d,\ A+\frac{15}{6}d,\ A+\frac{20}{6}d,\ A+\frac{25}{6}d,\ A+\frac{30}{6}d.$$

Quaestio autem de inserendis terminis non restringitur ad series geometricas, et arithmeticas proprie sic dictas, sed sese extendit etiam universe ad series arithmeticas secundi et altioris ordinis. Hoc vero in casu dicta insertio peculiari et proprio nomine vocatur *interpolatio*. Est igitur interpolatio, *terminorum quotlibet insertio inter duos terminos proximos seriei Arithmeticae secundi altiorisve ordinis, ita ut nova, quae inde oritur series, ejusdem ordinis sit ac series proposita.* Quaeritur itaque quomodo istiusmodi insertio sit instituenda, sive quaenam sit methodus interpolandi. Hujus quaestionis varias solutiones, ab aliis alio modo propositas, hac scriptione exhibebimus, easque nostro qualicunque studio et labore exponemus, inter se comparabimus et exemplis illustrabimus; eo imprimis consilio ut appareat solutiones, etsi diversissimae videantur, arctissimo tamen nexu secum invicem esse conjunctas, atque praeterea interpolationem in universis disciplinis Mathematicis, Astronomicis et Physicis maxima afferre commoda. Idcirco in *primo* hujus opusculi capite Theoriam Interpolationis

nis trademus, ita quidem ut variae interpolandi methodi singulis paragraphis exponantur, in eadem autem paragrapho eae conjungantur, quibus maxima necessitudo intercedere videatur; dum in capite *altero*, Theoriam aptis exemplis illustrare conabimur, quibus tum singularum formularum in cap. primo inventarum applicatio, ut vocatur, tum universe Interpolationis usus evidens fiat et manifestus.

CAPUT PRIMUM.

THEORIA INTERPOLATIONIS.

§. I.

Exponitur Interpolandi Methodus generalis a Regnaud inventa; ejusdemque Algebraica demonstratio a Cel. La Lande proposita.

Gabrielus Mouton primus methodum aliquam interpolandi exhibuit (1). Ejus vero praecepta (non enim dedit nisi praecepta) non ulterius progrediuntur, quam ad interpolandas series quarti ordinis. Cum enim series altioris quam quarti ordinis interpolare vellet, spes eum fefellit. Consilium igitur suum communicavit cum amico Francisco Regnaud, *qui non diu cunctatus propositionis solutionem aggressus est, et, quod suscepit, accurate implevit* (2). Haec solutio a Regnaud inventa, est generalis, et quidem ea,

(1) Sunt abhinc 150 anni, ex quo primum de interpolatione aliquid fuit divulgatum. Nam etsi jam ante hoc tempus nonnullis Mathematicis et Astronomis interpolatio cognita et in usum conversa fuerit, non tamen ante annum 1670 interpolandi methodus dedita opera fuit exposita et exemplis illustrata. Hoc autem praestitit Gabrielus Mouton, qui in construenda tabula declinationum solis occupatus, novas quasdam numerorum proprietates invenit, quarum ope tum illae, tum aliae tabulae facilius et brevius quam saepius repetita computatione construi possent. Novas has numerorum proprietates explicavit, methodumque ejusmodi tabulas faciliori modo construendi quatuor problematibus docuit; eaque omnia, cum multis aliis, tum hanc, tum alias, praesertim Astronomici argumenti doctrinas spectantibus, dicto anno publici juris fecit Lugduni, in libro, cui titulus: *Observationes diametrorum solis et lunae apparentium*, etc.

(2) Ipsa sunt verba Moutoni l. l. Lib. III. Cap. 3. Probl. 4.

ta, quae praeceptis interpolandi a Moutono propositis longe praestat. Hinc compendii causa generaliorem tantum problematis solutionem hic explicabimus.

Ut generalem interpolandi methodum inveniret Regnaud, sequenti modo ratiocinatus est. Seriei datae cujusvis ordinis, quinti v. g., i. e. cujus differentiae quintae sunt aequales vel constantes, si termini quidam interpolantur, novae hujus seriei differentiae quintae itidem erunt constantes. Termini igitur interpolati cum terminis datis eodem arcto vinculo sunt conjuncti, quo antea ipsi termini dati inter se. Itaque quod valet de terminis datis, id etiam valet de terminis inveniendis. Jam vero in serie quinti ordinis, differentiae quintae sunt constantes, et ratione ceterarum differentiarum simplices. Sunt enim hae compositae; quartae quidem ex quantitate constanti et successivis summis unius, duorum, trium, etc. terminorum differentiarum quintarum; tertiae itidem ex quantitate constanti et similibus summis differentiarum quartarum; secundae et primae differentiae similiter, singulae ex quantitate constanti et summis differentiarum tertiarum et secundarum, dum ipsi termini dati plane eodem modo componuntur ex quantitate constanti (termino primo) et successivis summis differentiarum primarum.

Quae res ut evidentior fiat, exempli gratia, particulam exhibebimus tabulae, quam hunc in finem construxit Regnaud.

N.	F.	E.	D.	C.	B.	A.
1	f					
		e				
2	$f+e$		d			
		$e+d$		c		
3	$f+2e+d$		$d+c$		b	
		$e+2d+c$		$c+b$		a
4	$f+3e+3d+c$		$d+2c+b$		$b+a$	
		$e+3d+3c+b$		$c+2b+a$		a
5	$f+4e+6d+4c+b$		$d+3c+3b+a$		$b+2a$	
		$e+4d+6c+4b+a$		$c+3b+3a$		etc.
6	$f+5e+10d+10c+5b+a$		$d+4c+6b+4a$		etc.	
		$e+5d+10c+10b+5a$		etc.		
7	$f+6e+15d+20c+15b+6a$		etc.			
		etc.				
etc.	etc.					

Columna F continet terminos datos seriei, quorum differentiae primae, secundae, tertiae, quartae, et quintae habentur in columnis E, D, C, B, A. Quintae hae differentiae aequales sunt et simplices; quartae compositae sunt ex constanti b et summis differentiarum quintarum; sic et differentiae tertiae componuntur ex constanti c et summis differentiarum quartarum; similiter secundae ex constanti d et summis differentiarum tertiarum; primae ex

ex constanti e et summis differentiarum secundarum; denique termini dati ex constanti f, qui est terminus seriei primus et successivis summis differentiarum primarum.

Cum igitur ejusmodi tabulam construxisset Regnaud, atque ex ea vidisset ipsos terminos ex suis differentiis et termino primo componi; porro judicavit, si v. g. termini seriei 5^{ti} ordinis dati essent illi, qui in columna F, numero 1°, 3°, 5°, 7° etc. sunt notati, et unus terminus inter duos quosque terminos inserendus esset, judicavit, inquam, illos terminos interpolandos alios esse non posse, nisi qui in eadem columna n°. 2°, 4°, 6° etc. sunt postpositi; similiter si dati essent n°. 1, 4, 7, 10, 13, etc., et duo termini inserendi essent, terminos illos fore n° 2, 3; 5, 6; 8, 9; 11, 12; etc. et sic porro. Itaque terminos seriei datae comparavit cum terminis tabulae suae ex illa columna desumtis, quam ordo seriei requirit, et tot terminis intermediis omissis, quot sunt interpolandi. Horum igitur terminorum differentias quaesivit, et comparavit cum differentiis seriei interpolandae. Hinc tot obtinuit aequationes, quot sunt differentiae; quibus solutis, valores habuit quantitatum simplicium a, b, c etc., ex quibus singulae differentiae, et ipsi termini dati componuntur. His itaque valoribus substitutis, in iis terminis columnae F, quos omiserat, sponte terminos interpolandos acquisivit.

Rem exemplo illustremus. Sit series data, cui duo termini inter duos quosque terminos datos sunt inserendi, sequens, ejusque differentiae sumantur:

Series	Differ. I.	Differ. II.	Differ. III.
189			
	702		
891		972	
	1674		486
2565		1458	
	3132		486
5697		1944	
	5076		
10773			

Construatur jam ejusmodi tabula generalis, qualem supra exhibuimus, sed cum differentiis tertiis constantibus, quoniam in nostro exemplo differentiae tertiae constantes sunt, hunc in modum:

N.	D.	C.	B.	A
1	d	c		
2	$d + c$	$c + b$	b	
3	$d + 2c + b$	$c + 2b + a$	$b + a$	a
4	$d + 3c + 3b + a$	$c + 3b + 3a$	$b + 2a$	a
5	$d + 4c + 6b + 4a$	$c + 4b + 6a$	$b + 3a$	a
6	$d + 5c + 10b + 10a$	$c + 5b + 10a$	$b + 4a$	a
7	$d + 6c + 15b + 20a$	$c + 6b + 15a$	$b + 5a$	a
8	$d + 7c + 21b + 35a$	$c + 7b + 21a$	$b + 6a$	a
9	$d + 8c + 28b + 56a$	$c + 8b + 28a$	$b + 7a$	a
10	$d + 9c + 36b + 84a$	$c + 9b + 36a$	$b + 8a$	a
11	$d + 10c + 45b + 120a$	$c + 10b + 45a$	$b + 9a$	a
12	$d + 11c + 55b + 165a$	$c + 11b + 55a$	$b + 10a$	a
13	$d + 12c + 66b + 220a$			

Cum autem duo termini ubicunque inter duos terminos seriei datae sunt interpolandi, ex tabula generali, in columna D, termini ita sumantur, ut duo semper intermedii omittantur, i. e. illi, qui n°. 1°, 4°, 7°, 10°, et 13° notantur; horumque terminorum differentiae sumantur, ut ex sequenti tabula apparet:

N.	D.	C.	B.	A.
1	d	$3c + 3b + a$		
4	$d + 3c + 3b + a$	$3c + 12b + 19a$	$9b + 18a$	$27a$
7	$d + 6c + 15b + 20a$	$3c + 21b + 64a$	$9b + 45a$	$27a$
10	$d + 9c + 36b + 84a$	$3c + 30b + 136a$	$9b + 72a$	
13	$d + 12c + 66b + 220a$			

Hinc comparando terminum primum seriei datae, hujusque differentiarum terminos primos cum termino primo, ceterarumque differentiarum terminis primis e tabula generali, habebimus sequentes aequationes:

$d =$

$$d = 189$$
$$3c + 3b + a = 702$$
$$9b + 18a = 972$$
$$27a = 486$$

Quibus solutis, invenimus $a = 18$, $b = 72$, $c = 156$, $d = 189$. His valoribus substitutis in iis terminis ex tabula generaliori, qui interpolationi inserviunt, obtinemus sequentem seriem, in qua termini asterisco notati sunt termini interpolati:

N.	D.	Series interpolata.
1	d	189
*2	$d + c$	345
*3	$d + 2c + b$	573
4	$d + 3c + 3b + a$	891
*5	$d + 4c + 6b + 4a$	1357
*6	$d + 5c + 10b + 10a$	1869
7	$d + 6c + 15b + 20a$	2565
*8	$d + 7c + 21b + 35a$	3423
*9	$d + 8c + 28b + 56a$	4461
10.	$d + 9c + 36b + 84a$	5697
*11	$d + 10c + 36b + 84a$	7149
*12	$d + 11c + 55b + 165a$	8991
13	$d + 12c + 66b + 220a$	10773

Novam autem hanc seriem interpolatam esse ejusdem ordinis ac series proposita, facile apparebit, si ejus differentiae sumantur; differentiae enim tertiae constantes et $= 18$ invenientur.

His quidem constat generalis methodus interpolandi a Regnaud inventa. Amplectitur praecepta interpolationis, quae Mouton proposuerat, attamen his multo praestat; praecipue quoniam seriebus cujusvis ordinis interpolandis inservit, si modo tabula, cujus particulam exhibuimus, sat magna construatur; dum praecepta Moutoni tantum valent pro

seriebus quartum ordinem non superantibus. Ceterum sive secundum methodum doct. Regnaud, ex cognitis valoribus ipsorum a, b, c, d, etc. statim termini interpolandi computari possunt; sive si praecepta Moutoni sequaris, ex differentiis quartis tertiae, ex his secundae, ex secundis primae, ex primis denique differentiis ipsi termini interpolandi computandi sunt, quod nullo fere negotio perfici, vel me tacente, intelligitur. Est tamen et ipsa Regnaldi methodus, quamvis accuratissima, prolixior, quam vir doctus multo breviorem proponere potuisset, si, non contentus eo, quod sciret terminos seriei cujusvis ordinis ex suis differentiis componi, paululum processisset et investigasset *quomodo* ipsi termini dati ex suis differentiis componantur (1); sed hoc vir egregius, qui magis ingenii vi, quam doctrinae copia excelluisse videtur, aliis inveniendum reliquit.

Methodus interpolandi a Regnaud et Mouton proposita etiam ad analysin revocari potest, et quidem sequenti modo.

Mouton primus invenit hanc numerorum proprietatem: si seriei cujuscunque ordinis termini sumantur ita, ut unus vel duo vel tres vel quatuor etc. omittantur, nova orietur series ejusdem ordinis ac series data, sed cujus differentiae constantes aequales sunt differentiis constantibus seriei datae multiplicatis per numerum 3, 4, 5, etc. evectum ad potestatem quam indicat exponens ordinis seriei. Et e contra, si seriei differentiarum constantium alii termini inserantur, qui quodque intervallum inter duos terminos datos in 2, 3, 4, etc. partes dividunt, nova orietur series ejusdem ordinis, cujus differentiae constantes aequales sunt differentiis seriei datae, divisis per numerum 2, 3, 4, etc. evectum ad potestatem aequalem exponenti ordinis seriei. Id est, si d^n sit differentia constans seriei ordinis n^{ti}; si huic seriei interpolandi sint $m-1$ termini, ita ut intervallum inter duos quosque terminos seriei dividatur in m partes; si denique Δ^n sit differentia constans seriei interpolatae, semper erit in priori casu $d^n = \Delta^n \times m^n$, et in altero $\Delta^n = \frac{d^n}{m^n}$. Sic in praecedenti exemplo erat $n=3$ et $m-1=2$, adeoque $m=3$, porro $d^n = d^3 = 486$, $\Delta^n = \Delta^3 = 18$, $m^n = 3^3 = 27$, hinc, $486 = 18 \times 27$; et $18 = \frac{486}{27}$. (Vid. Mouton l. l. Prob. 2. 3. 4.)

Sit

(1) Scilicet ex tabula generaliori, cujus partem supra exhibuimus, facile apparet in quacunque columna, coëfficientes litterarum, a, b, c, d, terminos primos differentiarum primarum, secundarum, etc. indicantium haud esse diversos a coëfficientibus Binomialibus, ut vulgo dicuntur; adeoque terminum quemvis x seriei datae, cujus terminus primus sit A, cujusque differentiarum primarum, secundarum, tertiarum, etc. termini primi exprimantur litteris Δ, Δ^2, Δ^3, Δ^4, etc., terminum illum x, inquam, sequenti modo posse indicari:

$$x = A + \frac{n}{1}\Delta + \frac{n.\,n-1}{1.\,2.}\Delta^2 + \frac{n.\,n-1.\,n-2}{1.\,2.\,3.}\Delta^3 + \frac{n.\,n-1.\,n-2.\,n-3}{1.\,2.\,3.\,4.}\Delta^4 + \text{etc.}$$

Sit igitur d^2 differentia secunda seriei datae, $m - 1$ numerus terminorum inserendorum, tum, uti vidimus, differentia secunda in nova serie erit $= \frac{d^2}{m^2}$; jam si in eadem hac serie terminum primum differentiarum primarum ponamus $= x$, habebimus sequentes differentias primas:

$$x$$
$$x + \frac{d^2}{m^2}$$
$$x + \frac{2d^2}{m^2}$$
$$x + \frac{3d^2}{m^2}$$
$$x + \frac{4d^2}{m^2}$$
etc.

Omnes hae differentiae simul sumtae efficiunt differentiam primam inter duos terminos seriei datae. Si differentia illa prima vocetur d, erit

$$d = mx + (1+2+3+4+\text{etc.})\,\frac{d^2}{m^2}$$

$$mx = d - (1+2+3+4+\text{etc.})\,\frac{2d^2}{m^2}$$

$$x = \frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4+\text{etc.}}{m} \times \frac{d^2}{m^2}$$

hinc erunt differentiae primae seriei interpolatae:

$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4+\text{etc.}}{m} \quad \frac{d^2}{m^2}$$

$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4+\text{etc.}}{m} \times \frac{d^2}{m^2} + \frac{d^2}{m^2}$$

$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4+\text{etc.}}{m} \times \frac{d^2}{m^2} + \frac{2d^2}{m^2}$$

$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4+\text{etc.}}{m} \times \frac{d^2}{m^2} + \frac{3d^2}{m^2}$$

etc.

Series $1+2+3+4+$ etc. tot terminos continebit, quot indicat numerus m, hinc ejus summa est, uti notum, $\frac{m(m+1)}{2}$, et $\frac{1+2+3+4+\text{etc.}}{m} = \frac{m(m+1)}{2m} = \frac{m+1}{2}$.

Jam si novus terminus quidam quaeratur v. g. secundus, tertius, quartus, etc. addenda est termino primo seriei datae, summa duorum, trium, quatuor, etc. differentiarum primarum, ita ut in genere, si quaeratur terminus p, addendum sit

$$p\left(\frac{d}{m} - \frac{m+1}{2}\cdot\frac{d^2}{m^2}\right) + (1+2+3+4+\text{etc.})\frac{d^2}{m^2}$$

Series autem haec ultima $1+2+3+4+$ etc. semper constat tot terminis, quot constat $p-1$. Igitur ejus summa est $\frac{p(p-1)}{2}$, et quantitas addenda erit

$$p\times\frac{d}{m} - p\left(\frac{m+1}{2} - \frac{p-1}{2}\right)\frac{d^2}{m^2}$$

at vero $p\times\frac{d}{m}$ est pars proportionalis, sive correctio differentiae primae, igitur correctio differentiae secundae est $-p\left(\frac{m+1}{2} - \frac{p-1}{2}\right)\frac{d^2}{m^2}$.

His itaque pro differentiis secundis demonstratis, demonstratio pro differentiis tertiis eodem modo procedit.

Habebimus enim generatim, si d^3 est differentia tertia constans seriei datae, differentiam constantem seriei interpolatae $= \frac{d^3}{m^3}$; si autem series data esset secundi ordinis, haberemus $\frac{d^2}{m^2}$ pro differentiis secundis seriei interpolatae; jam vero est series tertii ordinis, cujus tertiae differentiae $\frac{d^3}{m^3}$ sunt constantes, hinc hujus ipsius seriei differentiae secundae erunt

$$\frac{d^2}{m^2} + \frac{d^3}{m^3},\ \frac{d^2}{m^2} + \frac{2d^3}{m^3},\ \frac{d^2}{m^2} + \frac{3d^3}{m^3},\ \text{etc.}$$

Sit x terminus primus differentiarum primarum seriei interpolatae, tum ipsae hujus seriei differentiae primae erunt sequentes.

$$x$$
$$x + \frac{d^2}{m^2} + \frac{d^3}{m^3}$$
$$x + \frac{2d^2}{m^2} + \frac{3d^3}{m^3}$$
$$x + \frac{3d^2}{m^2} + \frac{6d^3}{m^3}$$
$$x + \frac{4d^2}{m^2} + \frac{10d^3}{m^3}$$
etc.

Hinc, si, ut supra tota differentia inter duos terminos datos seriei propositae vocetur d, erit

$$d = mx + (1+2+3+4+\text{etc.})\,\frac{d^2}{m^2} + (1+3+6+10+\text{etc.})\,\frac{d^3}{m^3}$$

in qua aequatione series $1+2+3+4+$etc., et $1+3+6+10+$etc., semper tot terminis constant, quot continentur numero $m-1$. Hinc

$$x = \frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4}{m} \times \frac{d^2}{m^2} - \frac{1+3+6+10}{m} \times \frac{d^3}{m^3}$$

et differentiae primae quaesitae erunt sequentes:

$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4}{m} \times \frac{d^2}{m^2} - \frac{1+3+6+10}{m} \cdot \frac{d^3}{m^3}$$
$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4}{m} \times \frac{d^2}{m^2} - \frac{1+3+6+10}{m} \cdot \frac{d^3}{m^3} + \frac{d^2}{m^2} + \frac{d^3}{m^3}$$
$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4}{m} \times \frac{d^2}{m^2} - \frac{1+3+6+10}{m} \cdot \frac{d^3}{m^3} + \frac{2d^2}{m^2} + \frac{3d^3}{m^3}$$
$$\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4}{m} \times \frac{d^2}{m^2} - \frac{1+3+6+10}{m} \cdot \frac{d^3}{m^3} + \frac{3d^2}{m^2} + \frac{6d^3}{m^3}$$
etc.

hinc pro termino qualicunque p, addendum erit termino primo:

$$p\left(\frac{d}{m} - \frac{1+2+3+4}{m} \times \frac{d^2}{m^2} - \frac{1+3+6+10}{m} \times \frac{d^3}{m^3}\right) + (1+2+3)\,\frac{d^2}{m^2} + (1+3+6)\,\frac{d^3}{m^3}$$

sive

$$\text{sive } p\left(\frac{d}{m} - \frac{m.m-1}{2.m}.\frac{d^2}{m^2} - \frac{m+1.m.m-1}{2.3.m.}\frac{d^3}{m^3}\right) + \frac{p.p-1}{2}.\frac{d^2}{m^2} + \frac{p+1.p.p-1}{2.3.}.\frac{d^3}{m^3}$$

unde apparet correctionem differentiarum primarum esse ut supra $= p \times \frac{d}{m}$. Correctionem differentiarum secundarum etiam esse ac supra:

$$= - p\,\frac{d^2}{m^2}\left(\frac{m-1}{2} - \frac{p-1}{2}\right) = - p\left(\frac{m-p}{2}\right)\frac{d^2}{m^2}.$$

Correctionem differentiarum tertiarum fore

$$= p\,\frac{d^3}{m^3}\left(\frac{(p+1).(p-1) - (m+1).(m-1)}{2.3.}\right)$$

$$\text{sive} = - p\left(\frac{m^2-p^2}{6}\right)\frac{d^3}{m^3}$$

Hoc modo Cl. La Lande Moutonum vel Regnaldum secutus interpolationem analytice tractavit. Non ulterius progressus est quam ad series tertii ordinis, quippe quae in praxi sufficiant. Paullo fusius expositam rem et exemplis illustratam invenies in *Mém. de l'Acad. de Paris* A. 1761.

§. II.

Ejusdem problematis solutio Newtoniana, quam multi dein Viri docti secuti sunt. Ex formula Newtoniana illae Meyeri, Florini, La Landii, Gardineri, deducuntur. Methodi a La Grangio et Burkhardtio propositae, quibus hujus formulae usus facilior et brevior fiat, exhibentur.

Problematis de interpolatione aliam, sive potius alia sub forma solutionem dedit Newtonus. Hic enim terminos seriei datae consideravit tanquam ordinatas curvae, cujus abscissae sunt terminorum distantiae a termino primo, quem habuit pro origine coordinatarum. Hinc ex cognitis his terminis valores quaesivit ordinatae ad quamlibet aliam abscissam pertinentem, i. e. valores termini quocunque loco a termino primo seriei cujusdam datae distantis. Cum vero per extremas ordinatas curva duci possit, et quidem hoc in casu, curva generis parabolici; problema de interpolatione, alio quasi vestitu indutum proposuit Newtonus et solvit, cum quaereret, quomodo esset ducenda linea parabolica per extremas quotcunque ordinatas. Nil autem attinet, utrum ejusmodi curva ducatur, nec ne: *Curvae enim hic nullatenus sunt necessariae, nisi quatenus adjumento sunt*

sunt intellectui, in rite concipiendo problemate. Etenim, descriptio parabolae per data puncta idem est omnino problema, ac assignatio quantitatum ex datis ipsarum differentiis, quae per solam Algebram, ideoque per resolutionem aequationum simplicium semper perficitur." (1) Quo autem plura sunt puncta data, eo accuratior curva describitur; hinc id tantum agitur, ut inter puncta quaedam data, alia inveniantur cum ipsis datis in curva parabolica sita.

Newtonus, uti diximus, problema hoc modo proposuit, ejusque solutionis primam mentionem fecit in *Epistola ad Oldenburgum* A. 1676 conscripta. Usus est sua solutione in Lemmate 5. Prop. 40. Lib. III. *Princip. Math. Phil. Nat.* ut ex aliquot observatis cometae locis ejusdem situm ad tempus quodvis intermedium inveniret. Demonstrationem invenies in ejusdem *Methodo Differentiali* Prop. 3 et 4; in *Meth. Diff. Newtoniana* exposita a R. Cotes Prop. 6. Eandem solutionem dedit J. Stirling, primum quidem in Vol. 30. *Phil. Transact.* A. 1719. N°. 362, dein autem in Tractatu jam supra citato *de Summatione et Interpolatione Serierum*, ubi fuse totam hanc rem tractat et exemplis illustrat. Nec minus claram et dilucidam demonstrationem dedit Walmesley in Commentatione, *de la Méthode des Différences et de la Sommation des Séries*, inserta in *Mem. de l'Acad. de Berlin* A. 1758. Sic et alii alibi hanc interpolandi methodum sive memorant, sive data opera demonstrant. Primum inter omnes locum occupat Cl. La Croix, qui, quidquid fere de interpolatione innotuit, complexus est in opere, *Traité des Différences et des Séries*. Egregia etiam est dissertatio Euleri, *de eximio usu Methodi Interpolationum in Serierum doctrina*, invenienda in ejus *Opusculis Analyticis*, T. I. pag. 157. Cf. etiam ejusdem *Calc. Differ.* cap. 17.

Hos auctores, ex quibus nostra qualiacunque hausimus, memorasse sufficiat. Ad ipsam rem pergamus.

Newtonus duos casus consideravit, nempe ubi abscissae sunt non aequidistantes, et dein ubi sunt aequidistantes. Nos priorem tantum casum demonstrabimus, ex eodem illo alterum facile deducturi.

Generalis aequatio problemati solvendo idonea, eadem est ac illa, a qua, ut supra jam monuimus, nomen suum traxit, aequatio parabolica cujuscunque ordinis:

$$y = f + gx + hx^2 + hx^3 + \text{etc.}$$

Haec enim aequatio ei conditioni satisfacit, quod pro quocunque valore abscissae x, sive pro quacunque distantia cujusdam termini, in serie data, a termino primo, semper

(1) Verba sunt Stirlingii in Tractatu, *de Summatione et Interpolatione Serierum*, p. 97.

per quidam inveniatur valor ordinatae y, sive valor istius termini in serie. Nulli autem termini in hac aequatione admittendi sunt, qui x ad potestatem negativam vel fractionariam evectam, tamquam factorem continent; adeoque nulli hujus formae lx^{-n}, neque hujus $lx^{\frac{n}{p}}$; quoniam priores, posito $x=0$, valorem termini y infinite magnum redderent; atque posteriores tot valores eidem y adsignarent, quot a denominatore p indicantur; utrumque enim seriei naturae repugnat. Hujus autem aequationis determinandi sunt incogniti f, g, h, k, etc. quod, si ad ceteras problematis conditiones attendamus, nulla difficultate laborat.

Sit Fig. 1. $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon$ curva parabolica cujuscunque ordinis (1). Sit origo coordinatarum in a, sumantur abscissae ab, ac, ad, ae, etc. sive, facilitatis gratia, una littera hae indicentur, et origo a etiam tanquam abscissa consideretur; unde habebimus abscissas a, b, c, d, e, etc. quibus respondent ordinatae α, β, γ, δ, ϵ, etc. Jam pro quacunque alia abscissa x, quaeritur valor applicatae y. Videamus quomodo hic valor ex datis problematis inveniri possit.

Si x fiat $= a$, habebimus $y=\alpha$; si $x=b$, $y=\beta$, si $x=c$, $y=\gamma$ et sic porro. Ponamus itaque successive pro x, a, b, c, etc. tum valores α, β, γ, etc. pro y emergentes, erunt expressi functionibus incognitorum coëfficientium f, g, h, etc. et cognitorum a, b, c, etc. Ex his autem aequationibus, methodo expulsionis, quam vocant, incogniti coëfficientes k, h, f, g, functionibus cognitorum a, b, c, d, etc. et α, β, γ, δ, etc. determinari possunt, quibus cognitis et substitutis in aequatione (A) habebimus expressionem generalem pro ordinata y ad propositam abscissam x pertinentem. Paucis operationem indicemus.

Generalis aequatio est:

$$y = f + gx + hx^2 + kx^3 + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (A)$$

in qua si ponamus

pro x valores a, b, c, d, etc.

habebimus

pro y . . . α, β, γ, δ, etc.

et quidem sequentes aequationes:

$\alpha =$

(1) Ordo curvae, qui semper pendet a summa potestate ipsius x in aequatione (A), nullam habet momentum in ea, quae sumus dicturi. Facile enim apparebit, ratiocinationem eandem semper esse, sive plures sive pauciores termini in aequatione (A) occurrant. Quo plures autem adsint, eo fit demonstratio longior et operosior, non difficilior.

$$\alpha = f + ga + ha^2 + ka^3 + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (1)$$
$$\beta = f + gb + hb^2 + kb^3 + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (2)$$
$$\gamma = f + gc + hc^2 + kc^3 + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (3)$$
$$\delta = f + gd + hd^2 + kd^3 + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (4)$$
$$\text{etc.} \qquad\qquad \text{etc.}$$

Eruamus iam ex quatuor his aequationibus, quae quatuor incognitis determinandis sufficiunt, valores horum incognitorum, expellendo successive terminos sive factores incognitos f, g, h, donec solus tandem k supersit, qui functione quantitatum cognitarum exprimetur. Hoc autem facile fiet, si aequatio (1) a (2); aeq. (2) a (3); aeq. (3) a (4) abstrahatur, atque illae, quae hinc oriuntur, per communem divisorem $b-a$, $c-b$, $d-c$, dividantur; atque dein in novas has aequationes eadem operatio toties repetatur, donec tandem k supersit. Quod si fiat, primum quidem quatuor aequationes primitivae ad tres sequentes reducentur:

$$\frac{\beta-\alpha}{b-a} = g + h\,(b+a) + k\,(b^2+ab+a^2) + \text{etc.} \quad \ldots\ldots \quad (5)$$
$$\frac{\gamma-\beta}{c-b} = g + h\,(c+b) + k\,(c^2+bc+b^2) + \text{etc.} \quad \ldots\ldots \quad (6)$$
$$\frac{\delta-\gamma}{d-c} = g + h\,(d+c) + k\,(d^2+dc+c^2) + \text{etc.} \quad \ldots\ldots \quad (7)$$

Ponamus jam brevitatis gratia $\frac{\beta-\alpha}{b-a}=\rho'$, $\frac{\gamma-\beta}{c-b}=\rho''$, $\frac{\delta-\gamma}{d-c}=\rho'''$, tum, si aequationes (5), (6) et (7) eodem modo tractemus ac superiores, obtinebimus sequentes duas:

$$\frac{\rho''-\rho'}{c-a} = h + k\,(c+b+a) + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (8)$$
$$\frac{\rho'''-\rho''}{a-b} = h + k\,(d+c+b) + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (9)$$

ex quibus denique, positis $\frac{\rho''-\rho'}{c-a}=\sigma'$, et $\frac{\rho'''-\rho''}{a-b}=\sigma''$, eadem operatione repetita, sequitur:

$$\frac{\sigma''-\sigma'}{d-a} = k + \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (10)$$

Valore coëfficientis k invento, facile valores ceterorum coëfficientium habentur, si nempe in aequationibus (8), (5), (1) successive substituamus valores coëfficientium k; k et

 h;

h; k, h, et g. Quo facto valores omnium incognitorum erunt determinati, illique ad terminos simplicissimos reducti sequentes invenientur:

$$k = \frac{\sigma'' - \sigma'}{d-a}$$

$$h = \frac{\rho'' - \rho'}{c-a} - \frac{\sigma'' - \sigma'}{d-a} \times (a+b+c) + \text{etc.}$$

$$g = \frac{\beta - \alpha}{b-a} - \frac{\rho'' - \rho'}{c-a} \times (a+b) + \frac{\sigma'' - \sigma'}{d-a} \times (ab+ac+bc) + \text{etc.}$$

$$f = \alpha - \frac{\beta - \alpha}{b-a} \times a + \frac{\rho'' - \rho'}{c-a} \times ab - \frac{\sigma'' - \sigma'}{d-a} \times abc + \text{etc.}$$

His denique valoribus substitutis in aequatione (A) erit:

$$y = \alpha + \frac{\beta - \alpha}{b-a} \times (x-a) + \frac{\rho'' - \rho'}{c-a} \times \left(x^2 - (a+b)\,x + ab\right)$$
$$+ \frac{\sigma'' - \sigma'}{d-a} \times \left\{x^3 - (a+b+c)\,x^2 + (ab+ac+bc)\,x - abc\right\} + \text{etc.}$$

sive, factoribus compositis in simplices resolutis:

$$y = \alpha + \frac{\beta - \alpha}{b-a}(x-a) + \frac{\rho'' - \rho'}{c-a}(x-a)(x-b) + \frac{\sigma'' - \sigma'}{d-a}(x-a)(x-b)(x-c) + \text{etc.}$$

sive tandem, pro ρ', ρ'', σ', σ'' valoribus suis substitutis:

$$y = \alpha + \frac{x-a}{b-a}(\beta - \alpha) + \frac{(x-a)\,(x-b)}{c-a} \times \left(\frac{\gamma - \beta}{c-b} - \frac{\beta - \alpha}{b-a}\right) \ldots\ldots\ldots (B)$$
$$+ \frac{(x-a)\,(x-b)\,(x-c)}{d-a} \times \left\{\frac{\frac{\delta - \gamma}{d-c} - \frac{\gamma - \beta}{c-b}}{d-b} - \frac{\frac{\gamma - \beta}{c-b} - \frac{\beta - \alpha}{b-a}}{c-a}\right\} + \text{etc.}$$

Haec aequatio (B) non nisi quantitates cognitas continet, si nempe variabili x valor assignetur; est etiam maxime generalis, ita ut pro quocunque valore abscissae x conveniens valor ordinatae y juste sit proditurus. Etenim si in ea pro x successive ponamus a, b, c, etc. videbimus y evasurum α, β, γ, etc. Jam si pro his valoribus abscissae x, aequatio nostra satisfacit, nullum dubium est, quin etiam pro aliis valoribus sit satisfactura. Praeterea apparet a, b, c, d, etc. omnes valo-

lores accipere posse, sine eo, ut aequationi vis inferatur. Hinc sequitur, nequaquam opus esse, ut ordinatae aequaliter a se invicem distent, sed interstitia inter ordinatas pro libitu assumi posse; sin autem ordinatas aequidistantes sumamus, multo simplicior evadit aequatio. Ponamus v. g. $a=0$, $b=h$, $c=2h$, $d=3h$ etc. ita ut $b-a=c-b=d-c$, etc. $=h$, $c-a=2h$, $d-a=3h$, tum erit

$$y=\alpha+\frac{x}{h}\cdot(\beta-\alpha)+\frac{x(x-h)}{2h}\cdot\frac{(\gamma-2\beta+\alpha)}{h}+\frac{x(x-h)(x-2h)}{3h}\cdot\frac{(\delta-3\gamma+3\beta-\alpha)}{h.\,2h}+\text{etc.}\ldots(B')$$

et si $h=1$, habebimus

$$y=\alpha+\frac{x}{1}(\beta-\alpha)+\frac{x(x-1)}{1.\,2.}\cdot(\gamma-2\beta+\alpha)+\frac{x(x-1)(x-2)}{1.\,2.\,3.}\cdot(\delta-3\gamma+3\beta-\alpha)+\text{etc.}\ldots(C)$$

En duas aequationes (B) et (C) Newtonianas, hanc pro ordinatis aequidistantibus, illam pro non aequidistantibus. Harum ope facile invenitur, quaenam ordinatae ad quascunque datas abscissas pertineant, sive, quod eodem redit, quinam termini inter quosvis seriei terminos datos sint inserendi. Monendum tamen adhuc aliquid superest de factoribus quibus coëfficientes binomiales sunt affecti. Scilicet hi factores constant quantitatibus, quae quidem in problematis solutione tanquam ordinatae habentur, sed quae tamen revera ipsos terminos seriei datae constituunt. Inquirendum igitur est, quomodo illi factores ex datis seriei terminis componantur. Quod ut clare et perspicue fiat, alia methodo, theoriae differentiarum innixa, eandem formulam demonstrabimus.

Sit series utcunque data, α, β, γ, δ, ε, etc. cujus successive termini praecedentes a sequentibus auferantur i. e. cujus differentiae primae, secundae, tertiae, etc. sumantur, eum in modum ac sequens tabula eas exhibet:

	α	β	γ	δ	ε etc.
D. I.	$-\alpha+\beta$	$-\beta+\gamma$	$-\gamma+\delta$	$-\delta+\varepsilon$	etc.
D. II.	$\alpha-2\beta+\gamma$	$\beta-2\gamma+\delta$	$\gamma-2\delta+\varepsilon$	etc.	
D. III.	$-\alpha+3\beta-3\gamma+\delta$	$-\beta+3\gamma-3\delta+\varepsilon$	etc.		
D. IV.	$\alpha-4\beta+6\gamma-4\delta+\varepsilon$	etc.			
	etc.				

Ex inspecta hac tabula satis apparet quamnam legem termini differentiarum sequantur, ita ut differentiae ordinis n^{ti} futuri sint:

$$\pm \left\{ \alpha - \frac{n}{1}\beta + \frac{n(n-1)}{1.\,2.}\gamma - \frac{n(n-1)(n-2)}{1.\,2.\,3.}\delta + \frac{n(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\,2.\,3.\,4.}\varepsilon - \text{etc.} \right\}$$

$$\pm \left\{ \beta - \frac{n}{1}\gamma + \frac{n(n-1)}{1.\,2.}\delta - \frac{n(n-1)(n-2)}{1.\,2.\,3.}\varepsilon + \frac{n(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\,2.\,3.\,4.}\zeta - \text{etc.} \right\}$$

qui termini signo $+$ affici debent, si n sit numerus par, signo vero $-$ si n sit numerus impar.

His ita positis, valorem terminorum seriei datae determinare possumus ex ipso dato termino primo et terminis primis differentiarum inventis. Si enim faciamus

$$\begin{aligned} -\alpha + \beta &= a \\ +\alpha - 2\beta + \gamma &= b \\ -\alpha + 3\beta - 3\gamma + \delta &= c \\ +\alpha - 4\beta + 6\gamma - 4\delta + \varepsilon &= d \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

erit

$$\begin{aligned} \alpha &= \alpha \\ \beta &= \alpha + a \\ \gamma &= \alpha + 2a + b \\ \delta &= \alpha + 3a + 3b + c \\ \varepsilon &= \alpha + 4a + 6b + 4c + d \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

Cum itaque dati seriei termini inveniuntur ex ipsorum differentiis et termino primo, eodem modo inveniendus est terminus quivis alius ex differentiis datis et termino seriei primo. Et sane ex aequationibus nostris concludere licet, generatim valorem termini cujusvis y, cujus distantia a termino primo α in serie data sit x (si nempe β, γ, δ, ε etc. sint 1°, 2°, 3°, 4° etc. loco positi), fore:

$$y = \alpha + \frac{x}{1}a + \frac{x(x-1)}{1.\,2.}b + \frac{x(x-1)(x-2)}{1.\,2.\,3.}c + \frac{x(x-1)(x-2)(x-3)}{1.\,2.\,3.\,4.}d + \text{etc.}$$

et si jam pro a, b, c, d etc. suos valores substituamus, erit:

$$y = \alpha + \frac{x}{1}(\beta - \alpha) + \frac{x(x-1)}{1.\,2.}(\gamma - 2\beta + \alpha) + \frac{x(x-1)(x-2)}{1.\,2.\,3.}(\delta - 3\gamma + 3\beta - \alpha) + \text{etc.}$$

quae formula prorsus eadem est ac illa (C) quam supra obtinuimus.

Id igitur ex hac formula (C) cum tabula Differentiarum comparata apparet, factores, quibus coefficientes Binomiales sunt multiplicati, nullos alios esse, nisi terminos primos differentiarum sequentium seriei datae; dum terminus primus formulae (C) est ipse terminus primus seriei datae. Quod si terminos illos primos differentiarum una littera characteristica, Δ', Δ'', Δ''', repraesentemus, brevior adhuc, nec, ab ea, quam supra p. 12. in adn. proposuimus, diversa erit formula nostra, in sequentem mutata:

$$y = \alpha + \frac{x}{1}\,\Delta' + \frac{x\,(x-1)}{1.\,2.}\,\Delta'' + \frac{x\,(x-1)\,(x-2)}{1.\,2.\,3.}\,\Delta''' + \text{etc.} \quad . \; . \; . \; (D)$$

Inservit etiam formula ad inveniendas ordinatas ab altera parte originis coordinatarum sitas, dummodo x mutetur in $-x$. Quo facto formula nostra (D) fit:

$$y = \alpha - \frac{x}{1}\,\Delta' + \frac{x\,(x+1)}{1.\,2.}\,\Delta'' - \frac{x\,(x+1)\,(x+2)}{1.\,2.\,3.}\,\Delta''' + \text{etc.}$$

ut cuivis facile patet.

His quidem sufficienter indicasse mihi videor, quibus principiis nitatur interpolandi methodus Newtoniana. Usus enim hujus formulae deinceps innotescet, ubi ex professo de ea re agemus. Plura quidem adhuc memoranda sunt, quae ad hunc locum optime referri posse videantur, sed praemittere liceat duas formulas praecedenti simillimas, a Jacobo Stirlingio primum propositas; nimis enim arcte hae cum illa sunt conjunctae, quam quae longiori spatio a se invicem divelli queant.

Newtonus seriem ordinatarum consideravit ex una tantum parte pergentem in infinitum. Stirlingius autem l. l. supra c. c. duas alias series sibi proponit, in quarum altera una ordinata ceteris est intermedia, in altera duae sunt intermediae. Videamus quaenam formulae pro utroque hoc casu sint adhibendae. Post fusius expositam priorem theoriam hic breviores esse poterimus.

Sit itaque Fig. 2. series ordinatarum μ, λ, $\varkappa$, A, α, β, γ, quarum A ceteris est intermedia, at quarum abscissae respectivae sunt $-c$, $-b$, $-a$, o, $+a$, $+b$, $+c$. Quaeritur igitur aequatio ita constituta, ut, quando x sit successive $=0$; $+a$, $-a$; $+b$, $-b$; $+c$, $-c$; etc. y evadat $=$A, α, $\varkappa$, β, λ, γ, μ etc.

Generalis curvae parabolicae aequatio haec est:

$$y = f + gx + hx^2 + kx^3 + \text{etc.}$$

ha-

habemus itaque ex datis problematis, sequentes aequationes, quarum ope determinandi sunt valores coëfficientium:

$$A = f \quad \ldots \ldots \quad (1)$$
$$\alpha = f + ga + ha^2 + ka^3 + \text{etc.} \quad \ldots \quad (2)$$
$$\beta = f + gb + hb^2 + kb^3 + \text{etc.} \quad \ldots \quad (3)$$
$$\gamma = f + gc + hc^2 + kc^3 + \text{etc.} \quad \ldots \quad (4)$$

$$\varkappa = f - ga + ha^2 - ka^3 + \text{etc.} \quad \ldots \quad (5)$$
$$\lambda = f - gb + hb^2 - kb^3 + \text{etc.} \quad \ldots \quad (6)$$
$$\mu = f - gc + hc^2 - kc^3 + \text{etc.} \quad \ldots \quad (7)$$

Hinc, secundum methodum supra expositam, sequitur:

ex (2) et (5) . . . . $\dfrac{\alpha - \varkappa}{2a} = g + ka^2$ . . . . (8)

ex (3) et (6) . . . . $\dfrac{\beta - \lambda}{2b} = g + kb^2$ . . . . (9)

ex (4) et (7) . . . . $\dfrac{\gamma - \mu}{2c} = g + kc^2$ . . . . (10)

sit iterum brevitatis causa $\dfrac{\alpha - \varkappa}{2a} = \rho'$, $\dfrac{\beta - \lambda}{2b} = \rho''$, $\dfrac{\gamma - \mu}{2c} = \rho'''$

tum erit

ex (9) et (8) . . . . $\dfrac{\rho'' - \rho'}{b^2 - a^2} = k$ . . . . (11)

denique ex (2) et (5) . . . . $\alpha + \varkappa = 2f + 2ha^2$

sive $\alpha + \varkappa = 2A + 2ha^2$

hinc $\alpha - 2A + \varkappa = 2ha^2$

$\dfrac{\alpha - 2A + \varkappa}{2a^2} = h$. . . . . (12)

Possunt itaque valores ceterorum coëfficientium determinari; qui una cum inventis sequentes erunt:

$k =$

$$k = \frac{\rho'' - \rho'}{b^2 - a^2}$$

$$h = \frac{\alpha - 2\mathrm{A} + \kappa}{2a^2}$$

$$g = \frac{\alpha - \kappa}{2a} - \frac{\rho'' - \rho'}{b^2 - a^2} \times a^2$$

$$f = \mathrm{A}.$$

His igitur valoribus substitutis in aequatione generali, erit

$$y = \mathrm{A} + \left\{ \frac{\alpha - \kappa}{2a} - \frac{\rho'' - \rho'}{b^2 - a^2} \times a^2 \right\} x + \frac{\alpha - 2\mathrm{A} + \kappa}{2a^2} \times x^2 + \frac{\rho'' - \rho'}{b^2 - a^2} x^3 + \text{etc.} \ldots \quad (\mathrm{E})$$

Haec iterum est formula maxime generalis, quae quaestioni satisfacit, quoniam, si in ea x ponatur $=0$, $+a$, $-a$, etc., y evadit A, α, κ, etc. Intervalla etiam inter ordinatas pro lubitu assumi possunt; quae tamen si, ut supra, ubivis aequalia ponantur (unde habebimus $b = 2a$, $c = 3a$, etc.), si deinde valores ipsorum ρ'' et ρ' substituantur, atque omnia tandem ad simplicissimos terminos reducantur, sequens prodibit aequatio, cujus paullo plures computavimus terminos, ut lex, cui termini obtemperant, magis foret perspicua:

$$y = \mathrm{A} + \frac{x}{1.\,2.\,a}(\alpha - \kappa) + \frac{x^2}{1.\,2.\,a^2}(\alpha - 2\mathrm{A} + \kappa) + \frac{x(x^2 - a^2)}{1.\,2.\,2.\,3a^3} \times$$
$$(\beta - 2\alpha + 2\kappa - \lambda) + \frac{x^2(x^2 - a^2)}{1.\,2.\,3.\,4a^4}(\beta - 4\alpha + 6\mathrm{A} - 4\kappa + \lambda) +$$
$$\frac{x(x^2 - a^2)(x^2 - 4a^2)}{1.\,2.\,2.\,3.\,4.\,5.\,a^5}(\gamma - 4\beta + 5\alpha - 5\kappa + 4\lambda - \mu) +$$
$$\frac{x^2(x^2 - a^2)(x^2 - 4a^2)}{1.\,2.\,3.\,4.\,5.\,6.\,a^6}(\gamma - 6\beta + 15\alpha - 20\mathrm{A} + 15\kappa - 6\lambda + \mu) + \text{etc.} \ldots (\mathrm{F})$$

Ponamus jam, ut indoles factorum, $\alpha - \kappa$, $\alpha - 2\mathrm{A} + \kappa$, etc., quibus singuli termini sunt multiplicati, innotescat, datam esse seriem terminorum aequidistantium, numeri imparis, quorum A sit terminus intermedius, et quorum differentiae sint illae, quas sequens tabula ostendit:

	etc. μ	λ	$\varkappa$	A	α	β	γ etc.
D. I.	$-\mu+\lambda$	$-\lambda+\varkappa$	$-\varkappa+A$	$-A+\alpha$	$-\alpha+\beta$	$-\beta+\gamma$	
D. II.	$\mu-2\lambda+\varkappa$	$\lambda-2\varkappa+A$	$\varkappa-2A+\alpha$	$A-2\alpha+\beta$	$\alpha-2\beta+\gamma$		
D. III.	$-\mu+3\lambda-3\varkappa+A$	$-\lambda+3\varkappa-3A+\alpha$	$-\varkappa+3A-3\alpha+\beta$	$-A+3\alpha-3\beta+\gamma$			
D. IV.	$\mu-4\lambda+6\varkappa-4A+\alpha$	$\lambda-4\varkappa+6A-4\alpha+\beta$	$\varkappa-4A+6\alpha-4\beta+\gamma$				
D. V.	$-\mu+5\lambda-10\varkappa+10A-5\alpha+\beta$	$-\lambda+5\varkappa-10A+10\alpha-5\beta+\gamma$					
D. VI.	$\mu-6\lambda+15\varkappa-20A+15\alpha-6\beta+\gamma$						
	etc.						

Ex inspecta hac tabula apparet, esse factores memoratos terminorum in formula nostra (F) respective aequales differentiis intermediis seriei propositae, et quidem hac ratione:

$A =$ termino seriei datae intermedio $= A$.

$\alpha - \varkappa =$ summae terminorum in serie differentiarum primarum termino A proxime adjacentium $= (-\varkappa + A) + (-A + \alpha)$.

$\alpha - 2A + \varkappa =$ termino intermedio seriei differentiarum secundarum.

$\beta - 2\alpha + 2\varkappa - \lambda =$ summae terminorum in serie differentiarum tertiarum termino praecedenti proxime adjacentium $= (-\lambda + 3\varkappa - 3A + \alpha) + (-\varkappa + 3A - 3\alpha + \beta)$.

$\beta - 4\alpha + 6A - 4\varkappa + \lambda =$ termino intermedio seriei differentiarum quartarum.

$\gamma - 4\beta + 5\alpha - 5\varkappa + 4\lambda - \mu =$ summae terminorum in serie differentiarum quintarum termino praecedenti proxime adjacentium.

$\gamma - 6\beta + 15\alpha - 20A + 15\varkappa - 6\lambda + \mu =$ termino intermedio seriei differentiarum sextarum; et sic porro.

Sit jam $A = A$; $\alpha - \varkappa = B$; $\alpha - 2A + \varkappa = C$; $\beta - 2\alpha + 2\varkappa - \lambda = D$; $\beta - 4\alpha + 6A - 4\varkappa + \lambda = E$; $\gamma - 4\beta + 5\alpha - 5\varkappa + 4\lambda - \mu = F$; $\gamma - 6\beta + 15\alpha - 20A + 15\varkappa - 6\lambda + \mu = G$; etc. tum erit nostra aequatio:

$$y = A + \frac{x}{1.\,2.\,a} B + \frac{x^2}{1.\,2.\,a^2} C + \frac{x(x^2-a^2)}{1.\,2.\,2.\,3a^3} D + \frac{x^2(x^2-a^2)}{1.\,2.\,3.\,4a^4} E$$
$$+ \frac{x(x^2-a^2)(x^2-4a^2)}{1.\,2.\,2.\,3.\,4.\,5a^5} F + \frac{x^2(x^2-a^2)(x^2-4a^2)}{1.\,2.\,3.\,4.\,5.\,6a^6} G + \text{etc.}$$

sive, si $a = 1$:

$$y = A + \frac{Bx + Cx^2}{1.\,2} + \frac{2Dx + Ex^2}{1.\,2} \times \frac{x^2-1}{3.\,4}$$
$$+ \frac{3Fx + Gx^2}{1.\,2} \times \frac{x^2-1}{3.\,4} \times \frac{x^2-4}{5.\,6} + \text{etc.} \quad . \; . \; . \; . \; . \quad (G)$$

Haec

Haec est prior Stirlingii formula. Restat, ut memoremus ejus formulam alteram pro numero ordinatarum vel terminorum pari. Fig. 3. Hinc in generali aequatione:

$$y = f + gx + hx^2 + kx^3 + \text{etc.}$$

haec obtinere debent, ut, quoties $x = +a, -a; +b, -b; +c, -c;$ etc. y evadat $\alpha, \kappa, \beta, \lambda, \gamma, \mu,$ etc. Itaque post simillimam operationem, qua supra ad determinandos coëfficientes usi sumus, et quam hic denuo repetere supervacaneum est, invenies,

$$y = \frac{\alpha + \kappa}{2} - \frac{\sigma'' - \sigma'}{b^2 - a^2} \times a^2 + \left\{ \frac{\alpha - \kappa}{2a} - \frac{\rho'' - \rho'}{b^2 - a^2} \times a^2 \right\} x$$
$$+ \frac{\sigma'' - \sigma'}{b^2 - a^2} \times x^2 + \frac{\rho'' - \rho'}{b^2 - a^2}\, x^3 + \text{etc.}$$

quae iterum est formula generalior, ex qua, positis ordinatis aequidistantibus, et $a = 1$, (unde $b = 3a$, $c = 5a$, etc.) deducitur sequens:

$$y = \frac{\alpha + \kappa}{1.\,2} + \frac{x}{1.\,2}(\alpha - \kappa) + \frac{x^2\,(x^2 - 1)}{1.\,2.\,2.\,4}\,(\beta - \alpha + \lambda - \kappa)$$
$$+ \frac{x\,(x^2 - 1)}{1.\,2.\,2.\,3.\,4} \times (\beta - 3\alpha + 3\kappa = \lambda) + \text{etc.}$$

Ex formata tabula differentiarum seriei terminorum numero parium apparet esse:

$\alpha + \kappa =$ summae terminorum intermediorum seriei datae.

$\alpha - \kappa =$ termino intermedio in serie differentiarum primarum.

$\beta - \alpha + \lambda - \kappa =$ summae duorum terminorum intermediorum in serie differentiarum secundarum.

$\beta - 3\alpha + 3\kappa - \lambda =$ termino intermedio seriei differentiarum tertiarum, et sic porro.

Ponamus jam $\alpha + \kappa = A$, $\alpha - \kappa = B$, $\beta - \alpha + \lambda - \kappa = C$, $\beta - 3\alpha + 3\kappa - \lambda = D$ etc. tum erit aequatio nostra hujus formae:

$$y = \frac{A + Bx}{1.\,2.} + \frac{3C + Dx}{1.\,2.} \times \frac{x^2 - 1}{4.\,6.} + \frac{5E + Fx}{1.\,2.} \times \frac{x^2 - 1}{4.\,6.} \times \frac{x^2 - 9}{8.\,10.}$$
$$+ \frac{7G + Hx}{1.\,2.} \times \frac{x^2 - 1}{4.\,6.} \times \frac{x^2 - 9}{8.\,10.} \times \frac{x^2 - 25}{12.\,14} + \text{etc.} \quad . \; . \; . \; . \; . \; . \quad (H)$$

Atque haec quidem est altera Stirlingii formula.

Redeamus jam ad formulam Newtonianam proprie sic dictam, et absolvamus quae in eam animadvertenda habemus.

Vere dixit Stirlingius (l. l. pag. 107. in Scholio) „*De descriptione curvae parabolici generis per data quotcunque puncta egerunt plures celebres geometrae post Newtonum. Sed omnes eorum solutiones eaedem sunt cum hisce jam exhibitis. Newtonus quidem describit parabolam per data puncta, alii consideraverunt assignationem terminorum ex datis differentiis; sed quocunque modo concipiatur, sub quacunque forma proferatur, idem est problema.*"

Hujus rei veritatem ex praecedentibus jam perspicuam pauca alia exempla confirmabunt.

1°. Resumamus formulam nostram (B), quae haec est

$$y = \alpha + \frac{x-a}{b-a} \times (\beta-\alpha) + \frac{(x-a)(x-b)}{c-a} \times \left(\frac{\gamma-\beta}{c-b} - \frac{\beta-\alpha}{b-a}\right)$$

$$+ \frac{(x-a)(x-b)(x-c)}{d-a} \times \left\{ \frac{\frac{\delta-\gamma}{d-c} - \frac{\gamma-\beta}{c-b}}{d-b} - \frac{\frac{\gamma-\beta}{c-b} - \frac{\beta-\alpha}{b-a}}{c-a} \right\} + \text{etc.}$$

et ponamus pro α, β, γ, δ respective a, b, c, d; et similiter pro a, b, c, d, ponamus m, n, p, q, tunc, si omnes terminos quam simplicissimos scribamus, et observemus esse $b-a = -(a-b)$, $d-c+b-a = -(+a-b+c-d)$, habebimus

$$\begin{aligned} y = &+ a \\ &- (a-b)(x-m)(n-m) \\ &+ \big((p-n)a - (p-m)b + (n-m)c\big) \times \cdots\cdots \\ &\cdots\cdots \frac{(x-m)(x-n)}{(n-m)(p-m)(p-n)} \\ &- \left\{ \begin{array}{l} + (p-n)(q-n)(q-p)a - (p-m)(q-n)(q-p)b \\ + (n-m)(q-m)(q-n)c - (n-m)(p-m)(p-n)d \end{array} \right\} \times \cdots \\ &\cdots\cdots \frac{(x-m(x-n)(x-p)}{(n-m)(p-m)(q-m)(p-n)(q-n)(q-p)} \\ &+ \text{etc.} \quad \ldots\ldots\ldots\ldots \quad (I) \end{aligned}$$

quae est formula, quam proposuit F. C. Maier, in Commentatione *de Usu Interpolationis in Solstitiorum momentis indagandis*, inserta in *Comment. Acad. Petropol.* Tom. II.

A.

A. 1727. Formulam hanc alius esse formae dicit Vir Cl. quam formula Newtoni. Putat nempe formulam nostram (C), quae, uti diximus, est specialis ex nostra generaliori (B) deducta, ponendo a, b, c, d, etc. $= 0, 1, 2, 3$. Si vero ponas a, b, c, d etc. $= 1, 2, 3, 4$, evadit aequatio (B)

$$y = \alpha + \frac{x-1}{1}(\beta - \alpha) + \frac{(x-1)(x-2)}{1.\ 2.}(\gamma - 2\beta + \alpha) + \text{etc.} \ldots \ldots (K)$$

eadem iterum ac illa, quam simili modo ex generaliori sua deducit Maier §. 8.

2°. Formula nostra (D) considerari potest tanquam terminus generalis seriei datae, cujus ope omnes termini dati non tantum inveniri possunt, sed etiam alii inter datos interpolari. Convenire itaque debet, et sane convenit, cum formula termini generalis, quam ponit doct. Floryn, in dissertatione, inter opera *primae classis Instituti Regii Belgici*, et etiam separatim edita, cui titulus: *Verhandeling over het Sommeren en Interpoleren van Arithmetische Seriën.* Ibi nempe terminus generalis sub ea forma prodit, quam etiam in formula nostra (K) observamus:

$$T = A + (n-1)B + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\ 2.}C + \frac{(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\ 2.\ 3.}D + \text{etc.} \ldots \ldots (L)$$

Convenientia hujus formulae cum nostra (K) et hinc cum (D) per se manifesta est, ita ut vix opus sit monere, T significare terminum generalem; A terminum primum seriei datae; B, C, D, etc. esse terminos primos differentiarum primarum, secundarum etc. Jam, quod usum hujus formulae ad interpolandum spectat, pauca tantum monenda sunt. Quemadmodum procedimus, ut terminos seriei datae inveniamus, ponendo successive in formula (D) $x = 0, 1, 2, 3$ etc. sive in (L) $n = 1, 2, 3, 4$, ita etiam procedendum est, quando inter duos quoscunque terminos alios interpolare volumus. Dividendum est intervallum in tot partes $+1$ aequales, quot sunt termini inserendi; sic, si unus terminus est interpolandus, in duas partes aequales est dividendum intervallum: si duo, in tres; si tres, in quatuor; si p, in $p+1$. Itaque si inter duos terminos quosvis m et $(m+1)$ unus terminus est interpolandus, fac $x = m + \frac{1}{2}$, si duo termini, fac $x = m + \frac{1}{3}$, $x = m + \frac{2}{3}$, si tres, fac $x = m + \frac{1}{4}$, $x = m + \frac{1}{2}$, $x = m + \frac{3}{4}$, et generatim si p termini sunt interpolandi, sume $x = m + \frac{1}{p+1}$, $x = m + \frac{2}{p+1}$, $x = m + \frac{3}{p+1}$, etc. usque ad $x = m + \frac{p}{p+1}$, pro termino igitur qua-

qualicunque r, erit $x = m + \frac{r}{p+1}$. Eadem quae diximus de x, dicta sunto de n in formula (L). Postea clarior adhuc usus formulae fiet, ubi eam ad exempla applicabimus.

3°. Ductu doct. Floryn l. l. pag. 30, ex formula nostra generali (D) sive ex ipsius formula (L), duas alias, alteram Gardineri, alteram Cl. La Lande deducemus.

Pro serie terminorum, quorum differentiae secundae sunt constantes, formula (D) haec evadit:

$$y = a + \frac{x}{1}\Delta + \frac{x(x-1)}{1.\,2}\Delta''$$

Ponamus jam inserendos esse terminos aliquot p inter duos terminos m et $m+1$. Erit itaque pro termino interpolando, cujus ordinem indicat r, uti vidimus, $x = m + \frac{r}{p+1}$, sive quoniam m tanquam terminus primus considerari potest, erit $x = 1 + \frac{r}{p+1}$; hinc ut obtineamus terminum r, addenda est termino primo a quantitas, quae si ponatur $= X$, sequenti modo invenietur:

$$X = \left(1 + \frac{r}{p+1}\right)\Delta + \frac{\left(1+\frac{r}{p+1}\right)\left(1+\frac{r}{p+1}-1\right)}{1.\,2.}\Delta''$$

$$= \frac{p+1+r}{p+1}\Delta + \left(\frac{p+1+r}{p+1}\right)\left(\frac{r}{p+1}\right)\frac{\Delta''}{2.}$$

$$= \left(\Delta + \frac{r}{p+1}.\frac{\Delta''}{2}\right)\frac{p+1+r}{p+1}.$$

$$= \left(\Delta + \frac{r}{p+1}.\frac{\Delta''}{2}\right)\left(1+\frac{r}{p+1}\right)$$

Sit jam $1 + \frac{r}{p+1} = a$, $a - 1 = b$, tum erit $b = \frac{r}{p+1}$ et

$$X = \left(\Delta + b \times \frac{\Delta''}{2}\right)a.$$

Quae est quantitas addenda termino a, quemadmodum docuit Gardiner.

Si-

Sive, si ponamus $p+1=M$, et $p+1+r=P$, erit $r=P-M$, et

$$X = \left(\Delta + \frac{P-M}{M} \times \frac{\Delta''}{2}\right)\left(1+\frac{P-M}{M}\right)$$
$$= \left(\Delta + \frac{P-M}{M} \times \frac{\Delta''}{2}\right)\frac{P}{M}$$
$$= P \times \frac{\Delta}{M} + P \times \frac{P-M}{M^2} \times \frac{\Delta''}{2}$$
$$= P \times \frac{\Delta}{M} - P \times \frac{M-P}{2} \times \frac{\Delta''}{M^2}$$

quae est formula Cl. La Lande supra pag. 14. ex aliis principiis deducta.

Similiter pro differentiis tertii et generatim altioris ordinis, formulae sine difficultate inveniri poterunt; quod tamen h. l., ne nimis longi simus, omittimus. Ceterum pulchrum est, animadvertisse quo modo ex una eademque formula varias alias deducas, de quarum veritate etiam aliunde constat.

4°. Cum in formula nostra (B), si x fiat successive $= a, b, c, d$, etc. valor ipsius y evadat $\alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc., apparet generalem hujus aequationis formam etiam hanc fore:

$$y = A\alpha + B\beta + C\gamma + D\delta + \text{etc.}$$

in qua valores coëfficientium indeterminatorum A, B, C, D etc. exprimendi sunt valore ipsius x, ita ut,

si $x = a$,	habeamus	$A = 1$,	$B = 0$,	$C = 0$, etc.
si $x = b$,	——	$A = 0$,	$B = 1$,	$C = 0$, etc.
si $x = c$,	——	$A = 0$,	$B = 0$,	$C = 1$, etc.
etc.		etc.	etc.	

Hinc sequitur valores horum coëfficientium fore sequentes:

A =

$$A = \frac{(x-b)\ (x-c)\ (x-d) \times \text{etc.}}{(a-b)\ (a-c)\ (a-d) \times \text{etc.}}$$

$$B = \frac{(x-a)\ (x-c)\ (x-d) \times \text{etc.}}{(b-a)\ (b-c)\ (b-d) \times \text{etc.}}$$

$$C = \frac{(x-a)\ (x-b)\ (x-d) \times \text{etc.}}{(c-a)\ (c-b)\ (c-d) \times \text{etc.}}$$

etc.

unde habebimus

$$y = \frac{(x-b)(x-c)(x-d)}{(a-b)(a-c)(a-d)}\alpha + \frac{(x-a)(x-c)(x-d)}{(b-a)(b-c)(b-d)}\beta + \frac{(x-a)(x-b)(x-d)}{(c-a)(c-b)(c-d)}\gamma + \text{etc.}$$

Formulam hanc simplicissimam proposuerunt Cel. La Grange in opere: *Séances des Écoles Normales*, Tom. IV. pag. 418 sqq., et aliquot annis ante, Eduardus Waring Vir Cl.; cujus tum hoc, tum alia quaedam problemata Interpolationem spectantia inveniuntur in *Phil. Transact.* A. 1779. Vol. LXIX. P. I. pag. 59 et seqq.

5°. In formula nostra (D)

$$y = \alpha + \frac{x}{1}\Delta' + \frac{x(x-1)}{1.2}\Delta'' + \frac{x(x-1)(x-2)}{1.2.3}\Delta''' + \frac{x(x-1)(x-2)(x-3)}{1.2.3.4}\Delta'''' \text{ etc.}$$

duo quique termini proxime sequentes brevius adhuc possunt proponi, et quidem sequenti modo:

$$\frac{x.(x-1)(x-2)}{1.2.3}\Delta''' + \frac{x(x-1)(x-2)(x-3)}{1.2.3.4}\Delta''''$$

$$= \frac{x(x-1)(x-2)}{1.2.3}\Delta''' + \frac{x(x-1)(x-2)}{1.2.3} \times \frac{(x-3)}{4}\Delta''''$$

$$= \frac{x(x-1)(x-2)}{1.2.3} \times \left\{\Delta''' + \frac{x-3}{4}\Delta''''\right\}$$

porro

$$\frac{x(x-1)}{1.2}\Delta'' + \frac{x(x-1)(x-2)}{1.2.3}\Delta''' = \frac{x(x-1)}{1.2}\Delta'' + \frac{x(x-1)}{1.2} \times \frac{(x-2)}{3}\Delta'''$$

$$= \frac{x(x-1)}{1.2}\left\{\Delta'' + \frac{x-2}{3}\Delta'''\right\}$$

et

et tandem

$$\frac{x}{1}\Delta'+\frac{x(x-1)}{1.2}\Delta''=\frac{x}{1}\Delta'+\frac{x}{1}\times\frac{(x-1)}{2}\Delta''=\frac{x}{1}\times\left\{\Delta'+\frac{x-1}{2}\Delta''\right\}$$

Hinc apparet differentias successivè posse corrigi, erit nempe:

$$\Delta''' \text{ correcta} = \Delta''' + \frac{x-3}{4}\Delta''''$$

$$\Delta'' \text{ correcta} = \Delta'' + \frac{x-2}{3}\Delta''' \text{ correcta}$$

$$\Delta' \text{ correcta} = \Delta' + \frac{x-1}{2}\Delta'' \text{ correcta.}$$

Sic etiam in genere, si Δ^m est constans, erit

$$\Delta^{(m-1)} \text{ correcta} = \Delta^{(m-1)} + \frac{x-.m+1}{m}\times\Delta^m$$

$$\Delta^{(m-2)} \text{ correcta} = \Delta^{(m-2)} + \frac{x-m+2}{m-1}\times\Delta^{(m-1)} \text{ correcta, etc.}$$

$$\Delta' \text{ correcta} = \Delta' + \frac{x-1}{2}\Delta'' \text{ correcta.}$$

Hoc modo calculus brevior redditur, nam, quando differentiam primam sive Δ' correctam habemus, interpolatio simpliciter procedit per regulam partium proportionalium.

Hanc methodum a Burckhardtio propositam invenies in *Connaissance des Temps pour l'an 15 de l'Ere Française*, pag. 373. Eadem exemplo illustrata dein repetita est in Cel. von Zach *Monatliche Correspondenz*, A. 1805. T. XII. pag. 332.

Haec quidem de Methodo Interpolandi Newtoniana dicta sunto.

§. III.

Expositio Methodi Celeb. La Grange.

Aliam ingressus est viam Cel. La Grange, ut ejusdem problematis generalem daret solutionem. Cum enim methodus interpolandi Moutoniana ipsi videretur Newtonianâ praestantior, quippe quae simplici additione absolvatur, ideoque in praxi multo sit commodior; neque etiam Cl. La Lande, (qui, ut vidimus, palmario Moutoni invento praeclare

 usus,

usus, duo tantum ejusdem problemata analytice proposuit,) rem toto suo ambitu amplexus fuisset, operae pretium duxit, talem quaerere problematis solutionem, quae cum maxima generalitate summam in praxi facilitatem conjunctam haberet. Hanc autem invenit et exposuit in commentatione inserta in *Mémoires de l'Acad. de Berlin* A. 1792. Nos de ea tantum referemus, quantum nostro consilio satisfacere videtur.

Primum igitur indicandum est, quomodo problema Interpolationis sibi solvendum esse putaverit La Grangius, ut duplici illi consilio satisfaceret; quod paucis poterit absolvi. Nimirum, ut generatim, et simplici additione, inter terminos seriei datae novos quosdam interpolaret, inquirendum esse judicavit, quaenam sit universe ratio inter differentias seriei datae, et differentias ejusdem seriei interpolatae; sive quomodo priores functione secundarum, et vicissim hae functione priorum possint exprimi. Sic enim ex differentiis datis, differentias novae seriei statim comparari posse, quibus inventis, novam seriem ex differentiis novis additione inveniri, quemadmodum differentiae datae ex terminorum seriei datae substractione inventae fuerant. Ut autem hanc rationem inter differentias quam brevissime et facillime inveniret, nova quadam et singulari methodo usus est V. C., quae nititur analogia inter exponentes potestatum et indices differentiarum conspicua, ita ut hi eodem modo ac illi tractari, ac iisdem plane regulis subjici possint. Hanc analogiam, quam caeterum Vir Cel. data opera demonstravit (1), veram esse, vel ex iis patet, quod ejus ope formulae inveniantur, quae etiam ex aliis iisdemque verissimis principiis deducuntur. Cujus rei duo exempla, cum argumento nostro conjunctissima, hic dabimus, dum eos, qui dictae analogiae demonstrationem videre cupiant, ad ipsum La Grangium l. c. remittimus. Indices autem, ut ab exponentibus distinguantur, a parte inferiori literarum scribuntur.

Primum, quod exhibemus, exemplum analogiae inter indices seriei et exponentes potestatum, supra nobis jam adfuit; est nempe illud, quod ostendit, quomodo generatim Differentia quaedam ex terminis datis inveniri possit. Sint enim termini quidam dati, cujus sumantur differentiae:

$$\begin{array}{cccccc} T_0 & T_1 & T_2 & T_3 & T_4 & \text{etc.} \\ T_1 - T_0 & T_2 - T_1 & T_3 - T_2 & T_4 - T_3 & \text{etc.} & \\ T_2 - 2T_1 + T_0 & T_3 - 2T_2 + T_1 & T_4 - 2T_3 + T_2 & \text{etc.} & & \\ T_3 - 3T_2 + 3T_1 - T_0 & T_4 - 3T_3 + 3T_2 - T_1 & \text{etc.} & & & \\ T_4 - 4T_3 + 6T_2 - 4T_1 + T_0 & \text{etc.} & & & & \\ \text{etc.} & & & & & \end{array}$$

Si

(1) Vid. *Mém. de Berlin*, A. 1772.

Sit porro

$$T_1 - T_0 = \Delta_1 \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (*)$$
$$T_2 - 2T_1 + T_0 = \Delta_2$$
$$T_3 - 3T_2 + 3T_1 - T_0 = \Delta_3$$
$$T_4 - 4T_3 + 6T_2 - 4T_1 + T_0 = \Delta_4$$

etc.

tum per inductionem apparet fore differentiam ordinis m hujus formae:

$$\Delta_m = T_m - mT_{m-1} + \frac{m(m-1)}{1.\,2} T_{m-2} + \frac{m(m-1)(m-2)}{1.\,2.\,3} T_{m-3} + \text{etc.} \quad \ldots\ldots (M)$$

Eandem tamen formulam obtinebimus sequenti brevissimo modo, si indices tanquam exponentes tractemus,

$$\text{quoniam } T_1 - T_0 = \Delta_1$$
$$\text{erit } (\Delta_1)_m = (T_1 - T_0)_m$$
$$\text{sive } \Delta_m = (T_1 - T_0)_m$$

Jam si secundum aequationis membrum $(T_1 - T_0)_m$ juxta legem binomii evolvamus, et uti oportet, exponentes inferius, ut indicum vice fungantur, scribamus, eadem prodibit aequatio.

Si ponamus $m=0$, erit $\Delta_0 = T_0$; unde apparet, terminum, qui termino primo differentiarum praecedit, esse eundem ac terminum primum seriei datae.

Alterum exemplum prioris est inversum; in eo nempe quaeritur, ex datis differentiis, terminos seriei invenire. Hoc problema eadem methodo, qua praecedens, solvi potest. Sit nempe series quaedam differentiarum, quarum summae successive sumantur, eodem modo ac in superiore tabula differentiae terminorum computatae sunt:

$$\Delta_0 \qquad \Delta_1 \qquad \Delta_2 \qquad \Delta_3 \qquad \Delta_4 \qquad \Delta_5$$
$$\Delta_0+\Delta_1 \qquad \Delta_1+\Delta_2 \qquad \Delta_2+\Delta_3 \qquad \Delta_3+\Delta_4 \qquad \Delta_4+\Delta_5$$
$$\Delta_0+2\Delta_1+\Delta_2 \qquad \Delta_1+2\Delta_2+\Delta_3 \qquad \Delta_2+2\Delta_3+\Delta_4 \qquad \Delta_3+2\Delta_4+\Delta_5$$
$$\Delta_0+3\Delta_1+3\Delta_2+\Delta_3 \qquad \Delta_1+3\Delta_2+3\Delta_3+\Delta_4 \qquad \Delta_2+3\Delta_3+3\Delta_4+\Delta_5$$
$$\Delta_0+4\Delta_1+6\Delta_2+4\Delta_3+\Delta_4 \qquad \Delta_1+4\Delta_2+6\Delta_3+4\Delta_4+\Delta_5$$
$$\Delta_0+5\Delta_1+10\Delta_2+10\Delta_3+5\Delta_4+\Delta_5$$

etc.

$$\text{Sit jam } \Delta_0 + \Delta_1 = T_1 \quad \ldots \ldots \ldots \ldots \quad (\beta)$$
$$\Delta_0 + 2\Delta_1 + \Delta_2 = T_2$$
$$\Delta_0 + 3\Delta_1 + 3\Delta_2 + \Delta_3 = T_3$$
$$\Delta_0 + 4\Delta_1 + 6\Delta_2 + 4\Delta_3 + \Delta_4 = T_4$$
$$\Delta_0 + 5\Delta_1 + 10\Delta_2 + 10\Delta_3 + 5\Delta_4 + \Delta_5 = T_5$$
etc.

tum per inductionem, aeque ac in casu praecedenti, concludere licet, fore

$$T_m = \Delta_0 + m\Delta_1 + \frac{m.\ m-1}{1.\ 2.}\Delta_2 + \frac{m.\ m-1.\ m-2}{1.\ 2.\ 3.}\Delta_3 + \text{etc.}$$

Quae formula terminum quemvis ex seriei differentiis constare ostendit, et ipsa nulla alia est, nisi formula Newtoniana supra inventa. Ceterum aequationes (β) quas posuimus, veritati haud esse contrarias, per se patet ex aequationibus (α), ex quibus etiam, posito $\Delta_0 = T_0$, successivis additionibus, in formulis (β) indicatis, eosdem valores terminorum seriei, functione suarum differentiarum expressos, invenire licet.

Eadem tamen formula secundum methodum La Grangii multo facilius obtinetur,

$$\text{est enim } \Delta_1 = T_1 - T_0$$
$$\text{hinc } T_1 = T_0 + \Delta_1$$
$$\text{sive quoniam } T_0 = \Delta_0$$
$$T_1 = \Delta_0 + \Delta_1$$
$$(T_1)_m = (\Delta_0 + \Delta_1)_m$$
$$T_m = (\Delta_0 + \Delta_1)_m$$

quae aequatio si eodem modo ac superior tractetur, habebimus

$$T_m = \Delta_0 + m\Delta_1 + \frac{m\ (m-1)}{1.\ 2.}\Delta_2 + \frac{m\ (m-1)\ (m-2)}{1.\ 2.\ 3.}\Delta_3 + \text{etc.} \ldots (N)$$

in qua formula, uti jam diximus Δ_0 idem est ac T_0.

Cum igitur ex duobus his exemplis satis superque appareat, quod et quale sit artificium, cujus ope La Grangius solutionem nostri problematis invenerit, jam ad ipsam hanc solutionem exponendam progrediendum est. Idcirco ponamus duas esse series, alteram:

$$T_0\ T_1\ T_2\ T_3\ T_4 \ldots\ldots T_m \text{ etc.} \ldots\ldots\ldots \quad (\gamma)$$

cujus

cujus differentiae sint ut supra:

$$\Delta_1 \;\; \Delta_2 \;\; \Delta_3 \;\; \Delta_4 \;\; \Delta_5 \ldots\ldots \Delta_n + 1 \;\; \text{etc.}$$

alteram:

$$t_0 \;\; t_1 \;\; t_2 \;\; t_3 \;\; t_4 \ldots\ldots t_n \;\; \text{etc.} \ldots\ldots\ldots (\delta)$$

cujus differentiae sint:

$$\delta_1 \;\; \delta_2 \;\; \delta_3 \;\; \delta_4 \;\; \delta_5 \ldots\ldots \delta_{n+1} \;\; \text{etc.}$$

Ponamus porro singulos terminos prioris seriei aequales esse terminis alterius, ad aequales distantias a se invicem sumtis, ita ut generalem habeamus aequationem:

$$T_s = t_{ms} \ldots\ldots\ldots\ldots (\varepsilon)$$

i. e., si v. g., $m = 2$, et s successive 1, 2, 3, 4 etc. erit

$$T_0 = t_0; \;\; T_1 = t_2; \;\; T_2 = t_4; \;\; T_3 = t_6; \;\; \text{etc.}$$

et si $m = 3$, erit

$$T_0 = t_0; \;\; T_1 = t_3; \;\; T_2 = t_6; \;\; T_3 = t_9; \;\; \text{etc.}$$

et sic porro.

Jam vero, cum in seriebus (γ) et (δ) propositis, talis inter terminos datos eorumque differentias observatur relatio, qualis ex duobus praecedentibus exemplis, et jam passim animadvertenda nobis fuit, atque praeterea series ipsae tali modo inter se junctae sunt, qualem aequatio (ε) generatim ostendit, quaeritur quaenam etiam inter utriusque seriei (γ) et (δ) differentias futura sit relatio. Haec autem ope methodi La Grangianae brevi et facile innotescet. Etenim ex aequatione

$$T_s = t_{ms}$$

operatione inversa illius, quam supra in duobus exemplis adhibuimus, sc. extractione radicis, sequitur,

$$T_1 = t_m = (t_1)_m$$

at vero vidimus esse $T_1 = \Delta_0 + \Delta_1$

et $t_1 = \delta_0 + \delta_1$

ergo $\Delta_0 + \Delta_1 = (\delta_0 + \delta_1)_m$

ex hac aequatione valor ipsius Δ exprimi poterit functione δ, et vicissim.

$$\text{Erit enim } \Delta_1 = (\delta_0 + \delta_1)_m - \Delta_0$$
$$\text{at } \Delta_0 = T_0 = t_0 = \delta_0$$
$$\text{ergo } \Delta_1 = (\delta_0 + \delta_1)_m - \delta_0$$
$$\text{et } \Delta_s = \left\{ (\delta_0 + \delta_1)_m - \delta_0 \right\}_s$$

evolvendo per binomium $(\delta_0 + \delta_1)_m$, ut supra, habebimus

$$\Delta_s = \left\{ m\delta_1 + \frac{m(m-1)}{1.\ 2.}\delta_2 + \frac{m(m-1)(m-2)}{1.\ 2.\ 3.}\delta_3 + \text{etc.} \right\}_s$$

disparet enim terminus δ_0, nam $(\delta_0)_m = \delta_0$, et $(\delta_0)_s = \delta_0$, quorum alter est positivus, alter negativus.

Hanc aequationem si iterum ad potestatem s evehas, ut relationem inter differentias cujuscunque ordinis cognoscas, habebis aliam hujus formae,

$$\Delta_s = A\delta_s + B\delta_{s+1} + C\delta_{s+2} + E\delta_{s+3} + \text{etc.} \quad \ldots \ldots \ldots (O)$$

Cujus coëfficientes, A, B, C, etc. sequentes invenit La Grangius:

$$A = m^s$$
$$B = s \times \frac{m-1}{1.2} A$$
$$C = \frac{2s}{2} \times \frac{(m-1)(m-2)}{1.\ 2.\ 3} A + \frac{s-1}{1.2} \times \frac{m-1}{1.2} B$$
$$E = \frac{3s}{3} \times \frac{(m-1)(m-2)(m-3)}{1.\ 2.\ 3.\ 4} A + \frac{2s-1}{3} \times \frac{(m-1)(m-2)}{1.\ 2.\ 3} B + \frac{s-2}{3} \times \frac{m-1}{2} C.$$

Valores horum coëfficientium facile inveniuntur: si nempe aequationis

$$\left(m\delta_1 + \frac{m.\ m-1}{1.\ 2.}\delta_2 + \frac{m.\ m-1.\ m-2}{1.\ 2.\ 3.}\delta_3 \text{ etc.}\right)_s = A\delta_s + B\delta_{s+1} + C\delta_{s+2} + \text{etc.} \quad \ldots (1)$$

membrum anterius ad potestatem s evehamus, et dein illos terminos in utroque membro,

bro, qui eundem indicem (sive exponentem) gerunt, inter se comparemus. Requiritur igitur ut $m\delta_1 + \frac{m.\,m-1}{1.\,2}\,\delta_2 + \frac{m.\,m-1.\,m-2}{1.\,2.\,3}\,\delta_3$ + etc. ad potestatem s evehamus, sed exponentes, ut indicum vice fungantur, inferius scribamus. Quod ut facillime fiat, ponamus $m = a$, $\frac{m.\,m-1}{1.\,2} = b$, $\frac{m.\,m-1.\,m-2}{1.\,2.\,3} = c$, etc. tum prius aequationis membrum hanc induet formam:

$$(a\delta_1 + b\delta_2 + c\delta_3 + \text{etc.})_s$$

haec autem etiam sequenti modo proponi potest:

$$a^s\left(1 + \frac{b}{a}\delta_1 + \frac{c}{a}\delta_2 + \text{etc.}\right)_s\delta_s$$

sit porro $\frac{b}{a} = p$, $\frac{c}{a} = q$, etc. tum brevior adhuc fiet expressio, in sequentem mutata:

$$a^s(1 + p\delta_1 + q\delta_2 + \text{etc.})_s\delta_s$$

Jam vero factor $(1 + q\delta_1 + q\delta_2 + \text{etc.})_s$, si indices eodem modo ac exponentes tractemus, in sequentem celebratissimam seriem convertitur,

$$(1 + p\delta_1 + q\delta_2 + \text{etc.})_s = 1 + sp\delta_1 + \left(sq + \frac{s.\,s-1}{1.\,2}p^2\right)\delta_2$$
$$+ \left(\frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times 2pq + \frac{s.\,s-1.\,s-2}{1.\,2.\,3}p^3\right)\delta_3 + \text{etc.}$$

sive, si pro p et q etc. suos valores $\frac{b}{a}$ et $\frac{c}{d}$ etc. substituamus:

$$\left(1+\frac{b}{a}\delta_1+\frac{c}{a}\delta_2+\text{etc.}\right)_s = 1 + s\frac{b}{a}\delta_1 + \left(s\frac{c}{a} + \frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times \frac{b^2}{a^2}\right)\delta_2$$
$$+ \left(\frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times 2\frac{bc}{a^2} + \frac{s.\,s-1.\,s-2}{1.\,2.\,3} \times \frac{b^3}{a^3}\right)\delta_3 + \text{etc.}$$

quam aequationem si per a^s et δ_s multiplicemus, habebimus:

$(a\delta_1$

$$(a\delta_1 + b\delta_2 + c\delta_3 + \text{etc.})_s = a^s \left\{ 1 + s\frac{b}{a}\delta_1 + \left(s\frac{c}{a} + \frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times \frac{b^2}{a^2}\right)\delta_2 + \left(\frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times 2\frac{bc}{a^2} + \frac{s.\,s-1.\,s-2}{1.\,2.\,3} \times \frac{b^3}{a^3}\right)\delta_3 + \text{etc.} \right\}\delta_s$$

$$= a^s\delta_s + sa^{s-1}b\delta_{s+1} + sa^{s-1}c\delta_{s+2} + \frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times a^{s-2}b^2\delta_{s+2} + \frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times 2a^{s-2}bc\,\delta_{s+3} + \frac{s.\,s-1.\,s-2}{1.\,2.\,3}a^{s-3}b^3\delta_{s+3} + \text{etc.}$$

$$= a^s\delta_s + sa^{s-1}b\delta_{s+1} + \left(sa^{s-1}c + \frac{s.\,s-1}{1.\,2}a^{s-2}b^2\right)\delta_{s+2} + \left(\frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times 2a^{s-2}bc + \frac{s.\,s-1.\,s-2}{1.\,2.\,3}a^{s-3}b^3\right)\delta_{s+3} + \text{etc.}$$

Jam si terminos in ultima hac serie et in serie (1) ad easdem potestates evectos inter se comparemus, simplici resolutione aequationum incogniti coëfficientes A, B, C, etc. determinabuntur, sc.

$$A\delta_s = a^s\delta_s$$
$$\text{hinc } A = a^s = m^s$$

$$\text{Porro } B\delta_{s+1} = sa^{s-1}b\delta_{s+1}$$
$$\text{hinc } B = sa^{s-1}b$$
$$= sm^{s-1} \times \frac{m.\,m-1}{1.\,2}$$
$$= s \times \frac{m^{s-1}.\,m.\,m-1}{1.\,2}$$
$$= s \times \frac{m-1}{2} \times m^s$$
$$= s \times \frac{m-1}{2} \times A.$$

$$C\delta_{s+2} = \left(sa^{s-1}c + \frac{s.\,s-1}{1.\,2}a^{s-2}b^2\right)\delta_{s+2}$$
$$\text{hinc } C = sa^{s-1}c + \frac{s.\,s-1}{1.\,2}a^{s-2}b^2$$
$$= sm^{s-1} \times \frac{m.\,m-1.\,m-2}{1.\,2.\,3} + \frac{s.\,s-1}{1.\,2} \times m^{s-2} \times \left(\frac{m.\,m-1}{1.\,2}\right)^2$$
$$= s \times$$

$$= s \times \frac{m^{s-1}.\ m.\ m-1.\ m-2}{1.\ 2.\ 3.} + \frac{s.\ s-1}{1.\ 2.} \times \frac{m^{s-2}.\ m.\ m.\ m-1.\ m-1}{2.\ 2.}$$

$$= s \times \frac{m-1.\ m-2}{1.\ 2.\ 3.} \times m^s + \frac{s-1}{2} \times \frac{m^2.\ m-1.\ m^{s-2}}{2} \times s\,\frac{m-1}{2}$$

$$= s \times \frac{m-1.\ m-2}{1.\ 2.\ 3.} \times m^s + \frac{s-1}{2} \times \frac{m-1}{2} \times s \times \frac{m-1}{2} \times m^s$$

$$= s \times \frac{m-1.\ m-2}{1.\ 2.\ 3.} \times \text{A} + \frac{s-1}{2} \times \frac{m-1}{2} \times \text{B}.$$

et sic pro ceteris coëfficientibus.

Eodem modo valor ipsius δ functione Δ exprimi potest; nam quoniam

$$(\delta_0 + \delta_1)^m = \Delta_0 + \Delta_1$$

$$\text{erit } \delta_0 + \delta_1 = (\Delta_0 + \Delta_1)^{\frac{1}{m}}$$

$$\text{hinc, quoniam } \delta_0 = \Delta_0$$

$$\text{erit } \delta_1 = (\Delta_0 + \Delta_1)^{\frac{1}{m}} - \Delta_0$$

$$\text{et } \delta_s = \left\{(\Delta_0 + \Delta_1)^{\frac{1}{m}} - \Delta_0\right\}^s,$$

Quam aequationem si eodem modo ac superiorem tractaveris, obtinebis,

$$\delta_s = a\Delta_s + b\Delta_{s+1} + c\Delta_{s+2} + e\Delta_{s+3} + \text{etc.} \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad (\text{P})$$

et valores coëfficientium sequentes:

$$a = \frac{1}{m^s}$$

$$b = s \times \frac{1-m}{2m}\, a$$

$$c = \frac{2s}{2} \times \frac{(1-m)(1-2m)}{1.\ 2.\ 3.\ m^2}\, a + \frac{s-1}{2} \times \frac{1-m}{2m}\, b$$

$$e = \frac{3s}{3} \times \frac{(1-m)(1-2m)(1-3m)}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ m^3}\, a + \frac{2s-1}{3} \times \frac{(1-m)(1-2m)}{1.\ 2.\ 3.\ m^2}\, b$$

$$+ \frac{s-2}{3} \times \frac{1-m}{2m}\, c.$$

qui valores facile ex prioribus deducuntur, si pro m ponas $\frac{1}{m}$.

F Duae

Duabus his formulis (O) et (P) generalis continetur solutio problematis de interpolatione secundum methodum, quam primus proposuit Mouton. Etenim si detur series interpolanda T_0, T_1, T_2, T_3 etc., cujus differentiae Δ_1, Δ_2, Δ_3 etc. sunt cognitae, et si inter duo quosque terminos $(m-1)$ termini sint interpolandi, ita ut quodque intervallum in m partes dividatur, apparet novae seriei terminos, quos ponamus esse t_0, t_1, t_2, t_3 etc., si nempe semper m^{ti} sumantur, fore aequales terminis seriei datae T_0, T_1, T_2, T_3 etc., ita ut sit $t_0 = T_0$, $t_m = T_1$, $t_{2m} = T_2$, $t_{3m} = T_3$ et in genere $t_{rm} = T_r$, quae est aequatio fundamentalis, ex quibus ceteras deduximus. Cognoscuntur itaque differentiae cujuscunque ordinis seriei inveniendae, ope differentiarum seriei datae; et per has differentias successivis additionibus cognoscuntur termini interpolandi.

Haec de hac solutione sufficiant, nam, quae in ea adhuc obscuriora sunt, iis dein, ubi formularum usum exemplis illustrabimus, majorem aliquanto lucem affundere poterimus.

§. IV.

Problematis de Interpolatione solutio ope calculi Differentiarum.

Resumamus aequationem nostram (B'), et in ea pro ipsis differentiis ponamus earum characterem Δ_1, Δ_2, Δ_3, etc. tum habebimus:

$$y = a + \frac{x}{h}\Delta_1 + \frac{x(x-h)}{h.\ 2h}\Delta_2 + \frac{x(x-h)(x-2h)}{h.\ 2h.\ 3h}\Delta_3 + \text{etc.}$$
$$+ \frac{x(x-h)(x-2h)\ldots\ldots(x-(n-1)h)}{h.\ 2h.\ 3h\ldots\ldots\ldots\ldots nh.}\Delta_n + \text{etc.}$$

quae est formula generalis ad interpolandum inter duos seriei datae terminos subsequentes, et unitate a se invicem distantes, numerum quemvis $h-1$ terminorum intermediorum. Etenim ut $h-1$ termini interpolentur, intervallum inter duos terminos datos dividendum erit in h partes aequales, et quaerendus valor ipsius y, qui convenit singulis partibus $\frac{1}{h}$, $\frac{2}{h}$, $\frac{3}{h}$, $\frac{4}{h}$ etc., quod fieri poterit, si in formula nostra pro x ponatur successive 1, 2, 3, 4 etc.

Ponamus porro, quando x successive unitate augetur, valores inde emergentes pro x et y fieri sequentes:

x	x	y
$x+1$	Δx	δy
$x+2$	$\Delta^2 x$	$\delta_2 y$
$x+3$	$\Delta^3 x$	$\delta_3 y$
$x+4$	$\Delta^4 x$	$\delta_4 y$
etc.	etc.	etc.
$x+n$	$\Delta^n x$	$\delta_n y$

Quod si igitur formulam nostram generalem differentiemus, tum, omissis post differentiationem terminis constantibus, habebimus aequationes sequentes pro differentiis primis, secundis, tertiis, sive pro δy, $\delta_2 y$, $\delta_3 y$ etc.

$$\delta y = \frac{\Delta x}{h}\Delta_1 + \frac{\Delta[x(x-h)]}{h.\ 2h}\Delta_2 + \frac{\Delta[x(x-h)(x-2h)]}{h.\ 2h.\ 3h}\Delta_3 + \text{etc.}$$

$$\delta_2 y = \frac{\Delta^2[x(x-h)]}{h.\ 2h}\Delta_2 + \frac{\Delta^2[x(x-h)(x-2h)]}{h.\ 2h.\ 3h}\Delta_3 + \text{etc.}$$

$$\delta_3 y = \frac{\Delta^3[x(x-h)(x-2h)]}{h.\ 2h.\ 3h}\Delta_3 + \text{etc.}$$

et in genere

$$\delta_n y = \frac{\Delta^n[x(x-h)(x-2h)\ldots\ldots(x-(n-1)h)]}{1.\ 2.\ 3.\ \ldots\ldots\ldots\ldots\ nh^n}\Delta_n$$

$$+ \frac{\Delta^n[x(x-h)(x-2h)\ldots\ldots(x-nh)]}{1.\ 2.\ 3.\ \ldots\ldots\ldots\ (n+1)h^{n+1}}\Delta_{n+1}$$

$$+ \frac{\Delta^n[x(x-h)(x-2h)\ldots\ldots(x-(n+1)h)]}{1.\ 2.\ 3.\ \ldots\ldots\ldots\ (n+2)h^{n+2}}\Delta_{n+2}$$

ponamus jam

$$x(x-h)(x-2h)\ldots\ldots(x-(n-1)h) = X_n$$
$$x(x-h)(x-2h)\ldots\ldots(x-nh) = X_{n+1}$$
$$x(x-h)(x-2h)\ldots\ldots(x-(n+1)h) = X_{n+2}$$
etc.

tum erit

$$\delta_n y = \frac{\Delta^n X_n}{1.\ 2.\ 3.\ \ldots\ nh^n}\Delta_n + \frac{\Delta^n X_{n+1}}{1.\ 2.\ 3.\ \ldots\ (n+1)h^{n+1}}\Delta_{n+1}\ \ldots\ldots \text{(Q)}$$

$$+ \frac{\Delta^n X_{n+2}}{1.\ 2.\ 3.\ \ldots\ (n+2)h^{n+2}}\Delta_{n+2} + \text{etc.}$$

 Quae

Quae est formula, ad quam solutionem problematis reduxit Prony, et quae aeque ac illa Celeb. La Grange differentias seriei interpolatae exhibet, determinatas functionibus differentiarum seriei datae. Vid. *Leçons d'Analyse de Prony*, in *Journal de l'École Polytechnique*, Cah. IV. p. 551 et seqq.

§. V.

Insignis calculi Differentialis usus in tabulis quibusvis interpolandis.

Haec interpolandi methodus, quae calculo differentiali nititur, sponte sua nos ducit ad exponendam similem methodum computandi tabulas Logarithmicas et Goniometricas. In his enim, si termini nonnulli aequalibus spatiis a se invicem distantes, ope formularum, quae huic consilio inserviunt, sint computati, caeteri termini facilius et brevius ope interpolationis possunt inveniri, et quidem juxta eandem methodum, quam Cel. Prony proposuit. Etenim si formulae generales, quae singulis terminis computandis sunt adaptatae, differentiationi subjiciantur, formulae obtinentur differentiales, juxta quas differentiae successivae seriei interpolatae determinari possunt, atque ex his differentiis simplici additione termini interpolandi. Quod igitur cum breviter adhuc exponemus, simul ostendere conabimur hanc interpolandi methodum ope calculi differentialis aeque esse accuratam, ac si singuli termini ex aequatione generali fuissent deducti. Praemittemus autem generalem demonstrationem methodi Briggsianae computandi Logarithmos, quam Cel. La Grange exhibuit in Commentatione inserta in *Nouv. Mém. de l'Acad. de Berlin*, A. 1783.

Sit ϕx functio qualiscunque incognita ipsius x, sed ad eam determinandam data sit aequatio inter ϕx et ϕX. Jam si pro valore quodam dato ipsius X ponamus cognitum esse valorem ϕx, quaeritur valorem ipsius ϕx pro quocunque alio valore ipsius X.

Sit $\phi x = y$ et $\phi X = Y$. Habebimus aequationem inter x et X, et inter y et Y. Jam si $x = X$, erit $y = Y$. Hinc aequationes inter x et X et inter y et Y reducuntur ad alias, quae tantum x et y continebunt, et sic facile eorum valores determinant. Sint hi valores pro $x \ldots \alpha$ pro $y \ldots \beta$.

Jam quoniam $x = \alpha$ dat $y = \beta$, erit, si $x = \alpha + \xi$, $y = \beta + \gamma\xi + \delta\xi^2 + \varepsilon\xi^3$ etc., et si ξ adeo parva sit, ut ξ^2, ξ^3 etc. dispareant ratione ipsius ξ, habebimus simpliciter, quando $x = \alpha + \xi$, $y = \beta + \gamma\xi$, in qua aequatione valor coëfficientis γ est determinandus. Qui valor ut innotescat, cogniti esse debent duo alii valores incognitorum x et y; ponamus illos valores esse cognitos, ita ut, quando $x = a$, y sit $= b$; et quaeramus successive, quando $x = a$, valorem ipsius X; sit hic valor $=$ A, porro ponamus

namus $x = A$, et quaeramus valorem ipsius X; sit hic valor $= A'$; ponamus iterum $x = A'$ et sit valor ipsius $X = A''$ etc. tum, eadem quaestione cum y instituta, ita ut successive, si $y = b$, sit $Y = B$; si $y = B$, $Y = B'$; si $y = B'$, $Y = B''$ etc., duas habebimus sequentes series:

$$\begin{array}{llllll} a, & A, & A', & A'', & A''' & \text{etc.} \\ b, & B, & B', & B'', & B''' & \text{etc.} \end{array}$$

ita ut, si x aequalis ponatur termino cuidam in serie priori, y aequalis evasurus sit termino convenienti in altera serie.

Quo magis autem termini seriei a, A, A', A'' etc. invicem aequales fiunt, eo magis accedunt ad quantitatem α. Etenim ponamus duos terminos esse aequales, v. g.

$$A' = A''$$

tum, quoniam posuimus valorem ipsius X esse $= A''$, quando $x = A'$, ex aequatione $A' = A''$ per se sequitur

$$x = X$$

at vero posuimus valorem ipsius x, quando est $= X$, esse α, hinc erit

$$\alpha = A' = A''$$

Quo magis igitur termini seriei a, A, A', A'' etc., (et idem valet de serie b, B, B', B'' etc.) ad aequalitatem vergunt, eo magis accedent ad quantitatem α, ita ut poni possit

$$A'''^{\text{etc.}} = \alpha + \xi \qquad B''' = \beta + \gamma\xi.$$

Ex priori aequatione sequitur $\xi = A'''^{\text{etc.}} - \alpha$; quo valore in altera aequatione substituto, erit:

$$B'''^{\text{etc.}} = \beta + \gamma\,(A'''^{\text{etc.}} - \alpha)$$

$$\gamma\,(A'''^{\text{etc.}} - \alpha) = B'''^{\text{etc.}} - \beta$$

$$\gamma = \frac{B'''^{\text{etc.}} - \beta}{A'''^{\text{etc.}} - \alpha}$$

et sic valor coëfficientis γ erit cognitus. Eodem modo ab altera parte series extendi posset, ita ut, positis valoribus

pro x . . . . a, a', a'', a''' etc.
pro y . . . . b, b', b'', b''' etc.

similiter futura sit

$$y = \frac{b'''\text{ etc.} - \beta}{a'''\text{ etc.} - \alpha}$$

Altera haec aequatio adhibenda erit, si termini seriei prioris a, A, A' etc., non versus aequalitatem tendant, i. e. si divergant, tum enim versus alteram partem convergent.

His pro casu particulari demonstratis, facile apparet, pro casu generali, i. e. pro alio quocunque valore incogniti, eandem demonstrationem valere, ita ut hanc etiam exhibere opus non sit; exemplo potius rem illustremus, et quidem eodem illo, quod etiam La Grange exhibuit, qui suam methodum Logarithmis accommodavit, tum quoniam hoc nostro consilio convenit, tum quoniam ex eo simul patebit, quomodo Briggsius Logarithmos computaverit.

Quoniam igitur hic de Logarithmis res est, erit $\phi x = \text{l.}\, x$, et ex nota Logarithmorum proprietate, quod sc. $\text{l.}\, x^2 = 2\,\text{l.}\, x$, erit aequatio inter ϕx et ϕX haec:

$$\phi x^2 = 2\phi x$$
$$\text{et} \quad x^2 = X$$

jam si, ut supra, ponamus $\phi x = y$ et $\phi X = Y$, erit $Y = 2y$; et si faciamus $x = X$, erit $x = x$, quae aequatio subsistere nequit nisi $x = 1$, habemus igitur $\alpha = 1$; et si $y = Y$, erit $y = 2y$ quae ob eandam causam dat $y = 0 = \beta$.

Jam quod attinet ad valores a et b, qui noti esse debent, hi pendent a systemate Logarithmorum, quod assumitur. In systemate Briggsiano, est L. $10 = 1$, hinc $x = 10$, $y = 1$, ergo $a = 10$, $b = 1$.

Ponamus ut supra $x = a = 10$ et quaeramus valorem ipsius $X = A$; tum, quoniam $X = x^2$, erit $A = 10^2$; posito $x = A = 10^2$, erit ob eandem causam $X = A' = 10^4$; posito $x = A' = 10^4$, erit $X = A'' = 10^8$ et sic porro. Similiter posito $y = b = 1$, erit, quoniam $Y = 2y$, $B = 2$, $B' = 4$, $B'' = 8$ etc.

Duae autem hae series divergunt, adeoque a quantitate α et β recedunt, igitur ab altera parte sunt deducendae, et quaerendi valores serierum

a, a', a'', a''' etc. $\qquad$ b, b', b'', b''' etc.

pro quibus simili ratiocinatione invenies

$$10, \sqrt{10}, \sqrt[4]{10}, \sqrt[8]{10} \text{ etc.} \quad 1, \frac{1}{2}, \frac{1}{4}, \frac{1}{8} \text{ etc.}$$

qui valores magis magisque ad quantitates $\alpha = 1$ et $\beta = 0$ accedunt. Hi igitur in auxilium sunt vocandi ad determinandum valorem coëfficientis γ.

Repetita extractione radicis quadratae ex numero 10, pervenies tandem ad radicem parum ab unitate discrepantem, et repetita bisectione unitatis tandem quantitatem obtinebis parum a 0 differentem; et quidem in utroque casu adeo parum, ut quadrata terminorum $a'''^{\text{ etc.}} - \alpha = a'''^{\text{ etc.}} - 1$, et $b'''^{\text{ etc.}} - \beta = b'''^{\text{ etc.}} - 0 = b'''$, prorsus in censum non veniant, et $= 0$ poni possint. Hi igitur termini, alter per alterum divisi, dabunt coëfficientem γ. Briggsius quinquagesies et quater, imo sexagesies radicem quadratam continuam ex numero 10 quaesivit, totiesque unitatem bisecavit, invenitque post divisionem:

$$\gamma = 0{,}4342\ 94481\ 90325\ 18 \text{ etc.}$$

Hic valor coëfficientis γ est constans, et Logarithmis numerorum quorumcunque inveniendis inservit. Si enim quaeratur Logarithmus numeri M, eodem modo ac pro numero 10, formanda est series

$$m,\ m',\ m'',\ m''' \text{ etc.}$$

ita ut $m' = \sqrt{m}$, $m'' = \sqrt[4]{m}$, $m''' = \sqrt[8]{m}$ etc. et quidem eo usque, ac pro serie α indicavimus. Porro si y fiat N, quando $x = $M, formanda est series

$$n,\ n',\ n'',\ n''' \text{ etc.}$$

ita ut $n' = \frac{1}{2}n$, $n'' = \frac{1}{4}n$, $n''' = \frac{1}{8}n$, etc.

Jam, quemadmodum supra habuimus $B'''^{\text{ etc.}} = \beta + \gamma\ (A'''^{\text{ etc.}} - \alpha)$, sic jam habebimus $n'''^{\text{ etc.}} = \beta + \gamma\ (m'''^{\text{ etc.}} - \alpha)$. Singuli autem termini n, $\frac{1}{2}n$ $\frac{1}{4}n$, etc. formantur continua bisectione numeri n, igitur si λ sit exponens termini $n'''^{\text{ etc.}}$, erit $n'''^{\text{ etc.}} = \frac{n}{2^\lambda}$, et $n = n'''^{\text{ etc.}} \times 2^\lambda$, quo valore substituto, erit, quoniam $\alpha = 1$ et $\beta = 0$

$$\frac{n}{2^\lambda} = \gamma\ (m'''^{\text{ etc.}} - 1)$$

$$\text{et } n = 2^\lambda \times \gamma\ (m'''^{\text{ etc.}} - 1) \quad \ldots\ldots\ldots\ldots \quad (R)$$

Hoc

Hoc modo Logarithmi omnium numerorum inveniuntur directe, sed uti apparet, methodo longa et laboriosa. Nil itaque mirum, quod alias methodos quaesiverint Mathematici, quibus expeditius et facilius eos computarent. Tales inventas esse, cum satis notum sit, hoc loco non nisi verbo indicabimus, quo modo ex formula nostra (R) formula Logarithmica fundamentalis deduci possit.

Quoniam in aequatione nostra (R), $m'''^{\text{etc.}} = \sqrt[2^\lambda]{m}$, et $n = \text{l. } m$, erit

$$\text{l. } m = 2^\lambda \times \gamma\,(\sqrt[2^\lambda]{m} - 1)$$

et quoniam 2^λ est numerus valde magnus, ponamus $\frac{1}{2^\lambda} = i$, qui erit numerus valde parvus, adeoque, quoniam $\sqrt[2^\lambda]{m} = m^{\frac{1}{2^\lambda}} = m^i$, erit

$$\text{l. } m = \frac{\gamma\,(m^i - 1)}{i}$$

sit porro $m = 1 + z$, tum erit $m^i = (1 + z)^i$

$$= 1 + iz + \frac{i\,(i-1)}{1.\,2}\,z^2 + \frac{i\,(i-1)\,(i-2)}{1.\,2.\,3}\,z^3 + \text{etc.}$$

et quoniam i est valde parvus, ejus ratione habita, i^2, i^3 etc. disparent, adeoque

$$m^i = 1 + iz - \frac{1}{2}iz^2 + \frac{1}{3}iz^3 - \text{etc.}$$

$$= 1 + i\,(z - \frac{1}{2}z^2 + \frac{1}{3}z^3 - \text{etc.})$$

quo valore substituto in aequatione $\text{l. } m = \frac{\gamma\,(m^i - 1)}{i}$, erit

$$\text{l. } m = \text{l. }(1 + z) = \frac{\gamma\,[\,1 + i\,(z - \frac{1}{2}z^2 + \frac{1}{3}z^3 - \text{etc.}) - 1\,]}{i}$$

i. e.

$$\text{l. }(1 + z) = \gamma\,[\,z - \tfrac{1}{2}z^2 + \tfrac{1}{3}z^3 - \tfrac{1}{4}z^4 + \text{etc.}\,] \quad \ldots\ldots\ldots \quad (S)$$

formula notissima, quae etiam ex aliis principiis deducitur, et fundamentum est omnium aliarum formularum, quae computandis Logarithmis inserviunt (1). Tempus non teram iis

(1) Vix memorandum est, γ in tota hac disquisitione nihil esse aliud, nisi quod Mathematici Modulum systematis vocant et quam literâ M exprimere solent.

iis formulis demonstrandis. Malo pergere ad exponendam methodum interpolandi logarithmos inter alios datos, et secundum formulam fundamentalem, vel aliam ex ea deductam, inventos. Methodus illa nititur, ut diximus, calculo differentiali, cujus in hac re insignem usum fuse admodum et egregie demonstravit Cel. De Lambre in Commentatione, inserta in *Mémoires de l'Acad. de Turin*, Vol. V. A. 1790—91.

Eadem autem ratiocinatio, quam superiori § adhibuimus, etiam hic valet, ita ut facile appareat rem esse simplicissimam et paucis absolvi. Si nempe formulam fundamentalem, quae omnibus terminis computandis inservit, differentiaveris, differentias cujusvis ordinis tibi comparare et in antecessum computare poteris, quae termino, ope formulae generalis invento, additae, terminum dabunt quaesitum. Sic formula differentialis Logarithmi N, sive d. Log. N est, uti notum, $=$ Log. $(N+d.N)$ — Log. N, at

$$\text{Log.}\,(N+d.N) = \text{Log.}\,N + M\left\{\frac{d.N}{N} - \tfrac{1}{2}\left(\frac{d.N}{N}\right)^2 + \tfrac{1}{3}\left(\frac{d.N}{N}\right)^3 - \text{etc.}\right\}$$

adeoque substitutione facta, erit:

$$d.\,\text{Log.}\,N = M\left\{\frac{d.N}{N} - \tfrac{1}{2}\left(\frac{d.N}{N}\right)^2 + \tfrac{1}{3}\left(\frac{d.N}{N}\right)^3 - \text{etc.}\right\} \quad . \; . \; . \; . \; . \; (T)$$

et ponendo d. N infinite parvum, quo facto disparent $(d.N)^2$, $(d.N)^3$, etc. erit:

$$d.\,\text{Log.}\,N = M\left(\frac{d.N}{N}\right)$$

hinc sequentes differentiae erunt:

$$d^2\,\text{Log.}\,N = -\quad M\left(\frac{d.N}{N}\right)^2$$

$$d^3\,\text{Log.}\,N = +\;\; 2.M\left(\frac{d.N}{N}\right)^3$$

$$d^4\,\text{Log.}\,N = -2.3.M\left(\frac{d.N}{N}\right)^4$$

Si N ratione d. N est valde magnus, error harum formularum erit perparvus, ut deinceps patebit. Caeterum si ponamus d. $N=1$, quemadmodum in construendis tabulis requiritur, ubi singuli termini unitate a se invicem distant, differentiae nostrae inventae, erunt:

$$\text{d. Log. N} = + \frac{M}{N}$$

$$\text{d}^2 \text{ Log. N} = - \frac{M}{N^2}$$

$$\text{d}^3 \text{ Log. N} = + \frac{2M}{N^3}$$

$$\text{d}^4 \text{ Log. N} = - \frac{6M}{N^4}$$

etc.

Usus autem harum formularum hic est. Pro N assumi potest numerus quivis, sed quo major sit, eo accuratior erit computus. Logarithmi hujus numeri sumatur differentia prima, secundum formulam (T) quoniam haec omnino accurata requiritur. Huic differentiae primae si addatur Log. N, terminus proxime sequens orietur. Huic termino si iterum addas differentiam primam inventam, ut et differentiam secundam (quae, quoniam signo — affecta est, auferenda est) alterum terminum quaesitum obtinebis. Terminum tertium habebis, si termino secundo addas differentiam primam et tertiam, auferas vero differentiam secundam; et sic porro. Eodem modo terminus, qui termino dato praecedit, invenietur, mutata tantum additione in substractionem (1).

Sic simplici additione vel substractione Logarithmi omnium numerorum inveniri possunt, sed si accurate agere velimus, correctiones quaedam sunt instituendae; sive, post singulos centenos terminos, de novo computanda est differentia prima, sive conferendus est computus hoc modo institutus cum computatione logarithmorum secundum formulam quandam logarithmicam directam.

Dicimus autem correctiones esse instituendas, quoniam differentia secunda logarithmica, quam $= - \frac{M}{N^2}$ posuimus, non est accurata; videamus igitur quantum haec a veritate aberret.

Si in formula Logarithmica supra inventa (S):

$$L(1+z) = M(z - \tfrac{1}{2}z^2 + \tfrac{1}{3}z^3 - \tfrac{1}{4}z^4 + \text{etc.})$$

ponas $z = \frac{x}{a}$; erit $\text{Log.}(1+z) = \text{Log.}\left(1+\frac{x}{a}\right) = \text{Log.}\left(\frac{a+x}{a}\right) = \text{Log.}(a+x) - \text{Log.}\, a.$

Log.

(1) Cf. etiam *Connaiss. des Temps* A. 1819. pag. 302. et A. 1817. pag. 219. ubi inveniuntur methodi Celeb. le Gendre.

$$\text{Log.}\,(a+x)=\text{Log.}\,a+\text{M.}\left\{\frac{x}{a}-\tfrac{1}{2}\left(\frac{x}{a}\right)^2+\tfrac{1}{3}\left(\frac{x}{a}\right)^3-\tfrac{1}{4}\left(\frac{x}{a}\right)^4+\text{etc.}\right\}$$

et si x negative sumatur:

$$\text{Log.}\,(a-x)=\text{Log.}\,a-\text{M}\left\{\frac{x}{a}+\tfrac{1}{2}\left(\frac{x}{a}\right)^2+\tfrac{1}{3}\left(\frac{x}{a}\right)^3+\tfrac{1}{4}\left(\frac{x}{a}\right)^4+\text{etc.}\right\}$$

sive

$$\text{Log.}\,(a+x)=\text{Log.}\,a+\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)-\tfrac{1}{2}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^2+\tfrac{1}{3}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^3-\tfrac{1}{4}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^4+\text{etc.}$$

$$\text{Log.}\,(a-x)=\text{Log.}\,a-\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)-\tfrac{1}{2}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^2-\tfrac{1}{3}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^3-\tfrac{1}{4}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^4-\text{etc.}$$

ergo

$$\text{Log.}\,(a+x)+\text{Log.}\,(a-x)=2\,\text{Log.}\,a-\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^2-\tfrac{1}{2}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^4-\text{etc.}$$

Hinc

$$\text{Log.}\,(a+x)=2\,\text{Log.}\,a-\text{Log.}\,(a-x)-\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^2-\tfrac{1}{2}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^4-\text{etc.}$$

sive $\text{Log.}\,(a+x)=\text{Log.}\,a+[\text{Log.}\,a-\text{Log.}\,(a-x)]-\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^2-\tfrac{1}{2}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^4-\text{etc.}$

Jam vero apparet $\text{Log.}\,a-\text{Log.}\,(a-x)$ esse differentiam primam, cujus ope pervenimus ad Log. a. Series autem $-\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^2-\tfrac{1}{2}\text{M}\left(\frac{x}{a}\right)^4-$ etc. est correctio addenda differentiae primae Log. $(a-x)$, ut habeatur differ. Log. a, i. e. ea, cujus ope perveniendum est ad Log. $(a+x)$. Haec igitur est differentia secunda. Sit $x=$ d. N $=1$, $a=$ N, tunc erit:

$$\text{Log.}\,(\text{N}+\text{d.N})=\text{Log.}\,\text{N}+[\text{Log.}\,\text{N}-\text{Log.}\,(\text{N}-\text{d.N})]-\frac{\text{M}}{\text{N}^2}-\frac{\tfrac{1}{2}\text{M}}{\text{N}^4}-\text{etc.}$$

Secunda differentia est igitur $=-\frac{\text{M}}{\text{N}^2}-\frac{\tfrac{1}{2}\text{M}}{\text{N}^4}-$ etc. Invenimus autem d^2. Log. N $=-\frac{\text{M}}{\text{N}^2}$: error itaque est $-\frac{\tfrac{1}{2}\text{M}}{\text{N}^4}-$ etc. Qui error est valde parvus, et quidem eo minor, quo major est N. Hinc concludere licet, formulam $-\frac{\text{M}}{\text{N}^2}$, posito N valde ma-

 gno,

gno, sufficere ad computandas differentias secundas; si nempe numerus terminorum non nimis magnus ejus ope computetur; cujus rei nisi rationem habeamus, ex saepius re-tito parvo errore, tandem aliquando magnus orietur. Eandem autem ratiocinationem pro sequentibus differentiis potiori jure valere vix opus est ut memorem.

Idem probavit, et quidem eodem fere modo, Doct. Mollweide in scriptione inserta in *Monatliche Correspond.* Cel. von Zach Tom. XXI. A. 1810.

Quod ad tabularum goniometricarum constructionem attinet, similes dantur formulae ac pro Logarithmicis, tum summo rigore Mathematico accuratae, tum ad illam accurationem proxime accedentes. Hae ope calculi differentialis obtinentur et sunt, uti notum est:

$$d.\ \sin.\ A = d.\ A.\ \cos.\ A \qquad d.\ \cos.\ A = -\ d.\ A.\ \sin.\ A.$$

$$d^2\ \sin.\ A = -\ d^2\ A.\ \sin.\ A \qquad d^2\ \cos.\ A = d^2\ A.\ \cos.\ A.$$

Magis accuratae sunt sequentes:

$$\begin{aligned} \sin.\ (A+B) - \sin.\ A &= \sin.\ A.\ \cos.\ B + \sin.\ B.\ \cos.\ A. - \text{Sin.}\ A. \\ &= \sin.\ B.\ \cos.\ A - \sin.\ A.\ (1 + \cos.\ B). \\ &= \sin.\ B.\ \cos.\ A - 2\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B.\ \sin.\ A. \end{aligned}$$

similiter erit:

$$\sin.\ A - \sin.\ (A-B) = \sin.\ B.\ \cos.\ A + 2\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B.\ \sin.\ A.$$

Hinc patet, sinui $(A-B)$ addendum esse $\sin.\ B\ \cos.\ A + 2\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B.\ \sin.\ A$, ut obtineatur sin. A; et similiter sinui A addendum esse $\sin.\ B.\ \cos.\ A - 2\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B.\ \sin.\ A$ ut habeatur $\sin.\ (A+B)$. Duae hae differentiae sunt differentiae primae, quarum differentiam si sumas, habebis accurate differentiam secundam $-\ 4\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B\ \sin.\ A$. Si B est infinite parvus, erit $\sin.\ B = B$, et $4\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B = B^2 = d.^2\ A$. Hinc $d.^2\ \sin.\ A = -\ d^2.\ A.\ \sin.\ A.$, uti dat calculus differentialis. Habebimus igitur:

$$\sin.\ (A+B) = \sin.\ A + [\sin.\ A - \sin.\ (A-B)] - 4\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B.\ \sin.\ A.$$

$$\sin.\ (A-B) = \sin.\ A - [\sin.\ (A+B) - \sin.\ A] - 4\ \sin.^2\ \tfrac{1}{2}B.\ \sin.\ A.$$

quae formulae inserviunt inveniendis sinubus angulorum, aequali differentia crescentibus vel decrescentibus.

Formulae pro tangentibus facile inveniuntur per notam formulam $\tang.\ A = \frac{\sin.\ A.}{\cos.\ A.}$ Hinc

$$\text{Hinc d. tang. } A = \frac{d.\ A}{\cos.^2 A};\ d.^2 \text{ tang. } A = 2\, d.^2 A\ (\text{tang. } A + \text{tang.}^3 A).$$

Formulae autem finitae sunt:

$$\text{tang. } (A+B) - \text{tang. } A = \frac{\sin.\ B}{\cos.\ A.\ \cos.\ (A+B)}$$

quae est exacte differentia tang. A. Differentia secunda erit:

$$= -\frac{2 \text{ tang.}^2 B.\ \text{tang. } A}{1 - \frac{\sin.^2 A}{\cos.^2 B}} = -\frac{2 \sin.^2 B \frac{\text{tang. } A}{\cos.^2 B}}{1 - \frac{\sin.^2 A}{\cos.^2 B}}$$

Non opus est quaerere formulas pro secantibus, quippe quae facile ex tangentibus deducuntur.

Quod ad logarithmos sinuum et tangentium, etc. attinet, hi eodem modo, ac Logarithmi inveniuntur, sive formulis directis, veluti hac, satis convergente:

$$\text{Log. } (q+r) = \text{Log. } q + 2 M \left\{ \frac{r}{2q+r} + \tfrac{1}{3}\left(\frac{r}{2q+r}\right)^3 + \text{etc.} \right\}$$

in qua si ponas v. g. $q = 45°$ $r = 1°$, habebis pro Log. sinus 46°

$$\text{Log. sin. } 46° = \text{Log. sin. } 45° + 2 M \left\{ \frac{1°}{91°} + \tfrac{1}{3}\left(\frac{1°}{91°}\right)^3 + \text{etc.} \right\}$$

sive formulis differentialibus, quales sunt:

$$\text{d. Log. sin. } A = \frac{M.\ d.\ \sin.\ A.}{\sin.\ A.} = \frac{M.\ d.\ A.\ \cos.\ A.}{\sin.\ A.} = M.\ d.\ A.\ \cot.\ A.$$

$$d.^2 \text{ Log. sin. } A = -M \sin.^2 d.\ A.\ (1 + \text{cotang.}^2 A).$$

Ex his ita propositis sufficienter apparet insignem esse usum calculi differentialis in construendis tabulis logarithmicis et goniometricis. Eundem calculum adhibuit De Lambre in conficiendis tabulis usus Astronomici et optatum habuit successum. Compositionem harum tabularum hic exponere nec tempus, nec scriptioni concessi limites ferunt. Qui igitur plura de ea re volunt, adeant citatam dissertationem.

Probare adhuc nobis liceat, quemadmodum pro logarithmis fecimus, in tabulis goniometricis construendis, sufficere, si differentias secundas adhibeamus, neque differentiis tertiis opus esse, si nempe ad 10^{am} vel 12^{am} cifram accurate logarithmos linearum goniometricarum invenire velimus. Hunc in finem methodum, quam Doct. Mollweide l. l. ad Logarithmos adhibuit, nos h. l. ad tabulas goniometricas applicabimus.

Sint igitur tres arcus dati in progressione Arithmetica: $A-a$, A, $A+a$. Sit

$$\text{Log. sin. } A - \text{Log. sin. } (A-a) = \alpha$$
$$\text{Log. sin. } (A-a) - \text{Log. sin. } a = \beta$$

quaeritur Log. sin. $(A+u)$ — Log. sin. A, ubi u est >0 et <1 functione α et β.

Theorema Taylorianum dat (vid. Euler Instit. calc. diff. II. § 99.)

$$\alpha = M\left[\frac{a.\cos. A}{\sin. A} + \frac{a^2}{2\sin.^2 A} + \frac{a^3.\cos. A}{3\sin.^3 A} + \frac{a^4.(1+\cos. A)}{6\sin._4 A} + \text{etc.}\right] \ldots\ldots\ldots (1)$$

$$\beta = M\left[\frac{a.\cos. A}{\sin. A} - \frac{a^2}{2\sin.^2 A} + \frac{a^3.\cos. A}{3\sin.^3 A} + \frac{a^4.(1+\cos. A)}{6\sin.^4 A} + \text{etc.}\right] \ldots\ldots\ldots (2)$$

$$\text{Log. sin.}(A+u) - \text{Log.sin.}A = M\left[\frac{u.\cos.A}{\sin. A.} - \frac{u^2}{2\sin.^2 A} + \frac{u.^3\cos.A}{3\sin.^3 A} - \frac{u.^4(1+\cos.A)}{6\sin.^4 A} + \text{etc.}\right]. (3)$$

Jam, quoniam Log. sin. $(A+u)$ exprimendus est functione α et β, et quia demonstrandum nobis proposuimus hoc accurate fieri posse ope differentiarum secundarum, generatim poni poterit:

$$\text{Log. sin. } (A+u) - \text{Log. sin. } A = (A\alpha + B\beta)\, u + (C\alpha + D\beta)\, u^2$$
$$+ E\,\frac{a^3.\cos. A}{3\sin.^3 A} + F\,\frac{a^4.(1+\cos. A)}{6\sin.^4 A} \ldots\ldots\ldots\ldots (4)$$

in qua aequatione coëfficientes A, B, C, D, E, F, sunt determinandi, et quidem sequenti modo. Ponamus in aeq. (4) pro α et β suos valores supra indicatos, tunc erit:

Log.

$$\text{Log.sin.}(A+u)-\text{Log.sin.}A = A\left[M\left(\frac{a.\cos.A}{\sin.A.}u+\frac{a^2}{2\sin.^2A}u+\frac{a^3.\cos.A}{3\sin.^3A}u+\frac{a^4.(1+\cos.A)}{6\sin.^4A}u\right)\right]$$
$$+B\left[M\left(\frac{a.\cos.A}{\sin.A}u-\frac{a^2}{2\sin.^2A}u+\frac{a^3.\cos.A}{3\sin.^3A}u-\frac{a^4.(1+\cos A)}{6\sin.^4A}u\right)\right]$$
$$+C\left[M\left(\frac{a.\cos.A}{\sin.A}u^2+\frac{a^2}{2\sin.^2A}u^2+\frac{a^3.\cos.A}{3\sin.^3A}u^2+\frac{a^4.(1+\cos.A)}{6\sin.^4A}u^2\right)\right]$$
$$+D\left[M\left(\frac{a.\cos.A}{\sin.A}u^2-\frac{a^2}{2\sin.^2A}u^2+\frac{a^3.\cos.A}{3\sin.^3A}u^2-\frac{a^4.(1+\cos.A)}{6\sin.^4A}u^2\right)\right]$$
$$+E\frac{a^3.\cos.A}{3\sin^3A.}$$
$$+F\frac{a^4.(1+\cos.A)}{6\sin.^4A}$$

sive si omnia quam simplicissime ponamus:

$$\text{Log.sin.}(A+u)-\text{Log.sin.}A = M\Bigg[\left[(A+B)u+(C+D)u^2\right]\frac{a.\cos.A}{\sin.A}$$
$$+\left[(A-B)u+(C-D)u^2\right]\frac{a^2}{2\sin^2.A}$$
$$+\left[(A+B)u+(C+D)u^2+E\right]\frac{a^3.\cos.A}{3\sin.^3A}$$
$$+\left[(A-B)u+(C-D)u^2+F\right]\frac{a^4.(1+\cos.A)}{6\sin.^4A}\Bigg]$$

Ultima haec aequatio cum aequatione (3) identica esse debet. Si igitur singulos terminos invicem conferamus, sequentes orientur valores coëfficientium A, B, C, D, E.

$$A+B=\frac{1}{a}$$
$$A-B=0$$
$$C+D=0$$
$$C-D=-\frac{1}{a^2}$$
$$\frac{u}{a}+E=\frac{u^3}{a^3}$$
$$-\frac{u^2}{a^2}+F=\frac{u^4}{a^4}$$

Hinc:

Hinc:

$$A = \frac{1}{2a}$$

$$B = \frac{1}{2a}$$

$$C = -\frac{1}{2a^2}$$

$$D = \frac{1}{2a^2}$$

$$E = \frac{u^3 - a^2u}{a^3}$$

$$F = \frac{u^4 + a^2u^2}{a^4}$$

Quos valores si substituamus in aequatione (4) erit:

$$\text{Log. sin. } (A+u) - \text{Log. sin. } A = \frac{\alpha+\beta}{2a}u - \frac{\alpha-\beta}{2a^2}u^2 - M\left[\frac{(a^2u-u^3)\cos. A}{3\sin.^3 A} - \frac{(a^2u^2-u^4)(1+\cos. A)}{6\sin.^4 A} + \text{etc.}\right]$$

In hac aequatione duo termini priores $\frac{\alpha+\beta}{2a}u - \frac{\alpha-\beta}{2a^2}u^2$ ad computandum Log. sin. $(A+u)$ sufficiunt, quippe qui continent differentiam primam et secundam, neque opus est duobus terminis sequentibus, uti exemplo patebit. Ponamus A non esse $< 2^0$ et $a = 10''$, tum factor $a^2u - u^3$ in proxime sequenti termino $\frac{M(a^2u-u^3)\cos. A}{3\sin.^3 A}$, maximus evadit, quando $u = \sqrt{a^2_{\frac{1}{3}}}$.


$$\text{Erit enim } \frac{d.x}{d.u} = a^2 - 3u^2 = 0$$


$$\text{hinc } 3u^2 = a^2$$


$$u^2 = \frac{a^2}{3}$$


$$u = \frac{a}{\sqrt{3}} = a\sqrt{\tfrac{1}{3}}$$


Et



Fig. 1.
A
B
C
D
F
E



Fig. 2.
B
P
D
E
A
C
Q
p



Fig. 3.
I F D G H
P
O
A
l k
m n
C
B



E
F
D
A
G
B
H
C



Fig. 5.
a
b
p
c
d
C



Fig. 6.






I
D
B
b
d
a
E
C
A
F
H
G



Fig. 9.
I
D
B
d
c
b
a
E
E'
C
A'
A
F
H
G



Fig. 10.
K
D
L
a'
d
b
a
d'
k
A
Q
C
P
B
M
O
N


D
Fig. 11.
Q
C
P
O



Fig. 12.
D
G
E
d
b
a
d'
a'
A
C
B
F
H
O



E
A
N
G
I
B
L
Fig. 13.
C
H
O
P
M
D
K
F



A
Fig. 14.
B
C
E
D
F



Fig. 15.
B
K
C
I
E
D
H
F
G



C
D
Fig. 16.



Fig. 17.



A
Fig. 18.
B
D
E
F



A
B
a
a
β
b
Fig. 19.
C
δ
D
F
E
G



A
K
B
Fig. 20.
C
δ
D
F
E
G



A
B
P
Q
R
Fig. 21.
C
g
f
e
r
q
p



Fig. 22.
A
o
m
E
n
p
B



Fig. 23.
a
b
C
V
w
x



Fig. 24.


Fig. 25.
E
O
A
F
B
G
N
D
K
M
C
L
I


I
D
A
L
M
K
l
m
Fig. 26.
G
F
H
C
B


D
A
I
L
M
K
l
m
k
C
B


Fig. 27.
G
F
H


Fig. 28.
B
A
C
D
B
Fig. 29.
O
O'
A



Maximus itaque valor termini $\frac{M(a^2u - u^3)\cos. A}{3 \sin.^3 A}$, quatenus hic ab u pendet, erit $\frac{2 M a^3 \cos. A}{9 \sin.^3 A}\sqrt{\tfrac{1}{3}}$. Jam si $M = 0{,}43429448191$ etc., et $A = 2^\circ$, maximus hic valor fit $= 0{,}00000000017928$, adeoque nullius in 7^{mam} cifram momenti; dum, ut facile patet, sequens terminus $\frac{M(a^2u^2 - u^4)(1 + \cos. A)}{6 \sin^4 A}$ minoris adhuc erit momenti. Si autem ultra 7^{am} cifram Logarithmos computare velimus, alia res est, et uterque terminus erit adhibendus.

Haec quidem de theoria interpolationis sufficiant. Exemplis eam illustrare jam altero loco aggrediemur.

CAPUT ALTERUM.

THEORIA INTERPOLATIONIS EXEMPLIS ILLUSTRATA.

Expositam Interpolationis theoriam hoc capite exemplis illustrare conabimur. Qua in re ita procedemus, ut uno eodemque exemplo, tum applicationem variarum formularum, quas in praecedenti capite invenimus, ostendamus, tum vero etiam insignem in re Astronomica et Physica ipsius Interpolationis usum. Quod ut rite fiat sequentia in antecessum monere velimus.

Quidquid in superiori capite de diversis interpolationis formulis demonstravimus, id stricto sensu, eatenus tantum valet, quatenus series interpolandae sunt series Arithmeticae, quarum differentiae ultimae sunt inter se aequales, vel, ut vulgo dicitur, constantes, ita ut differentiae differentiarum constantium omnes sint $= 0$. Hoc modo rem in praecedentibus consideravimus, atque ex lege, secundum quam singuli termini seriei datae a termino primo dato, et terminis primis differentiarum pendent, formulas deduximus, quarum ope quivis alii termini inter datos inseri possunt. At vero quamvis in illo tantummodo casu, quo ultimae differentiae aequales sunt, interpolatio exactissime procedat, facile tamen intelligitur, eam in seriebus, quarum differentiae ultimae ad-

admodum parum a se invicem differunt, eodem modo posse adhiberi, et quidem eo accuratius, quo magis ultimae cujusdam seriei differentiae ad aequalitatem vergunt, quoniam tunc singuli termini dati quam proxime secundum eandem legem, quae in seriebus differentiarum aequalium obtinet, ex termino primo dato et terminis primis differentiarum componuntur. Nihil itaque impedit, quo minus interpolationem, quae proprie summo rigore Mathematico valet in seriebus differentiarum constantium, etiam adhibeamus, si seriei cujusdam differentiae ultimae valde parum inter se differant. Hoc posito, interpolationis usus, qui alioquin foret maxime restrictus, uberrimus fit, et summa praebet commoda. Hinc multiplex ejus applicatio in omnigenis tabulis Astronomicis construendis, quarum termini quidam, aliunde cogniti, sive accuratam seriem constituunt Arithmeticam altioris ordinis, sive talem, quae ab ejusmodi serie haud multum differt. Hinc multiplex ejus applicatio in Physicis, quoniam ex datis observationibus vel experimentis, ejusmodi seriem Arithmeticam altioris ordinis referentibus, aliae observationes, alia experimenta, mero calculo exhiberi possunt, adeoque saepius facultas oritur, de iis judicandi, quae ex observationibus vel experimentis directis cognoscere non possumus.

Hanc igitur rem ut una cum usu formularum indicaremus, exemplum elegimus Astronomici argumenti, ex quo utrumque satis superque intelligatur. Propositum enim nobis est, methodum exhibere, secundum quam, ope interpolationis, ex datis aliquot Solis et Lunae longitudinibus, tempus conjunctionis horum siderum inveniatur; duplex inde nacti commodum, quod usum indicare possimus Interpolationis tum seriei primi ordinis, tum seriei altioris ordinis, quoniam longitudines solis, motu fere uniformi (si ita loqui fas sit) progredientis, termini sint seriei, cujus differentiae primae constantes sunt, dum longitudines lunae, contumacissimi sideris, seriem constituant, cujus plerumque differentiae tertiae vix sunt constantes.

Tali igitur exemplo tum usum Interpolationis, tum usum formularum interpolationi inservientium sufficienter ostendi credimus, quoniam ex hoc particulari casu de omnibus aliis facilis est conclusio. Omnes autem formulas ad hoc unum exemplum applicabimus, ut inde de cujusque usu et accuratione constaret.

At quoniam praeter formulas generales interpolandi, etiam nonnullas exhibuimus, quae praesertim tabulis Logarithmicis et Goniometricis construendis inserviant, has etiam exemplo rei conveniente illustrabimus.

Quoniam nobis proposuimus, ope Interpolationis, ex datis aliquot Solis Lunaeque longitudinibus, determinare tempus eorum conjunctionis, primum paucis indicandum est, quid his verbis significetur.

Con-

Conjunctio duorum astrorum dicitur ille astrorum situs, quando ipsorum centra versantur in eodem plano, quod transit per circulum in plano Eclipticés perpendicularem. Ille autem situs plane locum habere non potest, nisi utriusque astri longitudo sit eadem. Quaestio igitur proposita nihil aliud sibi vult, nisi ut, datis longitudinibus Solis et Lunae ad cognita tempora, determinetur illud temporis punctum, quo longitudo solis aequalis sit longitudini lunae; sive quo duo haec astra in plano, quod transit per circulum in plano Ecliptices perpendiculare, versentur.

Sint igitur ex ephemeride Astronomica datae longitudines solis et lunae sequentes:

		differ.
Long. ☉ 7 Sept. 0^h	$= 164^\circ\, 42'\, 47''$	
		$58'\, 19''$
8 Sept. 0^h	$= 165^\circ\, 41'\, 6''$	

		differ. I.	differ. II.	differ. III.
Long. ☾ 6 Sept. 0^h	$= 152^\circ\, 0'\, 32''$			
		$21247''$		
12^h	$= 157^\circ\, 54'\, 39''$		$-29''$	
		$21218''$		$+14''$
7 Sept. 0^h	$= 163^\circ\, 48'\, 17''$		$-15''$	
		$21203''$		
12^h	$= 169^\circ\, 41'\, 40''$			

quaeritur jam, quandonam longitudines Solis et Lunae inter se futurae sint aequales, sive quandonam conjunctio locum sit habitura.

Ex inspectis longitudinibus per se patet illam conjunctionem accidere inter 7 Sept. 0^h et 7 Sept. 12^h, quoniam in hoc intervallo longitudines solis et lunae aliquando aequales sunt; sed accuratum temporis momentum non apparet. Requiritur igitur, ut sciamus, quaenam futura sit longitudo solis et lunae horis intermediis inter 7 Sept. 0^h et 7 Sept. 12^h, ut sic per approximationem quasi tempus conjunctionis determinetur.

Quod ad longitudinem solis attinet, hanc ex ephemeride descripsimus, qualis per intervalla 24 horarum exhibetur. Est enim motus solis, ut jam observavimus, talis, qui per 24, imo per plures, horas tanquam uniformis haberi possit. Sunt igitur duae longitudines datae, quasi termini seriei Arithmeticae, cujus differentia prima $58'\, 19''$ est constans. Jam quoniam solis longitudinem ad singulas horas intermedias cognoscere volumus, adhibenda erit methodus seriei Arithmeticae interpolandae, quam in introductione exposuimus. Ibi autem invenimus formulam generalem:

$$x = \frac{5d}{n+1}$$

in qua x est differentia incognita duorum terminorum inserendorum, $5d$ differentia inter duos terminos datos, n numerus terminorum interpolandorum.

Habemus igitur in casu praesente, $5d = 58' \, 19''$, $n = 23$, quoniam si intervallum in 24 partes aequales dividatur, 23 tantum termini inseri possunt. His igitur valoribus in aequatione generali substitutis, erit:

$$x = \frac{58' \, 19''}{24} = \frac{3499''}{24} = 2' \, 25'', 792 \text{ proxime.}$$

Haec igitur erit differentia constans seriei interpolatae, qua cognita, termini quaesiti simplici additione habentur, quemadmodum sequens tabula exhibet:

		differ.
Long. ☉ 7 Sept. 0^h	$= 164^\circ \, 42' \, 47''$	
		$2' \, 25'', 792$
1^h	$= 164^\circ \, 45' \, 12'', 792$	
		$2' \, 25'', 792$
2^h	$= 164^\circ \, 47' \, 38'', 584$	
		$2' \, 25'', 792$
3^h	$= 164^\circ \, 50' \, 4'', 376$	
		$2' \, 25'', 792$
4^h	$= 164^\circ \, 52' \, 30'', 168$	
		$2' \, 25'', 792$
5^h	$= 164^\circ \, 54' \, 55'', 960$	
		$2' \, 25'', 792$
6^h	$= 164^\circ \, 57' \, 21'', 752$	
		$2' \, 25'', 792$
	etc.	

Haec tabula ad 8 Sept. 0^h extendi posset; subsistimus autem hic, quoniam, ut deinceps patebit, conjunctio quaesita inter 7 Sept. 0^h et 7 Sept. 6^h incidit.

Longitudine solis hoc modo pro quavis hora determinata, porro quaerenda est longitudo lunae pro iisdem horis; et hic proprie usum suum praestat Interpolatio. Etenim si motus lunae, ut ille solis, uniformis esset, res eodem simplici modo, ac pro hoc astro absolveretur, si nempe juxta formulam praecedentem differentiam novae seriei quaereremus. At vero lunae motus maximopere est irregularis, quemadmodum ex datis longitudinibus, earumque differentiis apparet; quamvis illae longitudines, non ut pro sole obti-

tinet, ad intervalla 24 horarum, sed ad intervalla 12 tantum horarum sint computatae. Descripsimus autem non nisi quatuor longitudines, quae unam differentiam tertiam exhibent, non ideo, quod differentiae tertiae revera sunt constantes, sed quoniam tanquam tales haberi possunt, atque in exemplo proposito sufficit, si differentiarum tertiarum ratio habeatur. Habemus igitur seriem Arithmeticam tertii ordinis, cui inter duos terminos datos 7 Sept. 0^h et 7 Sept. 12^h, undecim termini sunt interpolandi, qui termini dabunt longitudinem lunae ad horas intermedias, quibus inventis, ex collatione novae inventae longitudinis solis et lunae, accuratius de tempore eorum conjunctionis judicium ferri poterit. Pergamus itaque et applicemus formulas nostras successive ad exemplum propositum.

Incipiamus a methodo Regnaldi. Secundum supra exposita, conferendi sunt termini dati cum terminis ex generali tabula desumtis, qualis tabulae particulam etiam supra exhibuimus. Et quoniam series data est tertii ordinis, atque 11 termini inter duos datos sunt interpolandi, ex tabulae generalis columna illa, quae differentias tertias aequales habet, describendi sunt termini, 1us, 12us, 24us, 36us, etc. 11 semper terminis inter duos alios omissis. Horum terminorum differentiae sumendae sunt, atque primi harum differentiarum termini cum terminis primis differentiarum seriei datae conferendi, dein ipse terminus primus tabulae comparandus est cum termino primo seriei datae. Ex hac terminorum collatione determinandi sunt valores coëfficientium incognitorum tabulae generalis, quibus iterum valoribus pro illis coëfficientibus, qui in terminis determinandis occurrunt, substitutis, valores horum terminorum cognoscentur. Hunc in modum:

Sumo ex tabula generali sequentes terminos, eorumque differentias:

6 Sept. 0^h	d			
		$12c + 66b + 220a$		
12^h	$d + 12c + 66b + 220a$		$144b + 1584a$	
		$12c + 210b + 1804a$		$1728a$
7 Sept. 0^h	$d + 24c + 276b + 2024a$		$144b + 3312a$	
		$12c + 354b + 5116a$		$1728a$
12^h	$d + 36c + 630b + 7140a$		$144b + 5040a$	
		$12c + 498b + 10156a$		
	$d + 48c + 1128b + 17296a$			

Habemus igitur

$$1728a = 14''$$
$$144b + 1584a = -29''$$
$$12c + 66b + 220a = 21247''$$
$$d = 152^\circ\ 0'\ 32''$$

Hinc, resolutis aequationibus, invenimus

$$a = 0'', 0081. \quad b = -0'',2905. \quad c = 1772'', 0326.$$

quibus valoribus substitutis in terminis generalis tabulae, qui sunt inter $d + 24c + 276b + 2024a$ et $d + 36c + 630b + 7140a$, quippe qui cum horis successivis inter 7 Sept. 0^h et 7 Sept. 12^h conveniant, inveniemus sequentes valores:

$$d + 25c + 300b + 2300a = 164^\circ\ 17'\ 43'', 945 = \text{Long. ☾ 7 Sept. } 1^h$$
$$d + 26c + 325b + 2600a = 164^\circ\ 47'\ 11'', 495 = \ldots\ldots\ldots 2^h$$
$$d + 27c + 351b + 2925a = 165^\circ\ 16'\ 38'', 607 = \ldots\ldots\ldots 3^h$$
$$d + 28c + 378b + 3276a = 165^\circ\ 46'\ 5'', 639 = \ldots\ldots\ldots 4^h$$
$$d + 29c + 406b + 3654a = 166^\circ\ 15'\ 32'', 599 = \ldots\ldots\ldots 5^h$$
$$d + 30c + 435b + 4060a = 166^\circ\ 44'\ 59'', 496 = \ldots\ldots\ldots 6^h$$

et sic porro. Posset enim ulterius haec tabula extendi, sed quoniam satis apparet, quo modo singuli termini inveniantur, atque etiam plures termini opus non sunt ad conjunctionem determinandam, hic subsistimus, quemadmodum etiam ob eandem causam in reliquarum formularum applicatione faciemus. Terminos autem hos novos revera esse eos terminos, qui quaeruntur, apparebit, si eorum successivae differentiae sumantur, tum enim manifestum fiet, eorum differentias tertias proxime ad aequalitatem accedere, adeoque illos ipsos eidem legi esse subjectos ac termini seriei datae. Ex collatis autem novis lunae longitudinibus cum iis, quae supra pro sole invenimus, patet conjunctionem horum astrorum cadere inter 7 Sept. 2^h et 7 Sept. 3^h; adeoque ulterius progredi possemus in determinando accurate temporis momento, quo haec conjunctio locum habet; sed primum caeteras formulas ad idem applicemus problema, quo magis adhuc de veritate hujus calculi constet.

Secundum methodum Cl. La Lande, qui primus solutionem problematis a Moutono et Regnaldo datam, ad analysin revocavit, invenimus formulas sequentes:

$$1^\circ\ p \times \frac{d}{m} \qquad 2^\circ\ -p \times \frac{m-p}{2} \times \frac{d^2}{m^2} \qquad 3^\circ\ -p \times \frac{m^2-p^2}{6} \times \frac{d^3}{m^3}$$

qua-

quarum prior est correctio differentiarum primarum, altera correctio differentiarum secundarum, tertia correctio differentiarum tertiarum: p autem significat terminum quemvis; d, d^2, d^3 differentiam primam, secundam, tertiam datae seriei, m numerum partium, in quas dividitur intervallum inter duos terminos datos proxime subsequentes. Habemus igitur $d = 21247''$, $d'' = -29''$, $d^3 = 14''$, $m = 12$, et $p = 25, 26, 27$ etc., quoniam terminus, qui convenit 7 Sept. 0^h, duo intervalla integra, singula unitati aequalia, a 6 Sept. 0^h distat, atque terminus quaeritur, qui $\frac{1}{12}$ intervalli magis adhuc remotus est. His itaque valoribus in aequationibus substitutis, haberemus differentias, primam, secundam, tertiam correctas, quae additae termino primo dato $152^\circ\ 0'\ 32''$, darent longitudinem lunae ad tempus quaesitum. Sed eundem et accuratiorem eventum obtinebimus, si longitudinem lunae ad 6 Sept. 12^h tanquam terminum primum consideremus, adeoque differentias successivas $d = 21218''$, $d^2 = -15''$, $d^3 = 14''$. Praestat enim eas differentias sumere, quae proximae sunt intervallo, cui termini inserendi sunt. Tum vero p erit 13, 14, 15 etc. Quibus positis, formulae nostrae sequentes dabunt valores:

$$p \times \frac{d}{m} = (1 + \tfrac{1}{12}) \times 21218'' = 22986'',17$$

$$-p \times \frac{m-p}{2} \times \frac{d^2}{m^2} = -13 \times \frac{12-13}{2} \times \frac{-15}{144} = -0,67$$

$$-p \times \frac{m^2-p^2}{6} \times \frac{d^3}{m^3} = -13 \times \frac{144-169}{6} \times \frac{14}{1728} = 0,21$$

Hae igitur differentiae correctae, si addantur termino primo, habebimus:

Long. ☾ 6 Sept. $12^h = 157^\circ\ 54'\ 33'',9$

$$p \times \frac{d}{m} = \ldots\ldots 22986'',17$$

$$-p \times \frac{m-p}{2} \times \frac{d^2}{m^2} = -0,67$$

$$-p \times \frac{m^2-p^2}{6} \times \frac{d^3}{m^3} = +0,21$$

$$= 6^\circ\ 23'\ 5'',71$$

Long. ☾ 7 Sept. $1^h = 164^\circ\ 17'\ 44'',71$

Per similem computum, posito $p = 14, 15, 16, 17, 18$ invenimus ut supra:

Long.

$$\begin{aligned}\text{Long. ☾ 7 Sept. } 2^h &= 164^\circ\ 47'\ 11'',515\\ 3^h &= 165^\circ\ 16'\ 38'',574\\ 4^h &= 165^\circ\ 46'\ 5'',641\\ 5^h &= 166^\circ\ 15'\ 32'',604\\ 6^h &= 166^\circ\ 44'\ 59'',5\end{aligned}$$

Methodus differentialis Newtonum duxit ad interpolationis formulam sequentem: (vid. sup. form. D.)

$$y = \alpha + \frac{x}{1}\Delta' + \frac{x(x-1)}{1.2}\Delta'' + \frac{x(x-1)(x-2)}{1.2.3}\Delta''' + \text{etc.}$$

in qua α est terminus primus seriei datae; Δ', Δ'', Δ''' sunt differentia prima, secunda, tertia ejusdem seriei; x autem indicat ordinem termini interpolandi. Igitur si, ut posuimus, α, sive terminus primus, sit = Long. ☾ 6 Sept. $12^h = 157^\circ\,54'\,39''$, adeoque $\Delta' = 21218''$, $\Delta'' = -15''$, $\Delta''' = +14''$, habebimus pro $x = 1\tfrac{1}{12}$:

$$\begin{aligned}y &= \alpha + 1\tfrac{1}{12} \times 21218 + \frac{1\tfrac{1}{12}(1\tfrac{1}{12}-1)}{1.2} \times -15 + \frac{1\tfrac{1}{12}(1\tfrac{1}{12}-1)(1\tfrac{1}{12}-2)}{1.2.3} \times 14''\\ &= \alpha + 22987{,}17 - 0{,}67 - 0{,}19\\ &= \alpha + 22985{,}31\\ &= 157^\circ\ 54'\ 39'' + 6^\circ\ 23'\ 5'',31\\ &= 164^\circ\ 17'\ 44'',31 = \text{Long. ☾ 7 Sept. } 1^h.\end{aligned}$$

Similiter invenietur

$$\begin{aligned}\text{pro } x &= 1\tfrac{2}{12},\ y = 164^\circ\ 47'\ 11'',5 = \text{Long. ☾ 7 Sept. } 2^h\\ x &= 1\tfrac{3}{12},\ y = 165^\circ\ 16'\ 38'',62 = \ldots\ldots\ 3^h\\ x &= 1\tfrac{4}{12},\ y = 165^\circ\ 46'\ 5'',6 = \ldots\ldots\ 4^h\\ x &= 1\tfrac{5}{12},\ y = 166^\circ\ 15'\ 32'',63 = \ldots\ldots\ 5^h\\ x &= 1\tfrac{6}{12},\ y = 166^\circ\ 44'\ 59'',5 = \ldots\ldots\ 6^h\end{aligned}$$

Potest etiam calculus inverti, ita ut terminus ultimus, i. e. hoc in casu Long. ☾ 7 Sept. 12^h, consideretur tanquam terminus primus, sed tum differentiae erunt $\Delta' = -21203''$, $\Delta'' = -15$, $\Delta''' = -14$, et quoniam termini quaeruntur, qui proxime sequuntur, pro long. ☾ 7 Sept. 0^h erit hoc in casu x non $= \tfrac{1}{12}$, $\tfrac{2}{12}$ etc. sed etiam inverso ordine, erit $x = \tfrac{11}{12}$, $\tfrac{10}{12}$, $\tfrac{9}{12}$ etc. Hos igitur valores si in aequatione substituamus, et termino primo assumto addamus, valor ipsius y sive termini quaesiti juste prodibit. Habebimus enim:

$\tfrac{11}{12} \times$

$$\tfrac{11}{12} \times -21203'' = -19436'',084.$$

$$\frac{\tfrac{11}{12}\left(\tfrac{11}{12}-1\right)}{1.\,2} \times -15'' = +0'',573$$

$$\frac{\tfrac{11}{12}\left(\tfrac{11}{12}-1\right)\left(\tfrac{11}{12}-2\right)}{1.\,2.\,3} \times -14'' = -0'',193.$$

Hinc, si addamus hos terminos,

$$\begin{array}{rr} & -19436'',084 \\ & -\quad 0'',193 \\ & +\quad 0'',573 \\ \hline \text{habebimus} & -19435'',704 = -5^\circ\,23'\,55'',704. \end{array}$$

$$\begin{array}{rll} \text{terminus primus} = & 169^\circ\,41'\,40'' & = \text{Long. ☾ 7 Sept. } 0^h \\ & -\quad 5^\circ\,23'\,55'',704 & \\ \hline \text{ergo} & 163^\circ\,17'\,44'',296 = & \ldots\ldots\quad 1^h \end{array}$$

Per eundem computum, posito $x = \tfrac{10}{12}, \tfrac{9}{12}$, etc.

invenietur aeque ac supra

$$\begin{array}{rl} \text{Long. ☾ 7 Sept. } 2^h = & 164^\circ\,47'\,11'',497 \\ 3^h = & 165^\circ\,16'\,38'',609 \\ 4^h = & 165^\circ\,46'\,\;5'',983 \\ 5^h = & 166^\circ\,15'\,32'',603 \\ 6^h = & 166^\circ\,44'\,59'',5. \end{array}$$

Pergamus ad priorem Stirlingii formulam, quae inservit interpolandae seriei terminorum numero imparium, quorum unus est reliquis intermedius. Generalis formula haec est (vid. form. (G)):

$$y = A + \frac{Bx + Cx^2}{1.\,2} + \frac{2Dx + Ex^2}{1.\,2} \times \frac{x^2 - 1}{3.\,4} + \text{etc.}$$

Jam si conferantur ea, quae supra pag. 25 et 26 ostendimus, apparebit esse:

 A =

$$A = 163^\circ\ 48'\ 17''$$
$$B = \alpha - \varkappa = 21218'' + 21203'' = 11^\circ\ 47'\ 1''$$
$$C = \alpha - 2A + \varkappa = -15''$$
$$D = \beta - 2\alpha + 2\varkappa - \lambda = 14''$$
E, ceterique omnes ejusmodi factores $= 0$.

Ultimis igitur terminis disparentibus, aequatio pro hoc casu erit:

$$y = A + \frac{Bx + Cx^2}{1.\ 2} + \frac{2Dx}{1.\ 2} \times \frac{x^2 - 1}{3.\ 4}$$

in qua, si pro A, B, C, D substituantur sui valores, et pro x $\frac{1}{12}$, habebimus:

$$y = A + 29'\ 27'',\ 49 - 0'',096$$
$$= 163^\circ\ 48'\ 17'' + 29'\ 27'',\ 394$$
$$= 164^\circ\ 17'\ 44'',\ 394 = \text{Long. ☾ 7 Sept. } 1^h$$

eodem modo si ponatur:

$x = \frac{2}{12}$ erit $y = 165^\circ\ 47'\ 11'',\ 515 =$ Long. ☾ 7 Sept. 2^h
$x = \frac{3}{12}$ $y = 165^\circ\ 16'\ 38'',\ 883 = \ldots\ldots\ 3^h$
$x = \frac{4}{12}$ $y = 165^\circ\ 46'\ 5'',\ 987 = \ldots\ldots\ 4^h$
$x = \frac{5}{12}$ $y = 166^\circ\ 15'\ 33'',\ 005 = \ldots\ldots\ 5^h$
$x = \frac{6}{12}$ $y = 166^\circ\ 44'\ 59'',\ 5 = \ldots\ldots\ 6^h$

Altera Stirlingii formula, quae proprie inservit interpolandae seriei, quae terminos continet numero pari, hanc habet formam (vid. form. (H)):

$$y = \frac{A + Bx}{1.\ 2} + \frac{3C + Dx}{1.\ 2} \times \frac{x^2 - 1}{4.\ 6} + \frac{5E + Fx}{1.\ 2} \times \frac{x^2 - 1}{4.\ 6} \times \frac{x^2 - 9}{8.\ 10} + \text{etc.}$$

dum valores coëfficientium A, B, C, D etc. sunt: (cff. quae diximus supra pag. 27.)

$$A = \alpha + \varkappa = 157^\circ\ 54'\ 39'' + 163^\circ\ 48'\ 17'' = 321^\circ\ 42'\ 56''$$
$$B = \alpha - \varkappa = 21218'' = 5^\circ\ 53'\ 38''$$
$$C = \beta - \alpha + \lambda - \varkappa = -15'' - 29'' = -44''$$
$$D = \beta - 3\alpha + 3\varkappa - \lambda = 14''$$
$$E = 0 \text{ etc.}$$

x

x autem hoc in casu successive erit $= 1\frac{2}{12}, 1\frac{4}{12}, 1\frac{6}{12}, 1\frac{8}{12}, 1\frac{10}{12}, 2$; posuimus enim (vid. supra pag. 27.) semidistantiam inter duos terminos $= 1$. Igitur computando inde a puncto intermedio ad terminum primum (qui hic est Long. ☾ 7 Sept. 0^h) habebimus unitatem; terminus autem interpolandus, qui, juxta ceteras formulas, intervallo $= \frac{1}{12}$ a termino primo distabat, jam ab eodem termino (quoniam semidistantia est unitas) distabit intervallo duplo majori i. e. $= \frac{2}{12}$, cui unitate addita, fit $x = 1\frac{2}{12}$, atque pro ceteris terminis illos valores accipit, quos memoravimus.

Substitutis igitur his valoribus in aequatione generali:

$$y = \frac{A + Bx}{1.2} + \frac{3C + Dx}{1.2} \times \frac{x^2 - 1}{4.6}$$

erit pro

$x = 1\frac{2}{12}$, $y = 164° \; 17' \; 44'', 457 =$ Long. ☾ 7 Sept. 1^h
$x = 1\frac{4}{12}$, $y = 164° \; 47' \; 11'', 515 =$ . . . . . 2^h
$x = 1\frac{6}{12}$, $y = 165° \; 16' \; 38'', 696 =$ . . . . . 3^h
$x = 1\frac{8}{12}$, $y = 165° \; 46' \; 5'', 641 =$ . . . . . 4^h
$x = 1\frac{10}{12}$, $y = 166° \; 15' \; 32'', 604 =$ . . . . . 5^h
$x = 2$, $y = 166° \; 44' \; 59'', 5 =$ . . . . . 6^h

Generalis formula Mayeri (I) nulla alia est, quemadmodum demonstravimus, nisi formula generalis Newtoni. Igitur si haec eodem modo tractetur, ac simplicior reddatur, haud alia ratione interpolationi inservit, ac formula Newtoniana. Opus autem non est hanc formulam bis eodem exemplo illustrare.

Idem dictum sit de formula (L), quae terminum generalem seriei exhibet, et usu a formula Newtoniana minime differt.

Formulam Cl. La Lande, quam etiam ex illa Newtoni deduximus, supra jam consideravimus. Pervenimus igitur ad illam Gardineri, quae pro differentiis tertiis haec est: (vid. Floryn l. sup. c.)

$$X = \left\{ \Delta' + b\frac{\Delta''}{2} + (b^2 - b)\frac{\Delta'''}{6} \right\} a$$

$$\text{in qua } a = 1 + \frac{r}{p+1}, \quad b = a - 1 = \frac{r}{p+1},$$

p est numerus terminorum interpolandorum, r autem est numerus, qui indicat ordinem termini interpolandi. Igitur, quoniam in exemplo proposito undecim termini sunt

 in-

interpolandi, erit $p = 11$, et $p + 1 = 12$, dum r sit successive 1, 2, 3, 4, 5, 6 etc. Δ', Δ'', Δ''' sunt differentia prima, secunda, tertia; x autem est quantitas termino primo seriei datae addenda.

Ponamus itaque terminum primum v. g. esse Long. ☾ 6 Sept. $12^h = 157^\circ\, 54'\, 39''$, tum erit differentia prima, sive $\Delta' = 21218''$, $\Delta'' = -15''$, $\Delta''' = 14''$. Hinc pro longitudine ☾ 7 Sept. 1^h habebimus:

$$X = \left\{21218'' + \tfrac{1}{12} \times \frac{-15''}{2} + \left(\tfrac{1}{144} - \tfrac{1}{12}\right) \times \frac{14''}{6}\right\} \times \left(1 + \tfrac{1}{12}\right).$$
$$= (21218'' - 0'',625 - 0'',178)\ \tfrac{13}{12}.$$
$$= 22985'',296$$
$$= 6^\circ\ 23'\ 5'',296$$

	$157^\circ\ 54'\ 39''$	= Long. ☾ 6 Sept. 12^h
	$6^\circ\ 23'\ 5'',296$	
	$164^\circ\ 17'\ 44'',296$	= Long. ☾ 7 Sept. 1^h
Similiter invenies	$164^\circ\ 47'\ 11'',496$	= . . . . 2^h
	$165^\circ\ 16'\ 38'',61$	= . . . . 3^h
	$165^\circ\ 46'\ 5'',643$	= . . . . 4^h
	$166^\circ\ 15'\ 32'',6$	= . . . . 5^h
	$166^\circ\ 44'\ 59'',5$	= . . . . 6^h

Secundum methodum a Celeb. Burckhardt propositam invenimus formulas sequentes:

$$\Delta''\ \text{correcta} = \Delta'' + \frac{x-2}{3} \times \Delta'''$$

$$\Delta'\ \text{correcta} = \Delta' + \frac{x-1}{2} \times \Delta''\ \text{correcta},$$

quae differentias correctas exhibent, ita ut calculus brevior et facilior sit, atque generalis aequatio evadat:

$$y = \alpha + x\,\Delta'\ \text{correcta}.$$

Has igitur formulas si ad exemplum propositum applicemus, habebimus $\alpha =$ Long. 6 Sept. $12^h = 157^\circ\ 54'\ 39''$; $\Delta' = 21218''$, $\Delta'' = -15''$, $\Delta''' = 14''$; $x = 1\tfrac{1}{12}, 1\tfrac{2}{12}$ etc.

Hinc:

Hinc:

$$\Delta'' \text{ correcta} = -15'' + \frac{1\frac{1}{12}-2}{3} \times 14''$$
$$= -15'' - 4'', 28$$
$$= -19'', 28$$

$$\Delta' \text{ correcta} = 21218'' + \frac{1\frac{1}{12}-1}{2} \times -19'', 28$$
$$= 21218'' - 0'', 8$$
$$= 21217'', 2$$
$$x\Delta' \text{ correcta} = 22985'', 3$$
$$= 6^\circ\ 23'\ 5'', 3$$

Itaque

$$y = \alpha + x\Delta' \text{ correcta} = 157^\circ\ 54'\ 39'' + 6^\circ\ 23'\ 5'', 3$$
$$= 164^\circ\ 17'\ 44'', 3 = \text{Long. ☾ 7 Sept. } 1^h$$

Post simile computum pro ceteris horis, inveniemus:

$164^\circ\ 47'\ 11'', 495$	=	Long. ☾ 7 Sept. 2^h
$165^\circ\ 16'\ 38'', 6$	=	. . . . 3^h
$165^\circ\ 46'\ 5'', 65$	=	. . . . 4^h
$166^\circ\ 15'\ 32'', 603$	=	. . . . 5^h
$166^\circ\ 44'\ 59'', 5$	=	. . . . 6^h

Sic quidem interpolatio, ope variarum formularum, procedit; atque eventus pro omnibus idem tum arctum inter omnes nexum, tum theoriam in sup. capite demonstratam maxime confirmat: nam parvae illae differentiae, quae nonnunquam in partibus decimis minutorum secundorum occurrunt, in censum non veniunt, quoniam nullius fere sunt momenti in determinando tempore conjunctionis. Superest adhuc ut idem exemplum ad formulas Cel. La Grange et Prony applicemus, in quibus mirus etiam consensus observabitur.

Cel. La Grange, ut vidimus, interpolandi methodum Newtonianâ simpliciorem invenit, et quidem talem, quae aeque ac illa Regnaldi simplici additione terminorum absolvatur. Idcirco terminos differentiarum seriei novae interpolatae expressit functionibus terminorum primorum differentiarum seriei datae, et quidem formula hac generali (vid. form. (P)):

$$\delta_s = a\Delta_s + b\Delta_{s+1} + c\Delta_{s+2} + e\Delta_{s+3} + \text{etc.}$$

in qua δ_s est differentia ordinis cujusvis s seriei interpolatae, Δ_s, Δ_{s+1}, Δ_{s+2} etc. sunt differentiae successivae ordinis s seriei datae, et a, b, c, etc. coëfficientes constantes determinati. Igitur si pro s ponamus successive 1, 2, 3, 4, etc. habebimus differentias primas, secundas, tertias, quartas novae seriei. Sunt autem in exemplo proposito, differentiae quartae seriei datae $= 0$, hinc, pro hoc casu, generalis aequatio exhibet tres sequentes pro tribus differentiis:

$$\text{si } s = 1, \text{ erit } \quad \delta_1 = a\Delta_1 + b\Delta_2 + c\Delta_3$$
$$s = 2 \quad \delta_2 = a\Delta_2 + b\Delta_3$$
$$s = 3 \quad \delta_3 = a\Delta_3$$

Invenimus autem valores coëfficientium esse:

$$a = \frac{1}{m^s}$$
$$b = s \times \frac{1-m}{2m} a$$
$$c = \frac{2s}{2} \times \frac{(1-m)(1-2m)}{1.\ 2.\ 3.\ m^2} a + \frac{s-1}{2} \times \frac{1-m}{2.\ m} b.$$

qui valores fiunt:

$$\text{si } s=1, \quad a=\frac{1}{m} \quad b=\frac{1-m}{2.\ m}\times\frac{1}{m} \quad c=\frac{(1-m)(1-2m)}{1.\ 2.\ 3.\ m^2}\times\frac{1}{m}$$
$$s=2, \quad a=\frac{1}{m^2} \quad b=\frac{1-m}{m}\times\frac{1}{m^2}$$
$$s=3, \quad a=\frac{1}{m^3}$$

His valoribus substitutis, habebimus:

$$\text{si } s=1, \quad \delta_1 = \frac{1}{m}\Delta_1 + \frac{1-m}{2m^2}\Delta_2 + \frac{(1-m)(1-2m)}{1.\ 2.\ 3.\ m^3}\Delta_3$$
$$s=2, \quad \delta_2 = \frac{1}{m^2}\Delta_2 + \frac{(1-m)}{m}\times\frac{1}{m^2}\Delta_3$$
$$s=3, \quad \delta_3 = \frac{1}{m^3}\Delta_3$$

Sit

Sit jam in exemplo proposito, ut supra, terminus primus sive $\Delta_0 = 157° 54' 39''$, $\Delta_1 = 21218''$, $\Delta_2 = -15''$, $\Delta_3 = 14''$, atque, quoniam 11 termini inter duos terminos sunt interpolandi, unde intervallum inter hos terminos in 12 partes dividi debet, $m = 12$, tum, his valoribus substitutis, erit:

$$\delta_1 = \frac{1}{12} \times 21218'' + \frac{1-12}{2.144} \times -15'' + \frac{(1-12)(1-24)}{6.1728} 14''$$
$$= 1768'',17 + 0'',57 + 0'',34$$
$$= 1769'',08.$$
$$\delta_2 = \frac{1}{144} \times -15'' + \frac{-11}{1728} \times 14''$$
$$= -0'',104 - 0'',088$$
$$= -0'',192.$$
$$\delta_3 = \frac{1}{1728} \times 14''$$
$$= +0'',008$$

Hi igitur sunt termini primi differentiarum primarum, secundarum, tertiarum seriei novae interpolatae, quibus cognitis, simplici additione omnes sequentes termini variarum differentiarum et tandem ipsi termini interpolandi invenientur. Possunt vero etiam ipsi termini interpolandi computari ope formulae, generatim valorem cujuscunque termini ex termino primo dato et terminis primis differentiarum exhibentis, et quae hujus formae est (vid. form. (N)):

$$T_n = t_0 + n\delta + \frac{n(n-1)}{1.2}\delta_2 + \frac{n(n-1)(n-2)}{1.2.3}\delta_3 + \text{etc.}$$

in qua si ponas $n = 0$, $n = 1$, $n = 2$ etc., invenies terminum primum, secundum, tertium etc. Hinc si inter Long. ☾ 7 Sept. 0^h et 7 Sept. 12^h pro quavis hora interpolare velimus, n erit successive $= 13, 14, 15, 16, 17, 18$, quoniam terminus primus sive t_0 est Long. ☾ 6 Sept. 12^h. Hos igitur valores si substituamus, habebimus:

T_{13}

$$T_{13} = t_0 + 13 \times \delta_1 + \frac{13 \times 12}{2} \delta_2 + \frac{13 \times 12 \times 11}{6} \delta_3$$

$$= t_0 + 13 \times 1769'',08 + \frac{13 \times 12}{2} \times -1'',09 + \frac{13 \times 12 \times 11}{6} \times 0'',008$$

$$= t_0 + 6^\circ\ 23'\ 18'',\ 08 - 14'',\ 976 + 2'',\ 288$$

$$= 157^\circ\ 54'\ 39'' + 6^\circ\ 23'\ 5'',\ 35$$

$$= 164^\circ\ 17'\ 44'',\ 35 = \text{Long. ☾ 7 Sept. } 1^h$$

$$T_{14} = 164^\circ\ 47'\ 11'',\ 56 = \ldots\ldots\ 2^h$$

$$T_{15} = 165^\circ\ 16'\ 38'',\ 68 = \ldots\ldots\ 3^h$$

$$T_{16} = 165^\circ\ 46'\ 5'',\ 72 = \ldots\ldots\ 4^h$$

$$T_{17} = 166^\circ\ 15'\ 32'',\ 32 = \ldots\ldots\ 5^h$$

$$T_{18} = 166^\circ\ 44'\ 59'',\ 61 = \ldots\ldots\ 6^h$$

Calculus igitur secundum formulam Cel. La Grange institutus, easdem exacte praebet Longitudines lunae pro horis intermediis, quas ope aliarum formularum invenimus. Eundem etiam eventum habemus, si formulam Cel. Prony adhibeamus, quae, ut supra jam monuimus, plane convenit cum illa La Grangii, quippe utraque differentias novae seriei interpolatae exhibet expressas functionibus differentiarum seriei datae.

Paucis de hac formula videamus.

Exprimitur differentia ordinis n novae seriei interpolatae, secundum Prony, hac formula generali (vid. form. (Q)):

$$\delta_n y = \frac{\Delta^n X_n}{1.2.3\ldots nh^n} \Delta_n + \frac{\Delta^n X_{n+1}}{1.2.3\ldots(n+1)h^{n+1}} \Delta_{n+1} + \frac{\Delta^n X_{n+2}}{1.2.3..(n+2)h^{n+2}} \Delta_{n+2} + \text{etc.}$$

quae fit, pro differentiis primis, secundis, tertiis, i. e. si $n = 1, 2, 3$.

$$\delta y = \frac{\Delta X}{h} \Delta + \frac{\Delta X_2}{1.\ 2.\ h^2} \Delta_2 + \frac{\Delta X_3}{1.\ 2.\ 3.\ h^3} \Delta_3$$

$$= \frac{\Delta x}{h} \Delta + \frac{\Delta [x(x-h)]}{1.\ 2.\ h^2} \Delta_2 + \frac{\Delta [x(x-h)(x-2h)]}{1.\ 2.\ 3.\ h^3} \Delta_3$$

$$\delta_2 y = \frac{\Delta^2 X_2}{1.\ 2.\ h^2} \Delta_2 + \frac{\Delta^2 X_3}{1.\ 2.\ 3.\ h^3} \Delta_3$$

$$= \frac{\Delta^2 [x(x-h)]}{1.\ 2.\ h^2} \Delta_2 + \frac{\Delta^2 [x(x-h)(x-2h)]}{1.\ 2.\ 3.\ h^3} \Delta_3$$

$$\delta_3 y = \frac{\Delta^3 X_3}{1.\ 2.\ 3.\ h^3} \Delta_3$$

$$= \frac{\Delta^3 [x(x-h)(x-2h)]}{1.\ 2.\ 3.\ h^3} \Delta_3.$$

Has

Has igitur formulas, in quibus differentiationes tantum sunt indicatae, si revera differentiemus secundum regulas differentiarum finitarum, atque observemus post differentiationem esse $x = 0$, sequentes habebimus aequationes:

$$\partial y = \frac{\Delta x}{h} \Delta + \frac{\Delta x^2 - h \Delta x}{h.\ 2h} \Delta_2 + \frac{\Delta x^3 - 3h \Delta x^2 + 2h^2 \Delta x}{h.\ 2h.\ 3h} \Delta_3$$

$$\partial_2 y = \frac{\Delta x^2}{h^2} \Delta_2 + \frac{\Delta x^3 - h \Delta x^2}{h^3} \Delta_3$$

$$\partial_3 y = \frac{\Delta x^3}{h^3} \Delta_3$$

Quae, quoniam $x = 0$ et $\Delta x = x + 1 = 1$ (ut supra posuimus) atque in exemplo proposito $h = 12$, $\Delta = 21218''$, $\Delta_2 = -15''$, $\Delta_3 = 14''$, valores differentiae primae, secundae, tertiae, novae seriei interpolatae exhibent sequentes:

$$\partial y = \frac{1}{12} \times 21218'' + \frac{1 - 12}{2.\ 144} \times - 15'' + \frac{1 - 3.\ 12 - 2.\ 144}{6.\ 1728} \times 14''$$
$$= 1768'',17 + 0'',57 + 0'',34$$
$$= 1769'',08$$

$$\partial_2 y = \frac{1}{144} \times - 15'' + \frac{-11}{1728} \times 14''$$
$$= - 0'',104 - 0'',088$$
$$= - 0'',192$$

$$\partial_3 y = \frac{1}{1728} \times 14''$$
$$= 0'',008.$$

Qui valores iidem sunt ac illi, quos dedit formula La Grangii, et qui vel successivis additionibus, vel ope formulae terminum generalem quemcunque exprimentis, terminos interpolandos exhibent, quemadmodum jam exemplo ostendimus, ita ut hanc operationem repetere necesse non sit.

Hoc igitur modo longitudine lunae pro quavis hora intermedia ope variarum formularum indagata et confirmata, problema de inveniendo tempore conjunctionis omni caret difficultate. Ex collatis enim inter se longitudinibus solis et lunae:

7 Sept. 0^h	long. ☉ = $164° 42' 47''$	Long. ☾ = $163° 48' 17''$
1^h	. . . . . . = $164° 45' 12'', 8$	. . . . . = $164° 17' 44'', 3$
2^h	. . . . . = $164° 47' 38'', 6$	. . . . . = $164° 47' 11'', 5$
3^h	. . . . . = $164° 50' 4'', 4$	. . . . . = $165° 16' 38'', 6$
4^h	. . . . . = $164° 52' 30'', 2$	. . . . . = $165° 46' 5'', 6$
5^h	. . . . . = $164° 54' 56''$	. . . . . = $166° 15' 32'', 6$
6^h	. . . . . = $164° 57' 21'', 8$	. . . . . = $166° 44' 59'', 5$

facile apparet illam conjunctionem locum habituram inter 7 Sept. 2^h et 7 Sept. 3^h. Nam die 7° Sept. horâ secundâ praecedit adhuc sol lunae, dum ejusdem diei horâ tertiâ luna soli praevertit; fuit igitur in hoc temporis intervallo momentum quo utriusque longitudo aequalis fuit. Illud autem momentum jam facile detegitur. Etenim si ponamus, tam solis quam lunae motum per unius horae spatium esse uniformem, quod sine magno errore assumi potest, eodem modo quo solis longitudinem pro quavis hora intermedia invenimus, jam solis et lunae longitudines pro quovis minuto vel primo vel secundo inter horam secundam et tertiam invenientur; atque sic ex interpolatis et collatis inter se longitudinibus exactissime tempus conjunctionis determinabitur. Sic videmus motum horarium solis esse $= 2', 25'', 8$, dum motus horarius lunae est $= 29', 27'', 1$; hinc, si per 60 dividamus, habebimus motum solis per tempus unius minuti $= 2'', 25$, dum motus lunae per idem tempus erit $= 29'', 27$. Hinc iterum successivis additionibus invenientur longitudines solis et lunae pro singulis minutis primis, inter 7 Sept. 2^h et 7 Sept. 3^h intermediis.

7 Sept. 2^h long. ☉ = $164° 47' 38'', 6$		Long. ☾ = $164° 47' 11'', 5$
motus per $1' =$	$+ 2'', 25$	motus per $1' =$ $+ 29'', 27$
7 Sept. $2^h\ 1'$ Long. ☉ = $164° 47' 40'', 85$		Long. ☾ = $164° 47' 40'', 77$

Non opus est ulterius pergere; videmus enim hoc tempore solis et lunae longitudines esse aequales ad $0'', 08$ usque, quae quantitas sane in censum venire non potest; dum si adhuc unum temporis minutum primum praeterlaberetur, luna soli per spatium $27''$ praevertisset. Conjunctio igitur solis et lunae locum habuit 7 Sept. $2^h\ 1'$ et quidem durante celebratissima Eclipsi, quae hoc anno mirandum et egregium spectaculum praebuit; fuere enim longitudines memoratae ex ephemeride *Connaiss. des Temps* hujus anni desumtae; in qua etiam tempus Novilunii notatur idem illud temporis punctum, quod pro tempore conjunctionis invenimus.

For-

Formularum, quae interpolationi inserviunt, usum cum satis superque indicaverimus, instituti ratio fert, ut etiam exemplo ostendamus, qualis sit usus calculi differentialis in construendis tabulis Logarithmicis et Goniometricis. In super. cap. formulas huic rei inservientes exhibuimus, earumque accurationem demonstravimus, nunc paucis earundem applicationem dabimus. Sed cum omnium harum formularum usus unus est idemque, exemplo ad unam tantum formulam applicato contenti, brevitatis gratia de ceteris non dicemus. Elegimus autem formulas differentiales, quarum ope Logarithmi facillime computari, atque inter alios Logarithmos datos interpolari possunt. Pro hac methodo invenimus formulas sequentes (vid. form. (T)):

$$d.\ Log.\ N = M \left\{ \frac{d.\ N}{N} - \tfrac{1}{2}\left(\frac{d.\ N}{N}\right)^2 + \tfrac{1}{3}\left(\frac{d.\ N}{N}\right)^3 - etc. \right\} \quad \ldots\ldots \quad (1)$$

et si N sit numerus valde magnus, ita ut d. N valde parva:

$$d.\ Log.\ N = +\ M\left(\frac{d.\ N}{N}\right)$$

$$d^2\ Log.\ N = -\ M\left(\frac{d.\ N}{N}\right)^2$$

$$d^3\ Log.\ N = +\ 2.M\left(\frac{d.\ N}{N}\right)^3$$

$$d^4\ Log.\ N = -2.3.M\left(\frac{d.\ N}{N}\right)^4$$

etc.

Posita autem d. N = 1, quemadmodum in tabulis construendis, ubi singuli termini unitate a se invicem distant, obtinet, erit:

$$\left.\begin{aligned} d.\ Log.\ N &= +\frac{M}{N} \\ d^2\ Log.\ N &= -\frac{M}{N^2} \\ d^3\ Log.\ N &= +\frac{2M}{N^3} \\ d^4\ Log.\ N &= -\frac{2.3M}{N^4} \end{aligned}\right\} \quad \ldots\ldots\ldots\ldots \quad (2)$$

Ponamus jam cognitos esse Logarithmos numerorum 10,000, 10,100, 10,200 etc. atque Logarithmos quaeri numerorum, qui inter illos datos inveniuntur; tum sequenti modo calculus erit instituendus.

Secundum formulam (1) exactissime computetur differentia prima Logar. numeri 10,000. Haec differentia prima addita Logarithmo numero 10,000 dabit Log. num. 10,001. Similiter differentiae secunda, tertia, quarta etc. secundum formulas (2) computatae, exhibebunt terminos, quorum successiva additione omnes termini interpolandi, adeoque Logarithmi numerorum quaesiti invenientur. Computus, posito M = 0,43429 etc., hic est:

$$M \times \frac{d}{N} = M \times \frac{1}{10,000} = + 0,0000434294481.$$

$$- M \times \tfrac{1}{2}\left(\frac{d.\,N}{N}\right)^2 = - M \times \frac{1}{200,000000} = - 0,0000000021714.$$

$$+ M \times \tfrac{1}{3}\left(\frac{d.\,N}{N}\right)^3 = \frac{1}{3,000000000000} = + 0,0000000000001.$$

$$\text{ergo d. Log. } N = + 0,0000434272768.$$

Habemus igitur:

$$\text{d. Log. } N = + \frac{M}{N} = + 0,0000434272768.$$

et eodem modo invenitur:

$$d^2 \text{ Log. } N = - \frac{M}{N^2} = - 0,0000000043429.$$

$$d^3 \text{ Log. } N = + \frac{2M}{N^3} = + 0,0000000000009.$$

Ceteras differentias in censum non venire facile apparet, cum jam d^3 Log. N tam parva sit, quamvis hic Logarithmos computemus ad decem usque cifras accuratos.

His itaque differentiis inventis, simplici additione termini interpolandi obtinentur, quemadmodum sequens tabula exhibet. Animadvertendum autem est, differentias secundas, quippe quae signo — affectae sunt, esse a differentiis primis auferendas.


Nu-


Numeri.	Logarithmi.	d. Log. N +	d² Log. N −	d³ Log. N +
10,000	4,0000000000000		43429	
	+ 434272768	434272768	+ 9	9
10,001	4,0000434272768	− 43438	43438	
	+ 434229330	434229330	+ 9	9
10,002	4,0000868502098	− 43447	43447	
	+ 434185883	434185883	+ 9	9
10,003	4,0001302687981	− 43456	43456	
	+ 434142427	434142427	+ 9	9
10,004	4,0001736830408	− 43465	43465	
	+ 434098962	434098962		
10,005	4,0002170929370			


et sic porro; potest enim tabula sine errore extendi usque ad Log. 10,100, tum enim d. Log. 10,100 ceteraeque differentiae de novo computandae sunt; sed operatio eadem manet. Possunt etiam hoc modo logarithmi inveniri numerorum, qui 10,000 praecedunt, dummodo additio in substractionem mutetur. Caeterum Logarithmi hoc modo inventi passim cum logarithmis, ope aliarum formularum exactissime computatis, conferendi et si opus sit, secundum hos corrigendi sunt.

Atque haec quidem exempla sufficere nobis videntur, quibus Interpolationis Theoria in praecedenti capite exposita, illustretur. Ex iisdem praeterea satis, ni fallor, apparet, quam late Interpolationis usus in omnibus disciplinis Mathematicis pateat. Qui usus cum talis sit ac tantus, haud dubitamus, scriptioni nostrae finem imposituri, ipsi verba subscribere Celeb. La Grange:

> *La méthode d'Interpolation est après les Logarithmes la découverte la plus utile qu'on ait faite dans le calcul.*


Fig. 1.
α
β
γ
δ
y
ε
a
b
c
d
x
e


Fig. 2.
μ
λ
κ
A
α
β
γ
−c
−b
−a
o
+a
+b
+c


Fig. 3.
μ
λ
κ
α
β
γ
−c
−b
−a
o
+a
+b
+c


BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

PETRI JOHANNIS UYLENBROEK,

AMSTELODAMENSIS,

MATHESEOS, PHILOSOPHIAE NATURALIS, PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM CANDIDATI, ET IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM ASTRONOMICAM, A NOBILISSIMO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM AC PHYSICARUM ORDINE A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Quaenam est Micrometrorum in tubis Astronomicis Theoria? Quinam eorum usus?

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM ASTRONOMICAM.

PRAEFATIO.

Scriptiunculae, quae responsionem ad Quaestionem Astronomicam continet, pauca tantum praefanda habemus, nec nisi ea, quae modum spectant, quo quaestioni satisfacere conati simus.

Quaestio est hujusmodi:

Quaenam est Micrometrorum in tubis Astronomicis Theoria? Quinam eorum usus?

In responsione igitur ad hanc Quaestionem id praecipue egimus, ut Micrometrorum Astronomicorum, sive ejusmodi instrumentorum, quorum ope parva spatia coelestia metimur, theoriam accurate exponeremus, et usum indicaremus. Quod ne tumultuarie fieret, sed ut e contra ordini, brevitati, et perspicuitati consuleretur, varia, quae descripta invenimus, Micrometra in genera et classes disposuimus, et quidem ratione habita horum instrumentorum constructionis, usus et nominis; ita ut duo genera constituta fuerint, quorum alterum continet ea micrometra, quae partibus constant immobilibus, quae plurimum inserviunt Declinationibus et Adscensionibus rectis determinandis, et quae a forma sua *Reticula* dicuntur; dum alterum genus ea amplectitur, quae partibus constant mobilibus, quae fere exclusive minimis spatiis dimetiendis sunt adaptata, et hinc strictiori sensu *Micrometra* vocantur. In duo igitur capita scriptionem nostram dissecuimus; quorum *primum* Theoriam et usum Reticulorum exponit, *alterum* Theoriam et usum Micrometrorum proprie sic dictorum. Quod autem ad classes attinet, has secundum variam vel Reticulorum vel Micrometrorum constructionem constituimus, et in singulis para-

graphis retulimus; iisque mentionem subjunximus illorum Micrometrorum, quae, quamvis constructione plus minusve diversa, theoria tamen et usu quam plurimum conveniunt. Introductionis vice fungitur expositio methodi, qua primus Micrometrorum inventor Cel. Hugenius in planetarum diametris observandis usus est.

Haec ad ipsam scriptionem. Quoad ejus auctorem, hic juvenem se profitetur atque tironem, adeoque suum opus non a bonitate aliqua, sed a voluntate commendatum vult; speratque et confidit fore ut ea benignitate, eaque indulgentia illud lecturi et dijudicaturi sint Viri Clarissimi, quam opus juvenile suo quodam jure sibi petere posse videtur.

INTRODUCTIO.

Hugenius ad calcem *Systematis* sui *Saturnii*, opportunitatem nactus, methodum indicat diametros planetarum dimetiendi.

Observaverat nempe, quod si in tubo Astronomico lentibus convexis instructo, et quidem in foco lentis ocularis objectum aliquod ponatur, illud, etiamsi exiguum sit, distincte tamen et ambitu exquisite terminato conspici; adeoque partem spatii coelestis eodem tempore in tubo conspiciendi visui subducere. Hanc observationem vir summus, quo erat ingenio, in subsidium vocavit, ut diametros planetarum metiretur. Etenim cognito campo tubi, i. e. cognita amplitudine imaginis coeli in tubo formatae, ratione amplitudinis ipsius tubi, si detur particula cognita illius tubi, inveniri poterit quaenam particula imaginis coeli ad hanc partem tubi pertineat. Itaque cum campum sui tubi cognosceret Hugenius, tubum ab utraque parte perforavit, et per foramen lamellam, (*virgulam* vocat,) ex aere aliave materia confectam, et sensim sensimque latitudine decrescentem tubo inseruit. Quando igitur diametrum planetae observare vellet, observavit tantum quousque lamellâ suâ opus esset ad totam planetae diametrum obtegendam; illud spatiolum accurate circino metitum, et ad tubi amplitudinem relatum, exhibuit ipsi magnitudinem imaginis planetae relatam ad totam amplitudinem imaginis coeli, vel tubi campum.

Hac methodo quamvis rudiori, multo tamen accuratius planetarum diametros determinavit Hugenius, quam ante eum Astronomi facere potuerant. Et sane est haec metho-

thodus, si observatio rite instituatur, valde simplex, quippe quae nihil aliud requirat nisi ut ad tres terminos datos quartus proportionalis inveniatur. Erit enim, si v. g. de diametris quaeratur, et D sit diameter tubi, d diameter ejus campi, Δ diameter lamellae, et δ diameter planetae observandi,

$$D : d = \Delta : \delta$$

$$\text{hinc } \delta = \frac{d.\,\Delta}{D}$$

Sic, si v. g. (ut observationem, quam ipse Hugenius in diametrum Veneris instituit, tamquam exemplum referamus) ponamus tubi diametrum esse aequalem unitati, campum tubi autem, sive imaginem coeli in tubo formatam esse $= 17',25$ totius coeli, diametrum lamellae, quae diametrum planetae exacte tegebat, $= \frac{1}{20}$ diametri tubi, habebimus $D = 1$, $d = 17',25$, $\Delta = \frac{1}{20}$, ergo

$$1 : 17',25 = \tfrac{1}{20} : \delta$$

$$\delta = \frac{17,'25 \times \frac{1}{20}}{1} = 17,'25 \times \tfrac{1}{20} = 51'' \; 45'''$$

Haec autem operatio ponit cognitum esse campum tubi. In exemplo allato retulimus campum tubi quo utebatur Hugenius. Ubi alia adhibentur micrometra, eadem valet hypothesis. Operae itaque pretium est unum alterumve modum campum tubi determinandi indicare.

Primus modus, quo etiam Hugenius usus est, et qui adhuc adhibetur, nititur observatione temporis, quod stella ad percurrendum tubum impendit. Ponamus v. g. aliquot minuta secunda praeterlabi, dum stella per tubum transit; tempus illud exhibebit spatium, quod stella revera per coelum percurrit. Etenim 4 minuta temporis congruunt cum uno gradu; igitur juxta hanc rationem facile computatur quot minuta campus tubi complectatur. Sic, ut ad primum exemplum nos teneamus, si, dum stella per tubum transierit, computata fuerint 69'', habebimus

$$4' : 69'' = 1^\circ : x$$

$$x = \frac{69'' \times 60'}{4'} = 69'' \times 15' = 17'$$

Campus itaque tubi Hugeniani erat $= 17',25$, quemadmodum etiam supra posuimus.

Alter modus campum tubi determinandi hic est. Sit (fig. 1.) AB diameter planetae, C centrum lentis objectivae, F focus, DE diameter tubi, tum DE et $\angle$ DEC tubi campum determinabunt. Est enim, posito CF = Radio = 1,

$$CF : DF = 1 : \text{tang. } DCF.$$
$$\text{i. e. } CF : \tfrac{1}{2}DE = 1 : \text{tang. } \tfrac{1}{2}DCE$$
$$\text{et tang. } \tfrac{1}{2}DCE = \frac{\tfrac{1}{2}DE}{CF}$$
$$\text{i. e. tang. } \tfrac{1}{2}\text{ campi} = \frac{\tfrac{1}{2}\text{ Diam. tubi}}{\text{distant. focal.}}$$

Ad priorem modum adhuc aliquid monendum est, quod etiam in multis observationibus micrometricis magni est momenti, et conversionem temporis in gradus, uti et graduum in tempus spectat. Non enim semper haec conversio simpliciter institui debet juxta rationem quod 4′ temporis 1° valeant. Hoc quidem procedit quando stella in ipso aequatore vel proxime ad ipsum versatur, sed quando stella declinationem habet, hujus declinationis omnino ratio habenda est. Etenim si tubus versus aequatorem dirigatur, diameter tubi subtendit chordam arcûs aequatoris; i. e. chordam circuli maximi. Sed si tubus ad aequatorem inclinatus est, v. g. sub angulo 60°, diameter tubi subtendet chordam circuli minoris, et quidem circuli, qui est dimidium circuli maximi. Est enim (fig. 2), si AQ est aequator, Pp axis telluris, et AB arcus 60°,

$$\frown AP : \frown BP = AC : BE$$
$$= \text{sin.} \frown AP : \text{sin.} \frown BP.$$
$$\text{i. e. quoniam} \frown AP = 90^\circ \text{ et } \frown BP = 30^\circ$$
$$\frown AP : \frown BP = 1 : \tfrac{1}{2}.$$

Hinc in ultimo hoc casu tubi diameter chordam subtendit duplo majorem. Ergo stella ad duplam chordam percurrendam duplo temporis indiget. Illud autem tempus reducitur ad tempus, quod stella impenderet ad percurrendam chordam in aequatore, si multiplicetur per ½ i. e. per sin. 30° vel per cos. 60°, i. e. per sinum distantiae polaris, vel per cosinum Declinationis. Jam quod valet pro Declinatione 60°, valet etiam eadem ratione pro Declinatione quavis. Est igitur regula generalis, quod tempus observatum, si solito modo reducatur ad gradus, praeterea multiplicandum sit per sinum distantiae polaris, vel per cosinum Declinationis; et e contra, si gradus in tempus convertantur, dividendos eos esse per sinum distantiae polaris vel per cosinum Declinationis.

Co-

Cognitis igitur campo tubi ejusque diametro, caret methodus Hugeniana omni difficultate, si modo observatio, quaenam lamellae pars planetae diametrum exacte tegat, aeque facilis sit. Sed cum haec observatio multis obnoxia est erroribus, haud mirum videri potest, quod Astronomi methodum Hugenii avide arreptam perpolire, et ad usum faciliorem reddere conati fuerint. Hinc variae natae sunt methodi, varia constructa micrometra, quorum theoriam et usum, secundum normam in praefatione indicatam, jam explicare aggredimur.

CAPUT PRIMUM.

THEORIA ET USUS RETICULORUM.

§. I.

Reticulum constans filis parallelis.

Reticulum filis parallelis constans exhibet fig. 3. ADBE est circulus, AB et DE sunt fila tenuissima ad angulos rectos sese in ipso centro C secantia. Ii, Ff, Gg, Hh sunt etiam fila tenuissima parallela ad DE, et aequalibus spatiis ab ipso dissita.

Theoretice consideratum hoc micrometrum tria praebet commoda. Primum est, quod campus tubi aliquot spatia inter se aequalia contineat. Alterum, quod plura dentur in ipso campo puncta fixa. Tertium, quod observatio, quae cum uno filo instituitur, cum aliis possit repeti.

Secundum theoreticam hanc considerationem, etiam triplex hujus reticuli usus est.

Quod ad primum attinet; apparet, si notus sit campus tubi, cujus intersectionem indicat circulus ADBE, ex distantia quam duo fila inter se servant, etiam notam esse amplitudinem cujusque partis a duobus filis complexae. Igitur si astrum quodvis, ejusve pars inter duo fila accurate intercipiatur, ejus diameter vel magnitudo, juxta methodum generalem in introductione exhibitam, computari poterit. Si vero non ita accurate a duobus filis amplectatur, ex conjectura erit agendum; quae conjectura eo magis

ad

ad veritatem accedet quo arctius astrum a duobus filis sit comprehensum, et quo accuratius observatio instituatur.

Hinc sequitur usum hujus reticuli esse in determinandis diametris astrorum, praesertim majorum, v. g. solis et lunae, uti et in observandis eorum eclipsibus; in quibus observationibus facile ope hujus micrometri quantitates eclipseos ad varia tempora determinantur, si nempe tempus notetur, quo exacte pars astri lucida intra duo fila continetur. Idem dictum sit de distantiis quas astra inter se servant. Pro astris autem adeo parvis ut a duobus filis exacte vel circiter amplecti non possint, alio modo procedendum est, in quo tertium, quod diximus, commodum hujus micrometri apparet. Observari nempe potest quantum temporis astrum ad unum filum percurrendum requirat; hoc enim tempus solito modo in minuta conversum exhibet diametrum astri. Illa autem observatio si ad unum quodque filum repetatur, ex pluribus observationibus una intermedia deduci poterit.

Quod ad alterum commodum attinet, quod hujus micrometri theoria indicat, plura nempe dari in campo tubi puncta fixa, et hoc insigne est; quoniam sic plures observationes ad unum idemque punctum campi institui possunt. Hinc etiam praecipue adhibetur ad horologium ordinandum. Notum enim est tempus primi mobilis, sive tempus astronomicum exacte posse indicari ab horologio motu uniformi praedito, ita ut si hodie quadam hora stella observetur in tubo Astronomico, eadem illa stella crastino die, eodem temporis momento in tubo apparitura sit. Quod ut obtineat, horologium secundum motum illum astri est ordinandum, et quidem sequenti modo. Astrum transit per tubum v. g. ab O ad P tempore quodam, quod pendet a campo tubi. Requiritur autem ut sciamus quandonam sit praecise in medio tubi, ut ad hoc punctum horologium redigamus. Hoc vero plane observari non potest, si tubus est vacuus. At quoniam filum DE inest, observari poterit temporis punctum, quo astrum in medio tubi versatur, nimirum quando a filo DE tegitur vel bissecatur. Idem obtinebit pro ceteris filis, tum ante, tum post transitum per medium tubi. Et quoniam fila aequaliter a se invicem distant, tot observationes institui poterunt, quot adsunt fila, ex quibus observationibus, si forte a se invicem differant, una intermedia deduci potest. Jam si hodie punctum temporis notaveris quo stella in medio tubi versabatur, postridie vero inveneris eodem tempore eandem stellam in medio tubi versari, signum erit horologium exacte tempus Astronomicum indicare. Si vero defecerit, horologium erit ordinandum methodis cognitis, quas explicare hujus loci non est.

Alium adhuc usum habet hoc micrometrum. Inservit nempe indicandis differentiis Adscensionum rectarum astrorum. Etenim si observaveris tempus quo stella cujus Adsc.

Recta

Recta cognita est, per quinque fila reticuli transierit, dein autem stella, cujus Adsc. R. quaeritur, post intervallum temporis, accurate observandum, per eadem quinque fila transeat, differentia temporis inter transitus duarum stellarum, in gradus et minuta conversa, dabit differentiam Adscensionum R.

Quando filum AB est parallelum ad Aequatorem (quod innotescit si stella exacte juxta AB movetur) fila Ii, Ff etc., quae perpendiculariter ipsum AB secant, sunt partes circuli declinationis. Si igitur in Micrometro nullum aliud adest filum horisontale nisi AB, Declinationes stellarum determinari nequeunt. Si vero fila horisontalia, ut v. g. PO adsint, quorum distantia ab AB est cognita, ex nota Declinatione stellae, quae juxta AB movetur, invenietur Declinatio incognita alius stellae, quae per unum ex filis ad AB parallelis transit.

Micrometrum cum filis fixis parallelis mox, rejecta methodo Hugenii, ab Astronomis fuit adhibitum, et adhucdum in usu est. Qui illud primum confecerint et adhibuerint sunt inter alios Malvasia et Petit (1).

Petit, ut videtur, primus fuit qui pro filis strias in lente oculari vel atramento vel adamante ductas substituere conatus sit (2). Quod tamen ipsi ex voto non successit.

Idem deinceps perfecit Cel. Mayer, qui multo plures strias in vitro duxit. Ejus tamen ope non minores angulos quam 1′ observare poterat, dum minores ex conjectura debebat computare, quod ipsi observatori exercitatissimo non difficile esse potuit aeque ac aliis (3).

Celeb. Römer (4), et post eum de La Hire (5) ejusmodi reticula cum filis fixis parallelis ad observandas eclipses adhibuerunt, sed apparatum duarum lentium objectivarum addiderunt, quae pro ratione distantiae quam a se invicem tenebant, imaginem formabant cujuslibet magnitudinis. Hinc apparatum ita disponebant, ut quantitas non obscurata exacte a duobus filis comprehenderetur, quo facto, valorem hujus quantitatis

(1) Vid. *Extrait d'une lettre de M. Petit* etc. *touchant une nouvelle machine pour mesurer exactement les diamètres des astres*; in *Journal des Savans* Tom. II. p. 132. ed. 12°.

(2) Vid. Petit l. l. p. 134.

(3) Vid. Kästner *Astron. Abhandl.* Tom. II. *Abhandl.* 7. pag. 272 seqq. uti et ibi citatum opus Mayeri: *Kosmographische Nachrichten und Sammlungen* in init.

(4) Vid. Kästner l. l. pag. 368.

(5) Vid. *Mém. de l'Acad. de Paris* A. 1701.

tatis ex distantia lentium objectivarum computabant, et quantitatem eclipseos concludebant.

Caeterum apparet nullo modo micrometra differre, sive constent filis, sive striis parallelis.

§. 2.

Micrometrum circulare.

Micrometrum circulare annulo metallico constat, nullis additis filis. Hinc mirum videri possit, illud inter Reticula a nobis relatum esse. Sed animadvertere nobis liceat, hoc micrometrum ideo hunc locum occupare, quoniam saepe ita adhibetur, ut eadem praestet ac si filis esset praeditum.

Micrometrum hoc, uti diximus, mero annulo constat, plerumque metallico, qui in foco lentis ocularis perpendiculariter ad axin tubi collocatur. Hujus annuli, qui quam exactissime circulum referre debet, sectionem exhibet fig. 4. in qua lineae quaedam ductae sunt ad exponendam hujus micrometri theoriam, dum revera micrometris desunt.

Sit igitur B locus ubi stella, cujus Adsc. R. et Declinatio cognitae sunt, micrometrum intrat, sit AB viam quam sequitur, et A ejusdem exitus. Sit similiter DGF viam quam alia stella incognita in micrometro absolvit. Sunt itaque AB et DF circuli chordae, quas si in H et G bissecaveris, et per ea puncta lineam duxeris EGHC, haec per centrum C transibit et perpendicularis erit in AB et FD, sive erit pars circuli declinationis. Si igitur stellae incognitae introitus et exitus accurate ad tempus horologii observetur, et hujus intervalli dimidium sumatur, innotescet tempus quo dicta stella in G sive in circulo Declinationis fuerit. Jam si eodem modo observatum sit quandonam stella cognita in eodem circulo Declinationis in H fuerit, differentia temporis, inter harum stellarum per dictum circulum transitus, in gradus et minuta conversa dabit differentiam Adscensionum rectarum.

Quod ad Declinationem stellarum attinet, hae facile ex cognita alius stellae Declinatione invenientur. Ponamus stellam, cujus Declinatio est cognita in micrometro transire per punctum H, et quaeri Declinationem stellae transeuntis per G; tum ductis ex centro C perpendiculo CHGE in lineas AB et FD, radiisque CB et CD, erit in triangulo rectangulo CHB:

$$CB = \frac{CH}{\cos. BCH} = \frac{HB}{\cos. CBH} \quad \ldots \ldots \ldots (1)$$

hinc

$$\text{hinc } CH = CB \times \cos. BCH$$
$$\text{at } \cos. BCH = \sin. CBH.$$
$$\text{ergo } CH = CB \times \sin. CBH. \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad (2)$$

$$\text{est autem ex } (1)\ CB \times \cos. CBH = HB$$
$$\text{sive } \cos. CBH = \frac{HB}{CB}$$

Igitur ex cognitis HB et CB invenitur valor $\angle CBH$, cujus sinus per CB multiplicatus valorem dat ipsius CH, ut aequatio (2) indicat. Hinc innotescit centri micrometri Declinatio. Hujus autem centri Declinatione cognita, similiter quaeritur Declinatio stellae incognitae. Est enim in triangulo rectangulo CGD:

$$CD = \frac{CG}{\cos. DCG} = \frac{GD}{\cos. CDG} \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad (3)$$

$$\text{hinc } CG = CD \times \cos. DCG.$$
$$\text{at } \cos. DCG = \sin. CDG.$$
$$\text{ergo } CG = CD \times \sin. CDG.$$

$$\text{est autem ex } (3)\ CD \times \cos. CDG = GD$$
$$\text{sive } \cos. CDG = \frac{GD}{CD}$$

Similiter itaque invenitur distantia CG, et hinc ex priori inventa Declinatione centri micrometri computatur Declinatio quaesita stellae.

Eadem Declinatio etiam alio modo habetur. Est nempe

$$CH = \sqrt{(CB^2 - HB^2)}$$
$$CG = \sqrt{(CD^2 - GD^2)}$$
$$\text{ergo } CG - CH = \sqrt{(CD^2 - GD^2)} - \sqrt{(CB^2 - HB^2)} = GH. \quad . \quad . \quad . \quad (A)$$

Si cognitas ponamus Declinationes duarum stellarum, ex his inveniri poterit campus micrometri. Ponamus idcirco brevitatis gratia $CB = CD = r$, $AB = p$, $DF = q$, ergo $HB = \frac{1}{2}p$, $DG = \frac{1}{2}q$, $CG - CH = t$, tum aequatio nostra (A) fit

$$t = \sqrt{(r^2 - \tfrac{1}{4}q^2)} - \sqrt{(r^2 - \tfrac{1}{4}p^2)}$$

 Porro

$$\text{Porro } CG^2 = CD^2 - GD^2,\ CH^2 = CB^2 - HB^2$$
$$\text{i. e. } CG^2 = r^2 - \tfrac{1}{4}q^2,\ CH^2 = r^2 - \tfrac{1}{4}p^2$$
$$\text{ergo } CG^2 - CH^2 = r^2 - \tfrac{1}{4}q^2 - r^2 + \tfrac{1}{4}p^2$$
$$= \tfrac{1}{4}p^2 - \tfrac{1}{4}q^2$$
$$= \tfrac{1}{4}(p^2 - q^2)$$

$$\text{est autem } CG^2 - CH^2 = (CG + CH) \times (CG - CH)$$
$$\text{ergo } (CG + CH) \times (CG - CH) = \tfrac{1}{4}(p^2 - q^2)$$
$$CG + CH = \frac{\tfrac{1}{4}(p^2 - q^2)}{CG - CH}$$
$$= \frac{p^2 - q^2}{4t}.$$

$$\text{est autem } CG = \tfrac{1}{2}(CG + CH) + \tfrac{1}{2}(CG - CH)$$
$$= \frac{p^2 - q^2}{8t} + \tfrac{1}{2}t$$
$$CG^2 = \left\{\frac{p^2 - q^2}{8t} + \tfrac{1}{2}t\right\}^2$$
$$CG^2 = r^2 - \tfrac{1}{4}q^2$$
$$\text{sive } r^2 = CG^2 + \tfrac{1}{4}q^2$$
$$= \left\{\frac{p^2 - q^2}{8t} + \tfrac{1}{2}t\right\}^2 + \tfrac{1}{4}q^2$$
$$= \left(\frac{p^2 - q^2}{8t}\right)^2 + 2 \times \tfrac{1}{2}t \times \frac{p^2 - q^2}{8t} + \tfrac{1}{4}t^2 + \tfrac{1}{4}q^2$$
$$= \left(\frac{p^2 - q^2}{8t}\right)^2 + \frac{t(p^2 - q^2)}{8t} + \tfrac{1}{4}q^2 + \tfrac{1}{4}t^2$$
$$= \left(\frac{p^2 - q^2}{8t}\right)^2 + \frac{p^2 - q^2}{8} + \tfrac{2}{8}q^2 + \tfrac{1}{4}t^2$$
$$= \left(\frac{p^2 - q^2}{8t}\right)^2 + \frac{p^2 + q^2}{8} + \tfrac{1}{4}t^2 \quad \ldots\ldots\ldots \quad (B)$$

Haec methodus inveniendi campum micrometri circularis ex datis Declinationibus duorum astrorum primum a Cl. Fixmillner proposita, dein a Celeb. Kästner in *Astron. Jahrb.* A. 1796. p. 164. fuit repetita.

Si in formula (B) facias $p = a$, $q = a'$, $t = \delta' - \delta$ et per 4 multiplicaveris, habebis:

$4r^2$

$$4r^2 = \left(\frac{a^2 - a'^2}{4(\delta' - \delta)}\right)^2 + \tfrac{1}{2}(a^2 + a'^2) + (\delta' - \delta)$$

Sub qua forma eam proposuit in egregia sua commentatione de micrometro circulari Celeb. F. W. Bessel in *Monatl. Correspond.* Tom. XXIV. pag. 434. n°. 2.

Sit (fig. 5.) C centrum micrometri circularis, *ad* via quam stella sequitur, R radius astri, *r* radius micrometri: sit tempus praeterlapsum inter duos appulsus astri ad circumferentiam exteriorem micrometri, i. e. tempus per $ad = t$, et tempus inter ejusdem astri appulsus ad circumferentiam internam, i. e. tempus per $bc = t'$, sit porro pC perpendicularis in *ad*, tum erit:

$$ad = 2\,ap = t\cos.\delta \qquad ap = pd = \frac{t\cos.\delta}{2}$$

$$bc = 2\,bp = t'\cos.\delta \qquad bp = pc = \frac{t'\cos.\delta}{2}$$

$$Cp^2 = Cd^2 - pd^2 = Cb^2 - pb^2$$

$$\text{sive} \quad (r+R)^2 - \left(\frac{t\cos.\delta}{2}\right)^2 = (r-R)^2 - \left(\frac{t'\cos.\delta}{2}\right)^2$$

$$\text{ergo} \quad (r+R)^2 - (r-R)^2 = \left(\frac{t\cos.\delta}{2}\right)^2 - \left(\frac{t'\cos.\delta}{2}\right)^2$$

$$\text{sive} \; [(r+R)+(r-R)] \times [(r+R)-(r-R)] = \frac{\cos.^2\delta}{4} \times t^2 - \frac{\cos.^2\delta}{4} \times t'^2$$

$$\text{i. e.} \quad 4rR = \frac{\cos.^2\delta}{4} \times (t^2 - t'^2)$$

$$2R = \frac{\cos.^2\delta \times (t+t') \times (t-t')}{8r}$$

Hinc apparet hoc micrometrum etiam egregie inservire astrorum diametris determinandis. Vid. Comment. Besselii laud. in qua multa alia hujus micrometri usum spectantia inveniuntur. Mentio etiam fit apparatus a Celeb. Olbers inventi ad accuratiores cum hoc micrometro observationes instituendas. Proponit nempe V. C. usum duorum annulorum concentricorum, intervallum quoddam inter se relinquentium (fig. 6). Hoc enim modo aeque ac in micrometro cum filis parallelis observationes multiplicari possunt, et ex nonnullis institutis media arithmetica deduci. Addidit etiam Celeb. Olbers lamellam exacte per centrum micrometri transeuntem, ut sic ex appulsu stellarum ad hujus lamellae la-

tus, accuratius differentia declinationum observari posset (fig. 7). Similem apparatum sed sine lamella, in eundem finem sibi etiam comparaverat Doct. Köhler, sed praecipue ut luminis quamdam inflectionem evitaret. Vid. *Allgemeine Geograph. Ephemer.* Tom. VIII. pag. 318. Ad accuratius poli altitudinem determinandam hoc micrometrum proposuit et adhibuit doct. Koch, vid. *Astron. Jahrb.* A. 1793. pag. 188. cff. etiam Besselii additamenta ad Comment. laud. in *Monatl. Corresp.* Tom. XXVI. pag. 67.

§. 3.

Reticulum 45°.

Hoc reticulum, quod, ut nomen indicat, et fig. 8. ostendit, quatuor filis constat, AE, BF, IG, DH, quorum duo quaeque se in centro C circuli ABIDEFGH sub angulo 45° secant, unice fere adhibetur in determinandis Adscensionibus rectis et Declinationibus stellarum. Duo autem casus, quando eum in finem adhibetur, locum habere possunt, quod nempe unum e filis v. g. AE sit parallelum ad Aequatorem, vel quod ei sit inclinatum. Quod parallelum sit, indicabit stella quae exacte juxta AE movetur. Si autem via stellae filum AE secat, AE erit aequatori inclinatum. Consideremus duos hos casus separatim.

Si filum AE est parallelum ad aequatorem, quaevis alia stella per tubum transiens movebitur per lineam ad v. g. $\| AE$. Hinc si innotescat Adscensio R. et Declinatio stellae, quae movetur juxta AE, facillime determinantur Adscensio R. et Declinatio stellae percurrentis ad. Erit enim intervallum temporis inter appulsum stellae cognitae in C et appulsum stellae incognitae in b, conversum in gradus et minuta, aequale differentiae Adscensionum R. duorum astrorum. Quod vero ad Declinationem attinet, erit in $\triangle dCa$, $\angle dCa = \llcorner$, $\angle Cad = \angle Cda = 45^\circ$, $Cb \perp ad$, hinc $\angle Cba = \llcorner$, $\angle bCa = 45^\circ = \angle baC$, ergo $bC = ba$. Sit igitur Declinatio stellae percurrentis $AE = \delta$, tum erit declinatio stellae percurrentis $ad = \delta + bc = \delta + ab = \delta + \frac{1}{2} ad$. Est autem spatium ad si in tempus convertatur,

$$ad = t \times \cos.(\delta + bC)$$
$$= t \cos.\delta.\cos.bC - t \sin.\delta.\sin.bC$$

et si bC sit valde parvum, erit $\cos. bC = 1$, $\sin. bC = bC$

hinc

$$\text{hinc } ad = t\cos.\delta - t\sin.\delta \times bC$$

$$\text{et } \tfrac{1}{2}ad = ab = bC = \tfrac{1}{2}t\cos.\delta - \tfrac{1}{2}t\sin.\delta \times bC$$

$$bC + \tfrac{1}{2}t\sin.\delta \times bC = \tfrac{1}{2}t\cos.\delta$$

$$bC\,(1 + \tfrac{1}{2}t.\sin.\delta) = \tfrac{1}{2}t\cos.\delta$$

$$bC = \frac{\tfrac{1}{2}t\cos.\delta}{1 + \tfrac{1}{2}t\sin.\delta}$$

sive, quoniam, quando bC valde parvum est, etiam $\tfrac{1}{2}t$ valde parvum est, et $\tfrac{1}{2}t\sin.\delta$ negligi potest, erit

$$ab = bC = \tfrac{1}{2}t\cos.\delta$$

Quod ad alterum casum attinet, ubi sc. AE non est parallelum ad aequatorem, adeoque stellae non percurrunt filum AE, nec ei paralleliter moventur, sed ut in fig. 9. juxta A'E' et ad, observari poterit appulsus stellarum in C uti et in a, b, d. Jam si ex C ducatur $Ce \perp$ A'E', erit haec pars circuli declinationis. Notetur tempus quod stella incognita impendit ad percurrendum ab, sit hoc tempus $= t$; notetur etiam tempus impensum ad percurrendum bd, sit hoc $= t'$, tum erit:

$$ba : bd = t : t'$$

$$\text{at vero est } ba : aC = \sin.\, bCa : \sin.\, abC$$

$$\text{et } bd : dC = \sin.\, bCd : \sin.\, dbC$$

est autem $\sin.\, bCa = \sin.\, bCd = \sin.\, 45°$, et $\sin.\, abC = \sin.\, dbC$, quoniam alter angulus alterius est supplementum. Ergo erit:

$$ba : bd = aC : dC = t : t'$$

Est autem in triangulo rectangulo dCa

$$\text{tang. } Cad = \frac{\sin.\, Cad}{\cos.\, Cad} = \frac{dC}{aC} = \frac{t'}{t}$$

$$\text{hinc } t\sin.\, Cad = t'\cos.\, Cad$$

$$t^2\sin.^2 Cad = t'^2\cos.^2 Cad$$

$$t^2(1 - \cos.^2 Cad) = t'^2\cos.^2 Cad$$

$$t^2 - t^2\cos.^2 Cad = t'^2\cos.^2 Cad$$

$$t^2 = t^2\cos.^2 Cad + t'^2\cos.^2 Cad$$

$$t^2 = (t^2 + t'^2)\cos.^2 Cad$$

$$\frac{t^2}{t^2 + t'^2} = \cos.^2 Cad$$

$$\frac{t}{\sqrt{(t^2 + t'^2)}} = \cos.\, Cad = \sin.\, adC.$$

Si

Simili modo invenitur ex tang. $Cda = \frac{\sin. Cda}{\cos. Cda} = \frac{t}{t'}$

$$\frac{t'}{\sqrt{(t^2+t'^2)}} = \cos. Cda = \sin. Cad.$$

$$\begin{aligned} \text{est autem } aC &= ad \times \sin. adC \\ \text{et } eC &= aC \times \sin. Cad \\ &= ad \times \sin. adC \times \sin. Cad \\ &= ad \times \frac{t}{\sqrt{(t^2+t'^2)}} \times \frac{t'}{\sqrt{(t^2+t'^2)}} \\ &= ad \times \frac{t \times t'}{t^2+t'^2} = \text{differentiae Declinationum.} \end{aligned}$$

Ut Adscensio recta inveniatur, in auxilium vocandum est perpendiculum Ce, quod, ut diximus, est pars circuli declinationis. Notum est tempus quando stella cognita fuerit in C, observatum etiam est tempus quod stella incognita impendit ad percurrendum ba, requiritur igitur ut cognoscamus quantum temporis ipsi opus sit ad percurrendum be, vel ae. In triangulo rectangulo aeC est:

$$\begin{aligned} ea &= aC \times \cos. eaC \\ &= aC \times \sin. adC \\ \text{at } aC &= ad \times \sin. adC \\ \text{ergo } ea &= ad \times \sin.^2 adC \\ &= t^2 \times \frac{t+t'}{t^2+t'^2} \end{aligned}$$

est porro $be = ae - ab$, i. e.

$$be = t^2 \times \frac{t+t'}{t^2+t'^2} - t$$

unde habemus post reductionem

$$be = \frac{t.\, t'\, (t-t')}{t^2+t'^2}$$

Ex casu generaliori, quod sc. stella motu quocunque per reticulum transit, facile deducitur casus particularis, ubi stellae motus parallelus est ad unum e filis. Tum enim ad (fig. 9.) fit ad (fig. 8.) $Ce = Cb$, et

tang.

$$\text{tang. } Cad = \text{tang. } Cda$$

$$\text{sive } \frac{\text{sin. } Cad}{\text{cos. } Cad} = \frac{\text{sin. } Cda}{\text{cos. } Cda}$$

adeoque $\angle Cad = \angle Cda$, $aC = Cd$, $ab = bd$ sive $t = t'$

$$cC = Cb = ad \times \frac{t \times t'}{t^2 + t'^2}$$

$$= ad \times \frac{t^2}{2t^2}$$

$$= \tfrac{1}{2} ad.$$

Hinc si Declinatio stellae cognitae sit δ, illa stellae incognitae erit $\delta + \frac{1}{2} ad = \delta + \frac{1}{2}$ tempus quod opus est ad percurrendum ad. Adscensio recta stellae incognitae erit = Adscensioni rectae stellae cognitae + tempus quod impenditur percurrendo $ab = \frac{1}{2} ad$. Ex una eademque observatione innotescit tum Declinatio, tum Adscensio recta; sed requiritur ut filum AE sit perfecte parallelum ad aequatorem.

§. 4.

Reticulum Rhomboidale.

Describatur circa circulum ADBO (fig. 10.) quadratum KLNM, dividatur hoc quadratum in quatuor quadrata, ducendo diametros AB, DO. Ducantur ex punctis extremis D et O unius diametri DO, ad extrema puncta laterum quadrati oppositorum lineae, sive fila DM, DN et OK, OL, tum ex intersectione horum filorum orietur rhombus OPDQ, qui etiam observationibus micrometricis egregie inservit. Etenim ex constructione sequitur QP fore = CD. Est enim in triangulis similibus DMO et DQC,

$$\text{MO : QC} = \text{OD : DC}$$
$$\text{at} \quad \text{OD} = 2\,\text{DC}$$
$$\text{ergo} \quad \text{MO} = 2\,\text{QC}$$
$$\text{MO} = \text{CO} = \text{CD}$$
$$\text{ergo} \quad \text{CD} = 2\,\text{QC}$$
$$\text{ob eandem rationem} \quad \text{CD} = 2\,\text{PC}$$
$$\text{ergo} \quad \text{QC} = \text{PC}$$
$$\text{et} \quad \text{CD} = \text{QC} + \text{PC}$$
$$\text{i. e.} \quad \text{CD} = \text{QP}$$

Hinc si ponamus filum AB esse parallelum ad aequatorem, ita ut stella illud exacte percurrat, ex tempore, quod stella ad percurrendum PQ impendit, cognosci poterit campus micrometri. Simul vero innotescit distantia CD = QP = CO. In ea autem hypothesi, quod AB sit parallelum ad aequatorem, erit DC vel DO pars circuli Declinationis. Hinc cognita Declinatione centri C, (quae facile invenitur si stella, cujus Declinatio cognita est, observata fuerit in ipso centro C) cognoscetur Declinatio punctorum D et O. Jam quod valet de his punctis extremis, id etiam valet de quovis puncto intermedio. Ponamus enim stellam quamdam incognitam percurrere lineam abd, tum ob eandem causam, ob quam CD = QP, erit bD = ad. Notato igitur tempore, quod praeterlabitur inter appulsum stellae ad a et d, illoque tempore converso in gradus et minuta juxta praeceptum supra datum, Declinatio stellae innotescet, si gradus illi et minuta abstrahantur a Declinatione puncti D, quae juxta primam operationem fuit determinata. Adscensio recta eodem plane modo invenitur ac in reliquis reticulis.

Sic facile res procedit ubi AB est parallelum ad aequatorem. At vero ubi AB non ita est dispositum, Declinatio et Adscensio recta aeque bene quidem determinantur, sed computu prolixiori opus est. Ponamus v. g. stellam percurrere lineam $a'bd'$, tum sequenti modo poterit res institui.

Observetur tempus quod stella impendit ad percurrendum $a'b$ et bd'; tum, si tempora haec sint t et t', erit

$$a'b : bd' = t : t'$$

at in triangulo $b\mathrm{D}a'$ est $\mathrm{D}a' : a'b = \sin. \mathrm{D}ba' : \sin. b\mathrm{D}a'$

et in triangulo $b\mathrm{D}d'$ est similiter $\mathrm{D}d' : d'b = \sin. \mathrm{D}ba' : \sin. b\mathrm{D}d'$

ergo, quoniam $\sin. \mathrm{D}ba' = \sin. \mathrm{D}bd'$, et $\angle b\mathrm{D}a' = \angle b\mathrm{D}d'$

erit $\mathrm{D}a' : \mathrm{D}d' = a'b : d'b = t : t'$

in triangulo $a'\mathrm{D}d'$ est $\sin. \mathrm{D}a'd' : \sin. \mathrm{D}d'a' = \mathrm{D}d' : \mathrm{D}a' = t' : t$

$$\text{ergo } \sin. \mathrm{D}a'd' + \sin. \mathrm{D}d'a' : \sin. \mathrm{D}a'd' - \sin. \mathrm{D}d'a' = t'+t : t'-t$$

$$\text{sive tang. } \tfrac{1}{2}(\mathrm{D}a'd' + \mathrm{D}d'a') : \text{tang. } \tfrac{1}{2}(\mathrm{D}a'd' - \mathrm{D}d'a') = t'+t : t'-t$$

$$\text{ergo tang. } \tfrac{1}{2}(\mathrm{D}a'd' - \mathrm{D}d'a') = \frac{t'-t}{t'+t} \times \text{tang. } \tfrac{1}{2}(\mathrm{D}a'd' - \mathrm{D}d'a') \; . \; . \; . \; (\alpha)$$

Ponamus jam angulum D, cujus valor facile invenitur, $= \phi$, et brevitatis gratia $\angle \mathrm{D}a'd' = a'$ et $\angle \mathrm{D}d'a' = d'$, tum erit,

a' +

$$a' + d' + \phi = 180^\circ$$
$$a' + d' = 180^\circ - \phi$$
$$\tfrac{1}{2}(a' + d') = 90^\circ - \tfrac{1}{2}\phi$$

sit porro $\tfrac{1}{2}(a' + d') = M$
$\tfrac{1}{2}(a' - d') = N$

tum, his valoribus in aeq. (α) substitutis, erit

$$\text{tang. } N = \frac{t' - t}{t' + t} \times \text{tang. } M.$$

hinc, cognito valore ipsius N, erit

$$a' = M + N$$
$$d' = M - N$$
$$\angle Dba' = 180^\circ - (\tfrac{1}{2}\phi + a')$$
$$\angle Dbd' = 180^\circ - (\tfrac{1}{2}\phi + d')$$

Porro est $Db : ba' = \sin.\, a' : \sin.\, \tfrac{1}{2}\phi$

$$Db = \frac{ba' \times \sin.\, a'}{\sin.\, \tfrac{1}{2}\phi}$$
$$Cb = CD - Db$$
$$= PQ - Db$$

ducamus $Ch \perp a'd'$, tum erit in triangulo rectangulo bCh:

$$bh = Cb \times \cos.\, hbC$$
$$= Cb \times \cos.\, Dba'$$
$$= Cb \times \cos.\, [180^\circ - (\tfrac{1}{2}\phi + a')]$$
$$= Cb \times \cos.\, (\tfrac{1}{2}\phi + a')$$
$$ha' = hb + ba' \quad \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots \quad (\beta)$$

ergo cognoscitur tempus quo stella pervenit ad circulum declinationis. Ut ipsa determinetur Declinatio, quaeritur Ch, quae jam facile invenitur. Est enim in triangulo rectangulo Chb:

$$hC^2 = Cb^2 - hb^2$$
$$hC = \sqrt{(Cb^2 - hb^2)} \quad \ldots\ldots\ldots\ldots \quad (\gamma)$$

Formulae igitur (β) et (γ), si in iis pro hb et Cb sui valores substituantur, dant differentias Adscensionum rectarum et Declinationum stellae cognitae et incognitae. Huic con-

consilio etiam egregie inservit hoc micrometrum, praesertim si ita disponatur ut PQ sit parallelum ad aequatorem.

Aliam viam ingressus est Bernouilli, qui ex observato tempore t, quo stella pervenit ab a' ad b (fig. 11.) uti et ex observato tempore T, quo eadem stella $a'd'$ percurrit, dein ex observato tempore, quo alia stella per $\alpha\beta$ movetur, primum computat $\angle \kappa\alpha\beta$, dein quaerit kb et $\kappa\beta$ (ductis nempe $\kappa\alpha$ et $ka' \parallel$ QP), tandem ex triangulis similibus $ka'b$ et $lb\beta$, $l\beta$ et lb. Est autem $l\beta$ differentia Declinationum; et si inter appulsus duarum stellarum ad DC praeterlapsa sint s minuta, tempori s demendum erit tantum quantum lb valet, quoniam si reticulum perpendiculare fuisset ad aequatorem, tempus s quantitate lb brevius fuisset. Vid. ampliorem hujus methodi expositionem in *Astron. Jahrb.* A. 1776. pag. 165 sqq., uti et in *Comment. Acad. Berol.* A. 1773.

Caeterum hoc loco animadvertere liceat, micrometra, quorum theoriam exhibuimus, vinculo quodam inter se esse juncta. Etenim si angulum ϕ variabilem ponamus, ipsique varios tribuamus valores, successive illa reticula emergere videbimus, quorum theorias in praecedentibus paragraphis exposuimus. Sic v. g. si ponamus $\phi = 180^\circ$, erit $\frac{1}{2}\phi = 90^\circ$, triang. QDP, et triang. QOP (fig. 10.) mutantur in rectangulum: hinc totus rhombus QDPO fit rectangulum, et evadit reticulum cum filis parallelis.

Si $\phi = 0^\circ$ disparent triangula, uti et rhombus; circulus cum diametris superest, et habemus micrometrum circulare.

Si $\phi = 90^\circ$, habebis (fig. 12.) reticulum quadratum AOBD, sed si per centrum C ducas EF $\parallel$ AD, et GH $\parallel$ DB, unde $\angle$ GCE $= \phi = 90^\circ$, facile apparet ex similitudine triangulorum, quemadmodum est $ab = b$D, sic etiam esse $a'b = b$C, proprietas reticuli 45°.

Tandem si ponas $\phi = 53^\circ\ 7'\ 48''$, erit (fig. 10.) in triangulo DON:

$$\begin{aligned} \text{DO} &= \text{ON} \times \text{tang. OND} \\ &= \text{CB} \times \text{tang.}\,(90^\circ - \tfrac{1}{2}\phi) \\ &= \text{CB} \times \text{cot.}\,\tfrac{1}{2}\phi. \end{aligned}$$

et si CB radius tubi ponatur v. g. aequalis unitati, habebimus

$$\begin{aligned} \text{Log. } 1 &= 0{,}0000000 \\ \text{Log. cot. } \tfrac{1}{2}\phi &= 0{,}3010300 \\ \hline \text{Log. DO} &= 0{,}3010300 \\ \text{DO} &= 2, \end{aligned}$$

ergo

$$\text{ergo } DO = 2\,ON, \text{ et } DC = 2\,CP$$
$$\text{similiter } DO = 2\,OM, \text{ et } DC = 2\,CQ$$

$$\text{ergo } CP = CQ$$
$$DC = PQ$$
$$\text{et } ad = bD.$$

Quod, ut supra vidimus, in reticulo rhomboïdali obtinet.

Haec quidem de hoc reticulo sufficiant. Qui plura de eo velint, adeant formulas propositas a Celeb. De Lambre in *Connaissance des Tems pour l'an* XII. pag. 269; quae formulae juxta similem normam ac nostrae sunt computatae. Vid. etiam *Monatl. Corresp.* A. 1800. ubi methodi inveniuntur Celeb. Burckhardt.

CAPUT ALTERUM.

THEORIA ET USUS MICROMETRORUM PROPRIE SIC DICTORUM.

§. 1.

Micrometrum constans filis, quorum unum est mobile.

Sint duo fila parallela AB et CD (fig. 13), quorum CD immobile, AB vero mechanismo quodam mobile, ita ut ad CD paralleliter accedere possit. Sit EF itidem filum immobile, fila AB et CD ad angulos rectos secans. Constituunt haec fila micrometrum, de quo nunc agimus.

His positis, per se patet campum micrometri, i. e. distantiam NO inter duo fila AB et CD, ubi haec maxima est, solito modo posse inveniri; adeoque spatium illud coeleste, quod tum exacte a duobus filis amplectitur, cognosci; sed pro omni alio spatio coelesti, minori quam est campus micrometri, admovendum esse filum mobile AB, donec iterum spatium dictum accurate a duobus filis intercipiatur. Duae igitur hic oriuntur

 quae-

quaestiones, altera, quomodo filum AB spatia quaevis, etiam minima, percurrere possit, altera, quomodo distantia quaelibet NO inter fila AB et CD inveniatur.

Notum est universe parva spatia accurate dimetiri ope cochlearum, quoniam, quando vertex cochleae unam facit circumvolutionem, cochlea ipsa latitudinem inter duas helices promovetur. Quo autem minor est distantia inter duas helices et major est radius verticis, eo minora, et eo accuratius spatia dimetiri possunt. Haec methodus etiam applicata est ad micrometra in tubis Astronomicis. Movetur enim filum AB ope cochleae helicibus admodum propinquis praeditae, et cujus vertici praeterea index additus est, qui in circulo cochleae circumvolutiones, earumque partes indicat.

Filum itaque AB spatium quodlibet percurrere potest. Quaeritur jam valor istius spatii, ut ex eo, et ex campo Micrometri distantia quaevis inter duo fila cognoscatur. Facillime hic valor invenitur, si valorem cognoscamus spatii, quod filum AB per unam circumvolutionem cochleae percurrit. Hoc enim cognito, facile ex numero circumvolutionum cochleae innotescit spatium quodvis a filo AB percursum. Plures sunt methodi valorem unius circumvolutionis cochleae determinandi. Unam alteramve hic exponemus.

Cognito campo micrometri, i. e. cognita distantia maxima NO filorum AB et CD, quae solito modo ex tempore transitus stellae invenitur, agitetur cochlea, donec filum AB exacte tangat filum CD, et notetur numerus circumvolutionum cochleae earumque partium, quibus opus fuit filo AB ad percurrendum NO, tum numerus hic circumvolutionum divisus per numerum qui exprimit campum micrometri, dabit quantitatem spatii, quod AB per unam cochleae circumvolutionem transit. Sic si v. g. campus micrometri i. e. ON sit $= 4' \, 20''$, atque ad hoc spatium percurrendum 40 circumvolutiones cum $\frac{5}{8}$ opus fuerint, tum uni circumvolutioni $6'', 4$ competent.

Poteris etiam alio modo valorem unius circumvolutionis cochleae invenire, si nempe filum AB per duas, tres, pluresve circumvolutiones promoveas, deinde observes tempus quod stella impendit ad percurrendam distantiam imminutam inter AB et CD, tum differentia temporis dabit quantitatem, quae convenit tot circumvolutionibus, quibus agitaveris cochleam; hinc de quantitate uni circumvolutioni conveniente, eodem modo ac supra concludere licebit.

Si tubus ita dirigatur versus objectum aliquod ut filum mobile exacte illud objectum tegat, dein tubus ab objecto removeatur quantitate cognita v. g. 10′, tum vero iterum filum mobile objectum illud tegere facias, ad quod requirantur v. g. 8 circumvolutiones cochleae cum $\frac{1}{4}$, habebis $10' = 8\frac{1}{4}$ circumv. hinc 1 circumv. $= 1' \, 12'', 7$.

Hae operationes multis modis possunt variari; idque etiam fieri necesse est, si accuratum unius circumvolutionis valorem habere velimus. Quod quanti sit momenti vel exinde pa-

patet, quod parvus error in valore unius circumvolutionis maximus evadere potest, si cochlea per multas circumvolutiones agitata, adeoque parvum spatium metitum fuerit.

Hac exposita theoria de motu fili AB, et de cognoscenda quantitate ejus motus nititur usus hujus micrometri in dimetiendis diametris astrorum, aliisve parvis spatiis. Etenim quidquid diximus de ipsa distantia NO inter duo fila AB et CD, id dictum est de imagine exacte cum illa distantia conveniente. In iis igitur observationibus id tantum agitur, ut spatium dimetiendum, sive sit astrum, sive pars astri, sive distantia inter duo astra, sive intervallum aliud quodcunque, exactissime inter duo fila intercipiatur, dein computetur quot circumvolutionibus cochleae distantia inter duo fila conveniat, unde ex valore unius circumvolutionis valor ipsius distantiae, et hinc spatii dimetiendi cognoscetur. Sic v. g. quando ON est distantia maxima filorum, si index cochleae indicat o, et si 40 circumvolutiones cochleae requirantur ut filum AB distantiam NO percurrat, tum, si 10 revolutionibus opus fuerit ad spatium quoddam intercipiendum, hoc spatium 30 revolutionibus conveniet, et si valor cujusque revolutionis sit $= 1' \, 12'', 8$, valor spatii propositi erit $= 36' \, 2'', 4$. Si vero in initio observationis index cochleae non indicat o, notandus est gradus quem indicat, et dein observandum in quem sensum cochlea agitanda sit, ut spatium propositum a duobus filis amplectatur. Sic si, ut ad exemplum allatum nos teneamus, index indicasset 5^e, cochlea, ut fila ad distantiam 30^e convenientem a se invicem distarent, per 5^e promovenda fuisset, est enim $30 = 40 - (5 + 5)$, sed si index indicasset 15^e, cochlea per 5^e removeri debuisset, quoniam $30 = 40 - (15 - 5)$.

Hujus micrometri usus etiam est in determinandis Adscensionibus rectis et Declinationibus stellarum.

Ita disponatur Micrometrum, ut stella, cujus Adscensio R. et Declinatio cognitae sunt, juxta filum immobile CD transeat, et observetur tempus quando est in O. Tubus maneat immotus, sed quando alia stella observanda tubum intrat, filum mobile AB ita dirigatur, ut haec stella juxta illud procedat. Notetur tempus quando appellit ad N. Differentia temporis inter appulsus stellarum ad O et N dat differentiam Adscensionum rectarum, dum ipsa distantia NO dat differentiam Declinationum, quae ex cognita declinatione stellae prioris et numero circumvolutionum cochleae juxta methodum praescriptam computatur.

Quando stellae moventur juxta AB et CD, micrometrum est parallelum ad aequatorem. Quando non est parallelum ad aequatorem, stellae moventur ita ut eum fila parallela AB et CD sub angulo quodam secent; v. g. juxta GH et IK. Hinc ducta ex L perpendiculum LP, erit LP differentia Declinationum, et differentia temporis inter appulsum stel-

stellarum ad P et L dabit differentiam Adscensionum rectarum. Hae quantitates sequenti modo inveniuntur, si cognita ponamus HL, LG, KM, MI, NO, quae omnia ex observationibus habentur.

In triangulo rectangulo LNG est $LN = LG \times \cos. NLG$.
in triangulo rectangulo HLO est $LO = HL \times \cos. HLO$.

$$\text{hinc } LN : LO = LG \times \cos. NLG : HL \times \cos. HLO$$
$$\text{sive } LN : LO = LG : HL.$$
$$\text{et } LN : LN + LO = LG : LG + HL.$$
$$\text{i. e. } LN : NO = LG : HG.$$
$$\text{hinc } LN = \frac{NO \times LG}{HG}$$
$$\text{similiter } LO = \frac{NO \times LH}{HG.}$$

In triangulo rectangulo LNG est $LN = LG \times \sin. NGL$.

$$\text{ergo } \sin. NGL = \frac{LN}{LG}$$

Eodem modo habemus in triang. rectang. KOM, $KO = KM \sin. OMK = KM \sin. NGL$
in triang. rectang. LOH, $LO = LH \sin. LHO = LH \sin. NGL$.

$$\text{ergo } KO : OL = KM : LH.$$
$$KO + OL : OL = KM + LH : LH.$$
$$\text{i. e. } LK : OL = KM + LH : LH.$$
$$LK = \frac{OL \times (KM + LH)}{LH.}$$
$$\text{at } OL = \frac{NO \times LH}{HG} \text{ ut supra vidimus.}$$
$$\text{ergo } LK = \frac{NO \times LH \times (KM + LH)}{LH \times HG.}$$
$$\text{sive } LK = \frac{NO \times (KM + LH)}{HG.}$$

In

In triang. rectang. LPK est $LP = LK \times \cos. KLP$

$$\text{i. e. } LP = LK \times \cos. NGL \quad \ldots \ldots \ldots \quad (A)$$

$$\text{et } KP = LK \times \sin. KLP$$

$$MP = KP - KM \quad \ldots \ldots \ldots \quad (B)$$

Formula igitur (A) dat differentiam Declinationum, et formula (B) exhibet tempus quod praeterlapsum est inter appulsum stellae ad circulum declinationis et filum CD. Hac itaque quantitate demta observato tempori IM, temporis punctum cognoscimus, quo stella fuerit in P (1).

Pro hoc micrometro, cujus theoriam exposuimus usumque indicavimus, nonnumquam alia fuere proposita, sed quae non multum apud Astronomos usu venerunt. Verbulum de iis hic adjiciemus.

Ponamus (fig. 14.) ABCD esse rectangulum in quo 12 fila aequedistantia, et parallela ad latera AB, CD tenduntur. Ponamus porro BC esse productum usque in F, et DC usque in E. Ex centro C describatur quadrans circuli FE. Sit rectangulum ABCD mobile in A, B, C, D, ita ut circumvolutione lineae BF in centro C, rectangulum fiat parallelogrammum, et fila ad se invicem accedant (fig. 15), tum in circulo FE, quantitas inclinationis linearum BC et CD innotescet, et ex hac inclinatione facile distantia quaevis inter AB et CD computabitur. Est enim, si BH, CK, GI, perpendicularia ducamus in DE,

$$\angle CGI = \angle CBH.$$

$$\text{et } CG : GI = CB : BH.$$

$$\text{hinc } BH = \frac{GI \times CB}{CG.}$$

$$\text{et si } CG = \text{Radio} = 1$$

$$BH = CB \times \cos. FCG.$$

Hinc

(1) Vid. de hoc micrometro, cui construendo primum operam dedisse videntur Auzout, Picard, Gascoigne et Petit, Auzout *Traité du Micromètre*, insert. in *Oeuvres adoptés par l'Acad.* Tom. IV. p. 59. vel *anciens Mémoires*, Tom. VII. *Phil. Trans.* Vol. I. n. 25 et 29. ubi Townley evulgavit quae Gascoigne diu ante Hugenium fecisse perhibetur. Adde *Phil. Trans.* Vol. XLVIII. p. 190. Petit, in *Epist. laud.* in *Journ. des Savans* l. sup. l. La Lande *Astron.* Tom. III. p. 2346 seqq. Bion *Construct. et usage des Instruments de Mathém.* Kästner *Astron. Abh.* l. l. p. 307 sqq. De la Hire in *Mém. de l'Acad. de Paris* A. 1701.

Hinc si spatium dimetiendum exacte inter AB et CD, vel inter duo fila intercipiatur, facile hoc modo ejus magnitudo apparens computatur. Hanc methodum proposuit Cassini in *Mém. de l'Acad. de Paris* A. 1724.

Pro filis Kirchius adhibuit in micrometro circulari duas cochleas, quae spatium observandum accurate extremitatibus suis intercipiebant. Eundem igitur usum praestant hae cochleae ac fila, et simili modo ex numero earum circumvolutionum determinantur tum campus hujus micrometri, tum quaevis ejus partes. Quod ad Declinationes et Adscensiones rectas attinet, hae aeque ac in micrometro circulari inveniri possunt. Vid. hoc micrometrum descriptum et delineatum apud Kästner *Abhandl.* l. l. pag. 369 sqq. Cff. etiam *Mém. de Berlin* A. 1748. pag. 121, ubi Eulerus, qui hoc micrometrum aliis praefert, cochlearum extremitates in puncta exeundas esse jubet.

Simili modo de la Hire in *Mém. de l'Acad. de Paris* A. 1717. proponit usum circini (fig. 16.) cujus brachiorum curvorum ope diametrum astri, vel phases eclipseos metiantur. Nam si cognoscatur spatium AB pro data quadam distantia brachiorum majorum CD, ex quavis alia eorundem brachiorum distantia spatium inter AB innotescet.

Doct. Schulze idem fere ac solitum micrometrum proponit, sed pro filis adhiberi vult lamellas acutissimas, quae aeque ac in micrometro Kirchii ope cochlearum moveantur. Adest praeterea huic micrometro alia lamella, quae verticaliter moveri potest. Hujus micrometri theoria et usus a solito non discrepant. Caeterum ejus descriptio et delineatio vid. in *Astron. Jahrb.* A. 1782.

Aliud confecit Micrometrum Celeb. Herschel. Pro filis adhibuit duo puncta lucida lampadum, apparentia per foramina duarum cistarum, quibus lampades includuntur. Hae cistae vel lanternae ita in radio ligneo semicirculi producto sunt dispositae, ut spatium coeleste dimetiendum accurate a duobus illis punctis lucidis tangatur. Semicirculus ille inservit ut radio, et hinc lampadibus debitus tribuatur situs; idcirco ipse juxta columnam ligneam verticalem moveri, et in quacunque altitudine retineri potest. Hoc igitur micrometrum est plane extra tubum et ante ejus aperturam positum. Vid. ejus descriptio in Dissert. Herschelii: *Description of a Lamp-Micrometer*, London 1782. *Phil. Trans.* Vol. LXXII. P. I. Cf. Schröter *Beytrage zu den neüesten Astronomischen Entdeckungen*, II[e] *Abhandl.*, qui etiam huic micrometro nonnulla additamenta adjecit quo accuratioris esset usus. Kästner in *Götting. Magazin der Wissensch.* 1783. 5[e] St. theoriam hujus micrometri exposuit.

Idem Schröter l. l. *Abhandl.* II. aliud adhuc proposuit Micrometrum, quod vocat *Scheiben-Lampen Micrometer*, quoniam constat lamella papyracea a lampade ita illustrata, ut haec illuminatio aequalis sit lumini objecti observandi. Lamella illa pa-

papyracea foramen gerit determinatae latitudinis, et ipsa affigitur quadrato ligneo, quod apparatu idoneo in quacumque altitudine potest retineri, et ita a tubo removeri, ut astrum vel spatium observandum exacte foramen lamellae impleat. Hinc, cognita hujus foraminis latitudine, ejusque distantia ab oculo, facile computatur valor anguli sub quo illud foramen, et hinc spatium metiendum apparet. Hoc itidem angulo cognito et diviso per quantitatem qua telescopium objecta auget, innotescit apparens diameter objecti. Ad determinanda spatia in ipso planetarum corpore, adhibuit Schröter eodem modo lamellam papyraceam, sed in 12 partes aequales divisam. Ceterum hujus micrometri theoria etiam applicatur ad micrometrum Herschelii.

§. 2.

Micrometrum Objectivum.

Micrometra, quae huc usque consideravimus, praesertim ea, quae filo mobili sunt praedita, etsi utilissima sint ad parvas distantias dimetiendas, nondum tamen satis sunt accurata, quando spatia metienda paulo sunt majora, ut, v. g. diametri Solis et Lunae, in quibus astris etiam hoc incommodi est, quod continenter et celeriter loco mutant. Verum quidem est diametros Solis et Lunae exacte inter duo fila intercipi posse, sed quanti hoc sit laboris, vel exercitatissimus observator agnoscit. Etenim ubi alteram diametri observandae extremitatem filum fixum radit, jam, antequam filum mobile ad alteram extremitatem adduxeris, astrum prius filum reliquit. Praeterea in tubis longioris foci campi minores sunt, quam qui totam diametrum complectantur. Haec causa fuit, cur aliae quaesitae sint methodi horum astrorum diametros accuratissime dimetiendi. Bouguerius primus ejusmodi methodum vulgavit in *Mém. de l'Acad. de Paris* A. 1748, difficultatibus memoratis non obnoxiam. Dicitur autem Micrometrum, quod invenit *Heliometrum*, quoniam primas cum eo observationes in Solem instituit; vel etiam *Astrometrum*, quoniam ejus usus non ad Solem tantum restringitur, sed aeque bene ad alia astra, eorumque a se invicem distantias determinandas adhibetur; denique *Micrometrum Objectivum*, quoniam sunt lentes objectivae, quae illud micrometrum constituunt. Hujus micrometri a Bouguerio, et ut videtur, etiam a Savery inventi, dein autem a Dollond perfecti, theoriam et usum jam exponemus.

Constat micrometrum objectivum (fig. 17), quale primum fuit inventum, duabus lentibus objectivis, exacte ejusdem foci, quae juxta se invicem in tubi apertura ponuntur, ita ut punctum contactus cum axi tubi coincidat. Harum lentium altera est fixa, altera mobilis; quae mobilis est, movetur paralleliter ad lentem fixam ope cochleae, eodem modo ac

ac filum mobile in micrometro superioris §, hoc discrimine, quod index lenti mobili additus sit, qui in canali, ut ita dicam, in quo movetur, integras cochleae circumvolutiones, alius vero index ipsi cochleae affixus unius circumvolutionis partes indicat. His partibus constat micrometrum objectivum. Videamus quodnam sit principium, quo ejus theoria et usus innitantur.

Quoniam lentes objectivae duae adsunt plane ejusdem foci, duae imagines, quas utraeque lentes formant, in communi foco juxta se invicem apparebunt. Sic v. g. (fig. 18.) si A et B sunt centra lentium objectivarum, AB linea haec centra conjungens perpendicularis ad axin tubi, ab A formabitur imago DE, et a B imago EF, et quoniam lentes eundem focum habent, erit DEF una linea recta, et DE $=$ EF. Hinc, quoniam DE et EF sunt perpendicularia ad axes centrorum A et B, erit DF || AB. Est autem $\angle$ DAE $= \angle$ EBF $=$ magnitudini apparenti objecti, ergo erit AD $=$ BE, AE $=$ FB, atque idcirco AB $=$ DE $=$ EF.

Hoc est principium fundamentale, qua tota hujus micrometri theoria est innixa, quodque aliis verbis expressum hoc vult: Si duae imagines DE, EF ejusdem objecti, sese tangant in E, distantia inter centra lentium objectivarum A et B erit aequalis magnitudini apparenti objecti.

Hinc facile apparet ejusmodi micrometrum haud esse obnoxium iis difficultatibus, quibus supra memorata micrometra. Etenim parum interest, utrum objecti cujusdam imago tota in campo appareat, nec ne; dummodo punctum contactus imaginum, quae a duabus lentibus formantur, observetur, tum enim distantia centrorum lentium aequalis erit diametro apparenti objecti. Neque etiam motus objecti impedimento est, nam quomodocunque hoc moveatur, punctum contactûs imaginum semper aderit, neque turbari poterit, nisi crescente vel decrescente diametro apparenti objecti; quod si accidat, debito motu lentis punctum contactus facillime recuperatur.

Quod autem diximus de aequalitate, quae obtinet inter magnitudinem apparentem objecti et distantiam inter centra objectivorum, quando nempe duae imagines sese in foco tangunt, ea tantum accurate locum habet pro corporibus coelestibus, non vero pro terrestribus, quemadmodum sequenti modo apparet.

Sit (fig. 19.) AB diameter astri, v. g. Solis, radios inter se parallelos AC, aD, et BC, bD demittentis. Sint C et D centra lentium objectivarum. Transeunt igitur AC et bD recta via usque in E, aD et BC usque in G et F. Sit δ centrum aperturae tubi, ita ut Cδ $=$ Dδ. Sit itidem $\alpha\delta$ radius || AC, $\beta\delta$ radius || BC, tum erit $\angle \alpha\delta\beta = \angle$ ACB $= \angle$ bDa, propter parallelismum radiorum. Ob eandem vero causam

sam est $\angle AEb = \angle \alpha\delta\beta$, ergo $\angle AEb = \angle FCE = \angle EDG$, ergo $FE = EG = CD$, ut supra.

Sed si radii luminis non sunt invicem paralleli, ut cum objectis terrestribus locum habet, alia res est. Sit enim (fig. 20.) AB objectum terrestre, C et D centra objectivarum, et $C\delta = D\delta$, tum habebimus radios AC, $A\delta$, BD, $B\delta$. AC et BD recta via transeunt per centra lentium usque in E; at vero multum abest, ut sit $\angle AEB = \angle A\delta B$, quoniam hic multo est major.

Hoc principio posito, quod nempe in Heliometris distantia centrorum lentium objectivarum semper sit aequalis imagini, adeoque magnitudini apparenti objecti ad distantiam infinite magnam remoti, quaeritur jam quomodo valor distantiae inter centra objectivorum, adeoque valor unius circumvolutionis cochleae inveniatur.

Illae methodi, quas adhiberi posse diximus pro micrometris cum filo mobili, hic in censum non veniunt; sed ea, quam in Introd. campo tubi inveniendo aptam esse perhibuimus, etiam h. l. suam utilitatem habet. Vidimus enim (fig. 1.) esse tang. $\frac{1}{2} DCE = \frac{\frac{1}{2} DE}{\text{Dist. foc.}}$. Jam si ponamus (fig. 20.) FE et EG esse imagines a duabus objectivis formatas, habebimus, ducto δE, tang. $\delta ED = \frac{\delta D}{\delta E} = \frac{\frac{1}{2} EG}{\delta E}$. Igitur cognitis distantia foci δE et magnitudine apparenti objecti, computari poterit $\angle \delta ED$, adeoque valor δD et hinc CD in gradibus et minutis cognoscetur. Quod autem valet pro assumta magnitudine imaginis EG, id valet pro quacumque ejus magnitudine, ita ut tot valores distantiae CD invenire liceat, quot lubet, unde facillime valor unius circumvolutionis cochleae computabitur.

Haec autem omnia eatenus valent, quatenus agitur de objectis infinite remotis, quoniam in hoc tantum casu, ut vidimus, est $EG = CD =$ apparenti magnitudini objecti in centro tubi, i. e. $= \angle \alpha\delta\beta$ (fig. 19.) At vero objecti infinite distantis apparens magnitudo aliunde exacte cognosci non potest, et ad illam inveniendam Heliometrum in auxilium vocatur. Igitur objecta terrestria, quorum magnitudines apparentes aliunde computari possunt, hic opem ferre possent, nisi impedimento foret, quod pro objectis terrestribus EG non sit $= CD$. Ponamus autem etiam hoc in casu $EG = CD$, atque Heliometrum versus illud objectum, cujus apparens magnitudo, aliunde cognita, est $= EG$, dirigi, dein lentes objectivas ita a se removeri, donec duae imagines FE, EG sese exacte in foco tangant, tum (juxta hypothesin) erit $CD = EG$. Ponamus autem m circumvolutiones cochleae requiri ad dimovendas lentes quantitate CD. Dein aliud objectum, cujus itidem magnitudo apparens

aliunde cognita est, observetur cum Heliometro, et lentes dimoveantur, donec v. c. $CD' = EG'$. Ponamus n circumvolutiones cochleae requiri ad dimovendas lentes quantitate CD', tum habebimus $CD : CD' = m : n$, adeoque $\frac{CD}{m} = \frac{CD'}{n}$, quae aequatio identica esse debet, et valorem unius circumvolutionis cochleae exhibere. Facile autem apparet hanc ratiocinationem, in hypothesi quod pro objecto terrestri $CD = EG$, eo magis ad veritatem esse accessuram, quo magis objectum, cujus magnitudo apparens in computo adhibetur, a puncto δ (fig. 20.) distat, tum enim $\angle CA\delta = \angle \delta BD$ fit minor minorque, adeo ut tandem radii AC, $A\delta$ tanquam paralleli haberi possint.

Hoc modo rem consideravit Cel. Kästner *Abh.* l. l. p. 372 sqq. in eo dissentiens a Cel. de La Lande, qui, quoniam distantia focalis pro quibusvis objectis non eadem manet, sed major fit pro objecto ad distantiam finitam, minor vero pro objecto ad distantiam infinitam remoto, hujus focorum differentiae rationem habendam esse jubet. Et sane, quando (fig. 21.) rp est imago objecti PR propinqui, ge erit imago objecti ad infinitam distantiam remoti. Requiritur igitur ut cognoscamus quaenam sit ratio inter Cf et Cq. Est autem, uti in Opticis demonstratur, (vid. Smith. *Opt.* Prop. 2. Coroll. 3.)

$$fq : Cq = Cq : Qq$$
$$\text{ergo } Cq - fq : Cq = Qq - Cq : Qq$$
$$\text{i. e. } Cf : Cq = QC : Cq + CQ$$
$$\text{ergo } Cf = \frac{Cq \times QC}{Cq + QC}$$

Igitur ubi in objectum non satis remotum observationes fuerint institutae, distantia focalis pro radiis parallelis est computanda, atque dein ex hac, et ex observationibus institutis valor unius circumvolutionis cochleae quaerendus. Sed si objectum terrestre ad insignem distantiam sit remotum, ita ut inter Cf et Cq parum sit discriminis, methodus Kästneri sine magno errore adhiberi poterit.

Superest ut indicemus quid vel ipse Bouguerius vel alii deinceps praestiterint, ut egregium hoc micrometrum quam maxime perfectum redderent.

Quando lentes objectivae sunt integrae, minima distantia, quam earum ope dimetiri possis, aequalis est distantiae earundem centrorum, quando ipsae lentes sese tangunt. Ut autem minora etiam intervalla metiri possimus, partes aequales utrique lenti auferri possunt, ita ut circuli segmenta supersint. Per se patet illa segmenta haud minora esse posse semicirculis.

Vel

Vel si lenti AB (fig. 22) auferatur annulus intermedius *omnp*, ita ut circulus E remaneat, hic ad libitum moveri poterit, unde distantia centrorum circuli E et annuli A*op*B dabit valorem spatii dimetiendi.

Sint (fig. 23) *an* et *rx* duae imagines Solis a duabus objectivis formatae tempore Perigaei, *bm* vero et *sw* ejusdem Solis imagines tempore Apogaei, tum erit in priori casu *nr*, et in altero *ms* distantia inter imaginum limbos, adeoque, quoniam, propter parallelismum radiorum, CV semper idem manet, differentia inter diametrum Solis Perigaei et Apogaei erit $= ms - nr = mn + rs$. Hoc modo Savery, cui, post vulgatam Bouguerii inventionem, eadem micrometri objectivi inventio tribuitur, differentiam memoratam diametri Solis determinavit, caeterum desperans fore ut unquam diameter Solis accurate quis dimetiri posset, quod tamen Bouguerius praestitit. Quoniam utrumque micrometrum iisdem nititur principiis, utriusque Theoria eadem est.

Tandem Celeb. Dollond alio modo, eoque egregio, hujus micrometri partes disposuit. Pro duabus enim lentibus objectivis unam sumsit, cujus, accuratissime bissecatae, partes horisontaliter supra se invicem movere fecit (fig. 24), dum quantitatem, qua harum lentium centra a se invicem distant, scala indicat Nonio instructa. Convenit igitur etiam hoc micrometrum quoad theoriam cum Bougueriano et Saveryano, dum quoad constructionem ideo praestat, quod multo sit simplicius, nec duas lentes requirat ejusdem foci, quae haud ita facile habentur.

Usus hujus micrometri objectivi plurimus est et eximius in dimetiendis quibusvis spatiis, v. g. in determinandis diametris Solis et Lunae, planetarum, cometarum, in observandis eclipsibus, transitubus, occultationibus, distantiis stellarum, et quae sunt hujus generis plura. Differentiis Declinationum et Adscensionum rectarum inveniendis non inservit, nisi, quemadmodum etiam Celeb. Dollond fecit, ei addatur micrometrum cum uno filo mobili, quale sup. §. descripsimus. Tum enim, si stella, cujus Adscensio R. et Declinatio cognitae sunt, moveatur juxta filum HD (fig. 13), et lentes objectivae a se removeantur, et disponantur, ita ut duae ejusdem stellae imagines eodem exacte tempore per circulum Declinationis EF transeant; deinde debito lentium motu, quatuor stellarum imagines ad duas reducantur, erit distantia inter centra lentium aequalis differentiae Declinationum, dum intervallum temporis inter transitum imaginum per circulum horarium, exhibet differentiam Adscensionum rectarum (1).

§. 3.

(1) Vid. *Phil. Trans.* Vol. LXI. p. 536.

§. 3.

Micrometrum Prismaticum.

Micrometrum, cujus theoria exponenda restat, ideo vocatur prismaticum, quoniam duobus prismatibus constat. Prismata haec conficiuntur ex Spatho Islandico, crystallis tum montanis tum aliis, praesertim vitro, quorum omnium ea est insignis proprietas, quod radii luminis per ea transmissi dupliciter refrangantur, adeoque duplicem alicujus objecti per ea visi referant imaginem. Hanc proprietatem primum in usus astronomicos convertisse videtur Cel. Rochon, quamvis eodem fere tempore eadem res curae fuerit Celeb. Boscovich. Inventionis hujus micrometri laudem sibi etiam arrogavit summus Astronomus Maskelyne (1).

Crystalli montanae, uti et Spathum Islandicum sunt formae rhomboïdalis, cum sex angulis acutis, duobus vero obtusis. Linea, quae duos hos angulos bissecat, vocatur *Sectio Principalis.* Ubi crystalli forma ea exacte est, quae ipsi convenit, bases ejus sunt rhombi perfecti, et sectio principalis transit per diagonalem cujusque baseos, utrumque angulum obtusum conjungentem. Planum igitur hujus sectionis refert parallelogrammum, et linea, quae jungit duos angulos obtusos solidos, dicitur *axis* crystalli.

Omnes

(1) Vid. de variis, qui perhibentur, hujus Micrometri inventoribus, Rochon *Recueil de Mémoires sur la Mécanique et la Physique*, pag. 13. excerpt. ex Ann. Academiae Parisiensis, ubi ex ejusdem Academiae judicio laus inventionis Rochono contra Boscovichum tribuitur: coll. pag. 225 sqq., unde patet inde ab anno 1776. ejusmodi micrometris construendis operam dedisse Rochonum; pag. 240 sqq. et passim. — R. J. Boscovich *Opera pertinentia ad Opticam et Astronomiam*, etiam sub titulo *Nouveaux Ouvrages de M. l'Abbé Boscovich*, Tom. II. Opusc. 4. pag. 315, ubi auctor se primum prismata vitrea in observationibus micrometricis adhibuisse defendit. — *Phil. Trans.* Vol. LXVII. P. II. A. 1778, quo loco referuntur tum inventio Boscovichi, tum Maskelynii, qui ultimus se eodem anno quo Rochonum micrometra prismatica fieri curasse refert. Quod vehementer negat Cel. Magellan, (cf. *Journal de Physique*, sive *Observations sur la Physique*, etc. A. 1778. pag. 451 seqq.) qui e contra asserit, eodem fere tempore quo Rochonum, micrometra prismatica invenisse Watzium eundem, qui novas machinas a vapore agitatas invenit. — Biot *Traité de Physique Expériment. et Mathém.* Tom. III. cap. 5. pag. 366.

Omnes hae crystalli, et multae aliae, eam igitur habent proprietatem, quod radii luminis per eas modo quocunque transmissi duplicem patiantur refractionem, alteram ordinariam, alteram extraordinariam; hoc tantum casu excepto, quando sc. radii paralleliter ad axin incidunt, tum enim una tantum refractio et quidem ordinaria locum habet.

Ponamus igitur ex una eademque crystallo confecta esse duo prismata ABD, DBC, (fig. 25), ita ut in priori ABD, AB sit perpendicularis ad axin, dum in altero axin constituat intersectio laterum DC et BC. Ponamus porro duo haec prismata esse prorsus aequalia, atque ita disposita, ac in figura apparet, tum, si radius luminis EF perpendicularis in AB incidit, hic in priori prismate nullam patietur refractionem, tum quoniam est perpendicularis ad AB, tum quoniam parallelus est ad axin AD, sed perget recta via usque ad G, ubi alteri prismati occurrit. Hic vero radius EF non cadit parallelus ad axin, adeoque duplicem experietur refractionem. Radius ordinarius, quippe quem nulla causa a sua via deducet, in eadem directione ad latus CD perpendiculare perget, et in H prisma relinquet. Radius vero extraordinarius refrangetur secundum legem Cartesianam, v. g. juxta GK, et quando in K pervenerit, secundum eandem legem refrangetur juxta KL, ita ut, si E objectum referat, hujus imago in I et L sit apparitura. Sed si ex I ad lineam LKGE duxeris aliam parallelam IMNO, in I habebis imaginem objecti positi in E, et imaginem objecti positi in O. Si vero unum objectum adeo a prismate sit remotum, ut radios dimittat FE et ON parallelos, habebis in I ejusdem objecti duas imagines, quae inter se confunduntur.

Hic apparatus si in tubo astronomico ita disponatur, ut radii luminis ab objecto quodam GH (fig. 26.), ad infinitam distantiam remoto, emissi, perpendiculares in latus AB incidant, tum radii ordinarii recta via pergent et in foco imaginem IK formabunt; radii vero extraordinarii refractionem patientur, et pingent imaginem *ik*. Cum autem illa refractio constans sit in eadem crystallo, productis radiis *i*M et *km* usque in L et *l*, anguli IL*i* et K*lk* constantes erunt pro quacunque positione prismatum. Hinc si prismata a foco I*k* removeantur, recedet etiam imago *ik*, si ad illum admoveantur, accedet imago *ik*, ita ut, si prismata ipsum focum tangant, non nisi una imago appareat. Locus igitur intermedius erit, in quo si prismata ponantur, imagines hae sese tangent. Quod si obtineat, imago IK (fig. 27.) exacte comprehendetur ab angulo ILK, quem constantem esse diximus. Jam vero in triangulo rectangulo LIK est:

E IK

$$IK = LI \times \text{tang. } ILK.$$

Sed in triangulo rectangulo IFK est etiam

$$IK = FK \times \text{tang. } IFK$$
$$\text{ergo } LI \times \text{tang. } ILK = FK \times \text{tang. } IFK$$
$$\text{et tang. } IFK = \frac{LI \times \text{tang. } ILK}{FK.}$$

Cognitis igitur LI, $\angle$ ILK, et FK, cognoscetur $\angle$ IFK, i. e. magnitudo apparens objecti GH.

Distantia LI facile invenitur, si nempe parti exteriori tubi juxta ejus longitudinem scala addatur, quae quantitatem, qua micrometrum dimoveatur, indicet. Sic primum micrometrum ad focum est admovendum, donec una tantum imago objecti cujusdam appareat. Hoc punctum a scala indicatum est quasi ejus initium. Dein removendum est micrometrum, donec duae imagines exacte sese tangunt: quod si fiat, intervallum inter scalae initium et punctum ultimum notatum erit $= LI$.

Factor $\frac{\text{tang. } ILK}{FK}$ est in uno eodemque tubo et in eodem micrometro constans, ita ut hic semel tantum est determinandus. Hoc autem facile fit ope objecti, cujus diameter est cognitus, ad distantiam cognitam dispositi. Tum enim (fig. 28.) si objecti semidiameter CB sit $= r$, ejus distantia AC $= R$, et $\angle$ ABC $= \llcorner$, erit

$$\text{sin. } BAC = \frac{r}{R}$$

Cognoscitur igitur sinus semianguli sub quo illud objectum apparet, hinc ejus magnitudo apparens BAD. Hac cognita, per tubum et micrometrum idem objectum observetur, et notetur quantum micrometrum a foco sit removendum, ut duae hujus objecti imagines sese tangant. Sit haec quantitas $= D$. Jam vero hoc in casu particulari eadem obtinet aequatio quae in generaliori, i. e. habebimus:

$$\text{tang. } BAD = \frac{D \times \text{tang. } ILK}{FK}$$
$$\text{ergo erit } \frac{\text{tang. } BAD}{D} = \frac{\text{tang. } ILK}{FK}$$

at

at formula generalis est

$$\text{tang. IFK} = \frac{\text{LI} \times \text{tang. ILK}}{\text{FK}}$$

$$\text{ergo tang. IFK} = \frac{\text{LI} \times \text{tang. ILK}}{\text{FK}} = \frac{\text{LI} \times \text{tang. BAD}}{\text{D}}$$

Haec aequatio est generalis, quemadmodum facile apparet. Quando LI $= 0$, erit $\angle$ IFK $= 0$, i. e. diameter apparens objecti erit aequalis puncto mathematico. Quando LI $=$ IK, erit $\angle$ IFK $= \angle$ ILK, i. e. diameter apparens objecti erit aequalis maximae distantiae inter focum et lentem objectivam, quae etiam est limes, ultra quem mensurationes institui non possunt.

In tota hac disquisitione tacite posuimus radium FG (fig. 26 et 27.) coincidere cum axi lentis objectivae, ut sc. perpendicularis esset in micrometri latus AB; quod nisi fiat, non recta linea (quemadmodum requiritur) per micrometrum transiret. Ubi autem stellarum diametri observantur, hae non semper cum axi lentis objectivae coincidunt, quoniam continenter locum mutant. Hinc Cel. Rochon micrometrum non ex duobus sed ex pluribus prismatibus confecit, parvos angulos habentibus, quae ita secum invicem conjunxit, ut omnes sectiones principales eandem haberent directionem, quo effectus variationis radii incidentis multo minor evasit.

Objectum GH quodvis esse potest; vel astrum, vel astri pars, vel etiam distantia inter duo astra. Hinc hujus micrometri idem usus est ac micrometri objectivi; i. e. in dimetiendis astrorum diametris, in observandis eclipsibus, transitibus et occultationibus, uti et in determinandis distantiis astrorum inter se. Caeterum alio quoque consilio adhibetur hoc micrometrum, etsi tum non adeo sit accuratum. Inservit nempe dimetiendae distantiae objecti, cujus magnitudo cognita est; magnitudini objecti cujus distantia est nota; magnitudini et distantiae objecti, cujus utraque est incognita.

Resumamus enim aequationem

$$\text{sin. BAC} = \frac{r}{\text{R}}$$

et pro ea, si BAC est valde parvus, ut plerumque locum habet, ponamus

$$\text{BAC} \times \text{sin. } 1'' = \frac{r}{\text{R}}$$

tum diameter apparens objecti erit:

$$2\,BAC = \frac{2r}{R\ \sin.\ 1''}$$

$$\text{sive } BAD = \frac{2r}{R\ \sin.\ 1''} \quad \ldots\ldots\ldots\ldots\ (m)$$

supra autem invenimus:

$$\text{tang. } BAD = \frac{D \times \text{tang. } ILK}{FK}$$

hinc propter eandem causam erit:

$$BAD \times \text{tang. } 1'' = \frac{D \times \text{tang. } ILK}{FK}$$

$$\text{et } BAD = \frac{D \times \text{tang. } ILK}{FK \times \text{tang. } 1''} \quad \ldots\ldots\ldots\ldots\ (n)$$

igitur ex (m) et (n) habebimus:

$$\frac{2r}{R\ \sin.\ 1''} = \frac{D \times \text{tang. } ILK}{FK \times \text{tang. } 1''}$$

$$R\ \sin.\ 1'' = \frac{2r \times FK \times \text{tang. } 1''}{D \times \text{tang. } ILK.}$$

$$R = \frac{2r}{D} \times \frac{FK \times \text{tang. } 1''}{\text{tang. } ILK.\ \sin.\ 1''}$$

sive, quoniam tang. 1″ parum differt a sin. 1″,

$$R = \frac{2r}{D} \times \frac{FK}{\text{tang. } ILK}.$$

Cognitus est factor $\frac{2r}{D}$; factor $\frac{FK}{\text{tang. } ILK}$ est constans et eodem modo determinandus ac supra. Sit valor hujus factoris $= N$, et ponamus scalam nostram ita esse constitutam ut una ejus pars sit v. g. $= \frac{N}{100000}$, tum si D sit aequalis n partibus scalae, erit $D = \frac{nN}{100000}$, hinc

R =

$$R = \frac{2r}{D} \times \frac{FK}{\text{tang. ILK}} = \frac{\frac{2r}{nN}}{100000} \times N$$

$$\text{sive } R = \frac{2rN \times 100000}{nN} = 2r \times \frac{100000}{n} \quad \ldots\ldots\ldots \quad (A)$$

Sic itaque ex cognita magnitudine objecti, ejus distantia computari potest. Apparet autem ex aequatione (A) distantiam illam aequalem esse magnitudini objecti multiplicatae per numerum valde magnum; ita ut, si error quidam sit in valore ipsius $2r$, hic quam maxime augeatur, adeoque distantia R multum a veritate aberret, quamobrem haec methodus, haud satis tuta, non adhibetur, nisi ubi summa accuratione opus non est.

Ex aequatione (A) sequitur:

$$\frac{nR}{100000} = 2r \quad \ldots\ldots\ldots \quad (B)$$

igitur, cognita distantia objecti, ejus magnitudo ope hujus micrometri inveniri poterit.

Si denique incognitae sint distantia et magnitudo objecti, sequenti modo hae quantitates computari poterunt.

Sit (fig. 29.) magnitudo apparens semidiametri objecti AB, ad distantiam OA observati, sive angulus BOA $= \phi$, sit ejusdem objecti ad distantiam O′A observati magnitudo apparens, sive angulus BO′A $= \phi'$. Ponamus differentiam distantiarum, ex quibus illud objectum observatur, i. e. ex quibus dicti anguli determinantur, esse cognitam et $= a$, tum si AB sit $= r$, OA $= R$, et O′A $= R'$, erit in triangulis rectangulis OAB et O′AB,

$$1 : \text{tang. } \phi = R : r$$
$$1 : \text{tang. } \phi' = R' : r$$
$$R = \frac{r}{\text{tang. } \phi}$$
$$R' = \frac{r}{\text{tang. } \phi'}$$
$$\text{at } R' = R - a$$
$$\text{ergo } r = (R - a) \text{ tang. } \phi'$$
$$\text{et } R = \frac{(R - a) \text{ tang. } \phi'}{\text{tang. } \phi}$$

sive

$$\text{sive R. tang. } \phi = \text{R. tang. } \phi' - a \text{ tang. } \phi'$$

$$\text{R. tang. } \phi' - \text{R. tang. } \phi = a \text{ tang. } \phi'$$

$$\text{R. (tang. } \phi' - \text{tang. } \phi) = a \text{ tang. } \phi'$$

$$(A) \quad \ldots\ldots\ldots \quad R = \frac{a \text{ tang. } \phi'}{\text{tang. } \phi' - \text{tang. } \phi}$$

Sive, quoniam plerumque ϕ et ϕ' parva sunt valde,

$$R = \frac{a \times \phi' \times \text{tang. } 1''}{\phi' \text{tang. } 1'' - \phi \text{ tang. } 1''}$$

$$= \frac{a \times \phi' \times \text{tang. } 1''}{(\phi' - \phi) \text{ tang. } 1''}$$

$$= \frac{a \times \phi}{\phi' - \phi}$$

Valore distantiae R hoc modo computato et substituto in aequatione (B), ope micrometri prismatici magnitudo $2r$ objecti invenietur.

Hoc igitur micrometrum, quod egregii est usus in observationibus Astronomicis, ubi vel minima spatia summa accuratione dimetitur, potest etiam, si tubis minoribus et portatilibus applicetur, magni esse commodi, tum in re bellica, tum in re nautica, ubi saepissime requiritur ut vel distantiae vel magnitudines objectorum proxime tantum determinentur.

Nostrum igitur artificium est hujusmodi.

GUILIELMI DE HAAN,

AMSTELODAMENSIS,

MATHESEOS ET PHILOS. NATURALIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

COMMENTATIO

IN

QUAESTIONEM, AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE, EX HISTORIA NATURALI, A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

„ *Quinam sunt limites inter vitam Animalium et Vegetabilium.* "

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM BOTANICAM.

EXORDIUM.

In illa Historiae Naturalis parte, quae de corporibus organicis agit, ab omni aevo de nullo argumento tam diversae sententiae propositae fuerunt, quam de indole animalium vegetabiliumque imperfectiorum. Ardore vero ac diligentiâ, quâ recentioribus temporibus haec indagata sunt, scientia de pluribus certior evasit, quae ante seculum adhuc latebant; et quo magis in illa via processerunt, eo magis videbant etiam, rete animalium et vegetabilium a Vertebratis et Dicotyledonibus sensim in talia transire, quae simplicitate organisationis tam ab illis erant diversa, ut naturam animalem et vegetabilem fere plane mentiri viderentur. His observandis, quidam inducebantur, ut illa, quae secundum notiones, quas sibi formaverant de indole Animali ac Vegetabili ex perfectioribus utriusque regni, non amplius neque in illis, neque in his locum invenire poterant, ad peculiare regnum intermedium rejicerent. Ratio vero et analogia hanc intercalationem plane rejecit, quum illa corpora, ab utroque regno divulsa, tantum adhuc de eorum peculiari natura animali vel vegetabili retinerent, ut omnibus pateret, multo magis inter se differre, quae sic conjungerentur, quam quaeque a regno, unde erant desumta. Hoc proposito igitur rejecto, constitit divisionem corporum organicorum in *Animalia* et *Vegetabilia*, servandam esse talem, qualem *Aristoteles* illam jam proposuerat.

Integra vero illa divisione, non satis est scire viventia divisa esse in Animalia et Vegetabilia: necessario etiam requiritur, ut amplis his divisionibus subjiciantur cha-

racteres, ut intelligatur, in quantum quaeque se extendant et ne temere inter se commisceantur. Quando enim non juste utraque circumscribuntur, ab aliis quid animal dici potest, quod ab aliis planta; et hoc revera locum habuisse, docet satis Historia Polyporum et Algarum, uti in posterum videbimus. Si vero justa notio omnino est necessaria in eorum classificatione, multo magis eâ indigemus, quando de limitibus inter utrumque regnum, quid certi dicere velimus. Hac consideratione igitur etiam omnino necessarium credidimus, in tractando argumento a Classe Philosophica proposito in Academiâ Lugduno-Batavâ, primum diversas sententias colligere, quae de differentia ac convenientiâ plantarum et animalium prolatae sunt, ut ex his in sequentibus unam, a *La Markio* propositam, eligeremus, quam maxime naturae adaequatam putaremus.

His dictis, consentaneum videtur in tres partes nostram commentationem dividere, quarum

In prima agemus de praecipuis sententiis, a diversis scriptoribus propositis de differentiâ inter Animalia et Vegetabilia.

In secunda porro tractabimus de maxime probabili discrimine inter Animalia et Vegetabilia;

et *in tertia* tandem de Limitibus inter vitam Vegetabilem et Animalem.

In tanto argumento elaborando, maximis difficultatibus oppresso, si animis non cecidimus, fuit cupido nova discendi: si fallamur in quibusdam, venia sit juvenili ingenio.



SUMMARIUM.

SUMMARIUM.

PARS PRIMA.

De Praecipuis sententiis, a diversis scriptoribus propositis de discrimine inter Animalia et Vegetabilia.

§ 1. De Sententia Empedoclis. § 2. Aristotelis. § 3. Theophrasti. § 4. De Medio Aevo. § 5. De sententia Hombergii. § 6. Bazini. § 7. Buffonii. § 8. Ludwigii. § 9. Basteri. § 10. Camperi. § 11. Bonneti. § 12. Linnaei. § 13. Hedwigii. § 14. Berthollonii. § 15. Bäckii. § 16. Jussieuvii. § 17. Linkii. § 18. Fabricii. § 19. C. Sprengelii. § 20. Kieseri. § 21. Cuvierii. § 22. La Marckii. § 23. Voigtii. § 24. Vireyi. § 25. Nitzschii. § 26. Neesii. § 27. De Candollii. § 28. Richerandi. § 29. Brevis praecipuarum sententiarum revisio.

PARS ALTERA.

De maxime probabili discrimine inter Animalia et Vegetabilia.

§ 30. Praefatio. § 31. De Charactere La Marckiano et de quibusdam in eo institutis mutationibus. § 32. De Motibus Animalium. § 33. De motibus Vegetabilium. § 34. De regnis intermediis et Phytozois.

PARS TERTIA.

De Limitibus inter vitam Animalem et Vegetabilem.

§ 35. De Limitum significatione. § 36. De Molluscis et Polypariis, ab anterioribus, uti limites formantibus, propositis. § 37. De Infusoriis quibusdam infimis, limites constituentibus. § 38. De eorum transitu in Vegetabilia.

PARS PRIMA.

DE PRAECIPUIS SENTENTIIS, A DIVERSIS SCRIPTORIBUS, PROPOSITIS, DE DIFFERENTIA INTER VITAM ANIMALIUM ET VEGETABILIUM.

§. 1.

Quanta ex temporum injuriis asservata sint Graecorum eruditorum opera, pauca tantum existunt adhuc, quae Historiam Naturalem tractant. Primus e Graecis Philosophis, qui de naturâ Animalium et plantarum scripsit, fuit *Empedocles Milesius*, 500 annis ante C. N. — More solito autem Pythagoricorum, qui inter discipulos Exotericos et Esotericos distinxerunt, quorum cum illis tantum errores populares, cum his contra interna rerum natura communicabatur, Empedocles Exotericos docuit, omnes plantas animam habere; animam vero in iis adesse probavit ramorum elasticitate, flexione, eorumque reditu in pristinum statum post flexionem; animam vegetabilium, fontem sensibilitatis, ingenii et voluntatis definivit, nulla parte igitur ab animâ animalium diversam; differunt vero secundum eum vegetabilia ab animalibus, quod illa in unum totum non adhuc sint conjuncta et quod quaeque earum pars suam vitam vivat. Esotericis vero plane diversam a praecedente theoriam praecepit. In hac non per animam, phaenomena obvia illustravit, sed ignem et terram, duas sibi oppositas vires, causam vegetationis habuit. Illum semper sursum, hanc vero deorsum vergere; unde fit, ut planta, terrae affixa, se in aërem elevet, quum aequalis utriusque potentiae sit vis. — *Plut. Phys. phil. decr.* 5, 26. — Ibid 5, 19. — *Aristoteles de anima* 2, 4.

Empedocles Milesius 500 a. C. N.

§. 2.

Aristoteles centum annis post *Empedoclem*, primus fuit, qui universum naturae campum circumspexit. Maximum discrimen vero inter utraque regna adesse, quod plantae nullas sordes ejiciant, praeter odores, quos flores exhalant; quae ideo etiam tam parva

Aristoteles 400 a. C. N.

vâ copiâ existunt, quum radices e terrâ tantum elaboratos succos, exhauriant, qui solis radiis praeparati, nil relinquant. Sensationem plantis etiam esse communem, hanc exposci ad fluidorum nutrientium electum; hanc vero non tam proprie sensationem, quam quidem vitae documentum dici posse; perfectiorum porro animalium sexum separatum, vegetabilium vero mixtum; hermaphroditos tandem adesse tam inter imperfectiora animalia quam vegetabilia. *Hist. Animal.* 8. — *Generat. animal.* 3, 11. — *Brevit. vitae* 6. — *Part. animal.* 2, 3. — *Problem.* 13, 4. — *De animal.* 2, 2. — *Generat. animal.* 1, 23; 3, 10.

§. 3.

Theophrastus, *Aristotelis* discipulus peculiare de Physiologia plantarum opus conscripsit, in quo vegetabilium fabricam multo esse simpliciorem, animalium dixit: illaque tantum constare ex fibris (*αἱ ἶνὲς*), [quae fasciculi sunt vasorum spiralium et cellularum elongatarum], ex venis ramosis succulentis (*αἱ φλεβὲς*), [quae vasa propria sunt, in quibusdam plantis tantum praesentia], et ex carne (*ἡ σαρξ*) [vel telâ cellulosâ.] *Theophrastus.*

§. 4.

Ab *Theophrasti* temporibus transimus ad initium seculi decimi octavi, quia omne, quod de eo argumento dictum est illis temporibus, quum natura adhuc tam parum indagata erat in imperfectioribus, per se parum absolutum esse potest. Ex scriptoribus hujus temporis intermedii quos evolvimus, uti Plinium, Dodonaeum, Coesalpinum, Joh. et Casp. Bauhinum, Morisonum, Grevium, Malpighium et alios, qui postea vixerunt, uti Tournefortium, Dillenium, nil invenimus, quod de his agebat. Dolemus vero opera Jungii et Gesneri non ad manus fuisse, quum illi praeclari viri hanc rem certo non intactam reliquerint. *Medium aevum.*

§. 5.

Hombergius, qui primus inter recentiores rursus ea tractavit, (*Memoires de l'Academie* 1702. pag. 34.) censuit non disjungenda esse vegetabilia ab animalibus, quia eadem principia in analysi chemica praebeant, quam ob causam ea sub communi nomine *Materiarum Vegetantium* comprehendit. *Hombergius 1702.*

§. 6.

Bazinus (*Observations sur les Plantes et leur analogie avec les Insectes*, Strasbourg 1741.) ait plantas aeque ac animalia habere venas [vasa propria?], sanguinem per has- *Bazinus 1741.*

hasce venas circulantem, tracheas, membranas, cartilagines, glandulas, ligamenta (cirrhos), poros, organa generationis, duplicem sexum, continuam transpirationem, juventutem, adolescentiam, senectutem, morbos diversos etc.; differre vero sequentibus ab animalibus: quod motu sint destitutae et semper in eodem loco fixae maneant: quod natura, ea de re, instituerit alimenta illas quaerere, et totam massam aëream eas procurare, quae particulis sulfureis et salinis mixta, illas vapore plantas circumdante communicet, quum animalium instar non inquirere possint, quibus se nutriant: deinde, quod animalia, sexu diverso, se ad propagationem conjungere debeant, dum in talibus vegetabilibus e contrario aër sit vehiculum materiei faecundantis de mare ad faeminam: deinde, quod animalia unam tantum reproducendi viam habeant, dum plantae praeter communem rationem etiam gemmis multiplicentur. [In Polypis vero adsunt gemmae]: tum, quod animalia comedant, separent faeces et assimilent cibos, quod plantae ex adverso sine interventu illos de terrâ accipiant, plane formatos et nullas partes residuas rejiciant, quum tantum subtiliores reddantur et percolentur [Saussurius nobis eximiis experimentis contraria probavit]: tum quod animalia duplicem habeant motum, alium vitae organicae, alium voluntarium, plantae vero solum priorem: tum quod sanguis animalium in continuo motu esse debeat, plantarum vero non, quum per hiemem his plane immobiles sint succi: praeterea, quod plantae non respirent vel saltem, non ratione animalium [recentioribus temporibus vero plantas aeque ac animalia respirare et ratione quidem maxime conformi, discimus]: tandem quod plantae perpendicularem ad Horizontem habeant directionem [pluribus vero exceptis].

§. 7.

Buffon 1749. Clar. *Buffon* (*Histoire Naturelle Generale et Particuliere avec la description du Cabinet du Roi* 1749. T. I. pag. 1.) in comparatione Animalium et Plantarum sequentia docuit: primo, differentiam inter utrasque esse facultatem movendi et de loco mutandi in animalibus, qua plantae non gaudent: exceptiones vero, quae in animalibus inveniantur, efficere, hoc discrimen non esse universale. Deinde, differentiam, quae adsit in facultate sentiendi animalibus propria et vegetabilibus negata, neque esse communem neque omnibus partibus confectam: quoniam, si sub illa sentiendi facultate intelligatur actio motus ad resistentiam vel pulsationem quamdam, tunc eundem sensum inveniamus in *Mimosa Sensitiva:* si e contra, *sentire* significet animadvertere et comparare perceptiones, non certi sumus tali donata esse omnia animalia: nam si illum concedamus pluribus animalibus, quorum actiones cum nostris conveniant, uti Elephantibus Canibus etc., ab alia parte permultis illum negare

re debeamus, quae immobilia sint, uti Ostreis: vel quando iis idem attribuamus, gradu tantum imperfectiori, quare non etiam tunc illud haberent vegetabilia, gradu tantum magis imperfectiori? — Praeterea, differre in nutriendi ratione: animalia quaerere, diligere et externis organis capere cibos, qui illis conveniant: plantas e contrario videri, nutrimenta accipere debere, quae terra cum illis communicet: illud semper idem, nullumque dilectum esse in specie et terrae humiditate tantum consistere. Si vero organisatio et actio radicum et foliorum indagetur, esse perspicuum, haec esse organa, quibus vegetabilia ad nutriendum se inserviant et observari, radices ad resistentiam vel ad locum sterilem se flectere ad meliorem quaerendam: se dividere, se multiplicare et formâ mutari ad plantam nutriendam: hinc ergo nutritionis rationem non discrimen praebere. — Denique differentiam maxime universalem et optime animadvertendam esse formam diversam: illam animalium, quamvis ad infinitum variam, non assimilari posse formis vegetabilium: in Polypis aquarum dulcium (Hydris) vero plane vegetabili habitui esse similem. — In comparatione animalium et plantarum quoad numerum, locum, magnitudinem, patere numerum specierum animalium multo majorem esse, numero specierum plantarum: numerum specierum vero in utrisque, in imperfectis, multo majorem esse, quam in perfectioribus: animalia multo magis dispersa esse in diversis locis quam vegetabilia, quum haec in terrae superficie tantum subsistere possint, dum animalia inveniantur in superficie et in gremio terrarum, in maris abysso, in aëre, in interioribus partibus plantarum, in hominum aliorumque animalium corporibus, in liquoribus et in lapidibus: animalia multo minora inveniri quam vegetabilia. Ab alia parte convenire facultate reproducendi et partium explicandarum, quae tantam convenientiam supponat, ut in natura animalia et vegetabilia ejusdem ordinis esse, statuendum sit. Esse praeterea animalia, quae ad rationem plantarum sectione reproducantur, uti polypi: unde concludendum esse, nullum discrimen posuisse naturam inter animalia et vegetabilia, per diversos gradus ab animali maxime perfecto descendere ad maxime imperfectum ac de eo ad plantam, et Polypum posse gerere personam ultimi animalium et primi plantarum. Eadem repetiit *Buffonius in Historia Naturali anno* 1766. T. II. pag. 1.

§. 8.

D. G. Ludwigius (*Institutiones Historico-Physicae Regni Vegetabis ed. altera* 1757.) differentiam positam esse credit in eo, quod plantae facultate locomotivâ destituantur h. e., per propria organa e loco in locum non transferri queant: dum animalia per partes ipsis proprias, definitos motus exercere valeant, ita quidem ut, si etiam quiescant, dispositionem ad *Ludwigius* 1757.

ad motus suscipiendos tamen in illis observemus (vid. l. c. § 7.) Concedit vero deinde, „ hac differentiâ, in limitibus suis, non satis circumscripta esse animalia et vege„ tabilia: Urticas enim Marinas et alia similia Zoophyta, transitum ex animalibus ad „ vegetabilia et Muscos, Lichenes, Lithophyta et Crystallos progressum ex vegetabilibus „ ad Mineralia dubium reddere. "

§. 9.

Basterus 1760. *J. Basterus* (*Natuurkundige Uitspanningen*, D. I. St. 2. p. 64.) animal definivit corpus organicum, quod sentit, perceptiones habet et secundum voluntatem se movere potest: plantam, contra, corpus organicum, sensibilitate et motu voluntario carens, ex vasibus et liquoribus compositum, quod radice cum corpore quodam cohaeret, qua materiam nutritìtiam accipit; motus enim Mimosae, capsularum Balsaminae aliarumque plantarum plane mechanicos esse, neque voluntarios; adjecit vero non omnes plantas cum quodam corpore radicibus cohaerere, quum plures sint, quae aquae tantum innatent.

§. 10.

P. Camperus 1764. *P. Camperus* (*Redevoering over de overeenkomst tusschen Planten en Dieren, Amsterdam* 1764) conatus est probare laudata oratione, vegetabilia aeque ac homines spirare, insensibilem exspirationem, circulationemque sanguinis vel liquorum habere et aeque ut hi, nutriri et reproduci.

§. 11.

Bonnetus 1766. *Bonnetus*, (*Contemplation de la Nature*, T. I. pag. 45.) hoc argumentum tractans, ait neque majorem vel minorem simplicitatem organisationis; neque nascendi, nutriendi, crescendi et multiplicandi rationem; neque facultatem se movendi de uno ad alium locum, praebere notas sufficientes: animalia adesse, quorum structura aeque simplex sit ac plantarum, plantam et animal utrumque crescere evolutione partium, ex nutritione orta: materiam, receptam in utriusque corpora per intus susceptionem, dividi in planta et animali in partes nutrientes et faeces: in utrisque adèsse sexus distinctionem: reproductionem, gemmarum ope, non tantum vegetabilibus sed etiam pluribus animalibus esse communem: unicum characterem, animali proprium esse praesentiam nervorum; addens vero, non sine temeritate affirmari posse, nullas exceptiones adesse ab hac parte, uti etiam, nimis audacter judicatum esse, vegetabilia omni sensibilitate carere, quum non probatum sit, eâ plane orbata esse. Lectu dignissima sunt, quae de eo argumento verba, in Philosophi, ex Luna venientis, ore ponit. Vid. *l. l.* T. II. pag.

pag. 75. Fungi, Mucedines, Lichenes sunt, secundum eum, in limitibus Regni Vegetabilis, versus Fossilia.

§. 12.

C. Linnaeus (in prima editione Systematis Naturae anno 1735) proposuit sequentes differentias inter Animalia, Plantas et Mineralia. *Linnaeus* 1766.

„ Lapides crescunt.

„ Vegetabilia crescunt et vivunt.

„ Animalia crescunt et vivunt et sentiunt."

In duodecima vel ultima ab eo curata editione ejusdem operis, anni 1766, haec vero immutavit, sequentibus tria Naturae regna definiens:

„ *Lapides* corpora congesta, nec viva, nec sentientia.

„ *Vegetabilia* corpora organisata et viva non sentientia.

„ *Animalia* corpora organisata et viva et sentientia, sponteque se moventia."

Convictus hic videtur, lapides non crescere et praeterea motus in animalibus in eo differre ab illis, qui in plantis observentur, quod sint spontanei. Quae porro in illius scriptis inveniuntur, hoc argumentum spectantia, sunt sequentia. „ Vegetabile Regnum virens superficiem vestit, radiculis bibulis terrena haurit: foliis obvolitantibus aetherea respirat, calida metamorphosi declaratur in festivales nuptias, generantes, dispergenda inter praescriptas stationes, semina. Animale sentiens exteriora ornat: voluntarie movetur; respirat; ova generat; pellitur iratâ fame, laetâ venere, maestoque dolore, praedando coërcet vegetabilia popularesque, ut omnium proportio perennet." (*Syst. Nat. ed.* 12ª I. pag. 12.) Alio loco „ Animalia, organisatione viva, animato Medullari sentiunt, nervis percipiunt, seque ex arbitrio movent, motu possibili" (*l. c.* pag. 15). Alio „ Vegetabilia sensatione licet destituantur, aeque tamen ac animalia vivere, probat ortus, nutritio, aetas, motus, propulsio, morbus, mors, anatomia, organismus." (*Fundam. Botanica*, 1747. § 133.) Alio tandem: „ Plantarum ventriculus est terra; vasa chylifera, Radix; ossa, Truncus; Pulmones, Folia; Cor, calor: hinc planta animal inversum a veteribus dicta fuit." (Vid. *l. c.* § 147.)

§. 13.

Hedwigius (Fund. Hist. Nat. musc. frond. Lips. 1782) sequentem proposuit characterem, ex partibus genitalibus petitam. Ita se habet: *Hedwigius* 1782.

In *Lapidibus* omnino desunt.

In *Vegetabilibus* ante obitum decidunt.

In *Animalibus* post mortem adhuc supersunt.

„ Plausibus vero dignus nullomodo videtur," inquit *Sprengelius*", quum partes ge„ nitales multis vegetabilibus et animalibus desint, quum telae amatoriae Helicum, „ quum Trochleae faccundantes Sepiae Loliginis ilico perditum eant, quum denique „ stigmata Papaveris aliorumque vegetabilium ad mortem usque persistant." (*Phil. Botan. ed.* 4 curante *Sprengelio*, 1809. pag. 2.) Quot vero animalia et vegetabilia solummodo nonne existunt, quae omnino partibus genitalibus careant! (Vid. porro *Schrankius in Annal. Bot.* fasc. 1.)

§. 14.

Berthollonius 1783. *Berthollonius* (*De L'électricité des Végétaux*, 1783.) ad probandum, electricitatem etiam debere magnam vim habere in vegetabilia, enumerat ea, quae in illis et animalibus conveniunt. Continentur vero haec sequentibus: organisationem externam in utrisque adesse: in utrisque totum ex diversis partibus compositum esse, quae inter se invicem proportionem pulcherrimam habeant: substantiam utrorumque epidermide vel cute obtectam esse: hanc epidermidem vel cutem in utrisque pilis glandulisque esse obspersam: deinde, substantiam lignosam cum osseâ comparandam, fibras, membranas, telam cellulosam, fibrosam vel vesiculosam, medullam, vasa, fluida, radices cum ventriculo comparandas, tracheas pulmones simulantes, stamina et pistilla organa reproductionis, semina ovis similia, pollinem faecundantem, glandulas secretorias et excretorias, indicare similitudinem perfectissimam animalium et vegetabilium: in utrisque adesse productionem, evolutionem, nutritionem, incrementum, maturitatem, senectutem, inspirationem et exspirationem: polypos multiplicari posse gemmis et sectionibus et aeque ac vegetabilia, vitam persequi plane inversos: rationem evolutionis eandem esse: semina, aeque ac ova faecundata, novam producere plantam: novum embryonem in utrisque nutriri ab succis, in iis contentis: cotyledones mammas esse plantarum: juventutem aetatem esse pulchritudinis; maturitatem aetatem vis et soliditatis; senectutem morbis laborare et infirmitate; mortem denique finem vitae esse. Deinde ostendit facultatem locomotivam non posse distinguere animalia ab vegetabilibus, quum multum absit, ut omnibus sit propria. Ergo non dubitandum esse, pergit, quin vegetabilia et animalia habeant maximam analogiam, quoniam differentiae tantum sint accidentales, ut ita dicam, et quoniam convenientiae sexcentae constantes naturâ fundatae sint.

§. 15.

A. Bäckius (*de Animalibus Compositis, Amaenit. Acad.* Vol. V. pag. 343.) „ Animalia et Vegetabilia satis diversa quidem videntur," inquit", quod haec radices agant, „ quibus extra se alimenta capiunt; illa autem de loco in locum se movent, radicesque „ suas (vasa lactea) intra se habent; venientes vero ad fines regnorum, reperimus „ non tantum vegetabilia, sine radice se nutrientia, alimentumque suum per poros „ sorbentia, ut Fuci, sed etiam animalia, quae non solum loco suo, ad instar vegetabilium, perpetuo fixa sunt e. g. Balani, Serpulae, Lithophyta, sed pariter aliquot „ cum his affinia ut Sertulariae, quae ad basin radices suas undique dispergunt." Porro pergit: „ Corpus nostrum ex planta velut inversâ (ut ore veterum loquar), sive „ resupinatâ constat, cum sceleton nostrum tamquam e bulbo cranii in truncum et „ ramos extendatur, quibus musculi, totidem quasi folia adsident, licet ad apicem „ etiam adfigantur. Proxima his est altera Vasorum machina, e bulbo cordis, cum „ vasis suis, caulescens et ramificans. Demum accedit bulbus Cerebri, qui medulla „ spinali elongatur, ex qua exeunt nervi simplicissimi, quibus animal sentit et sponte „ sua se movet. Intra triplicem hanc machinam eamque compositam, quatuor concamerationes, in quibus quadruplex functio peragitur, deprehendimus. Prima est camera Cranii, intra quam functio animalis vel sentiens administratur: secunda Thoracis, intra quam functio vitalis interno motu peragitur: tertia Abdominis, intra quam „ functio naturalis sive alimentaris fit: quarta genitalis, in qua propagatio speciei perficitur. Ad primam illam cameram, organa sensus, oculi, nasus, aures, lingua „ tactusque papillae, veluti processus pertinent. — Catenam naturae articulatim a limine regni animalis ad finem secuti, decurtationem quamdam in animalibus minus perfectis (uti dicuntur) animadvertimus, quâ fit, ut neque serpentes, neque Pisces, „ Insecta et Vermes ullis auribus sint instructi. Insecta ut et Vermes naso carent, „ magnaque vermium pars oculis nullis utuntur. Serpentibus Piscibusque nulla sunt „ brachia, femora aut tibiae: Avibus nullae manus: Vermibus nec brachia, nec pedes: „ Piscibus nulli pulmones, sed, loco eorum, vicariae duntaxat branchiae. Neque insecta pulmones, poros tamen tracheasque habent, quibus respirant. Insectis quidem „ caput est oculatum, at sine cerebro, nervusque eorum opticus e medulla spinali „ originem trahit. In Vermibus ne vestigium quidem capitis observamus. Cor vermium vix similitudinem refert cordium aliorum, quin potius aneurismati arteriae „ adsimilatur; atque in minimo verme, ut fere in Hydris, apertura tantum loco oris „ est, per quam simplex cavitas recipere potest quisquilias aquae, quae ibi solvun-

Bäckius 1788.

 „ tur,

„ tur, atque a corpore, sicuti aqua a parte Fucorum exteriori, absorbentur. — Vegetabilia, contra ea, duabus praecipue partibus, medulla nimirum et cortice constare videntur. Medulla, materia illa spongiosa, ipsaque plantae vita, in infinitum se, instar omnium vivorum, multiplicat et succrescit e minimo primordio ad ultimos suos apices et continuatio solum inde a prima mundi creatione esse judicatur. Haec ad basin demoritur, ad apices vero suos continuat, dum in fructificatione emittatur, atque in semina intret, ut in novas vitas dispergatur. Substantia corticalis, altera est pars vegetabilium essentialis, quae plantis alimentum praebet et quantum in se est, substantiam medullarem includere conatur, terraeque, unde victum colligit, adhaeret. — Substantia medullaris plantarum multam analogiam cum medulla spinali animalium habere videtur, etsi nervis careat: quare nos fugit, an plantae et animalia aliter discrepent, quam hisce solis, quibus sensatio et motus voluntarius, qui in plantis non existunt, in animalibus exseruntur. Sed etiam hoc discrimen quam observatu sit difficile, ex aliquot Mimosis et Oxalide sensitiva, tactu se contrahentibus, intelligimus."

§. 16.

Jussieuvius 1789. *A. L. Jussieuvius* (*Genera Plantarum secundum Ordines Naturales disposita in praefat.* pag. 11. 1789) „ communis Animantium et Vegetantium vitae," scripsit, „ subsistit apparatus, simplicior tamen in Vegetantibus, quae nervis et musculis praecipue defraudata, non sentiunt nec spontaneum exerunt motum; communis habetur ideo scientia in his et illis organisationem prospiciens et vitam, similitudines aut discrepantias numerans ex conformi aut diverso utriusque modo deductas et seriem inde constituens naturalem, in quâ similia conspirant, dissimilia removentur, ita ut ex hac immutabili entium dispositione certa praesentiatur horum affinitas aut alienatio et cognitis paucis, viciniorum cognitio facilior evadat. Ex dictis Animal est corpus organicum vivens, sentiens et agens, Planta vero corpus organicum vitae capax, motus et sensationis expers." — Recte adjecit vero *P. Usteri* in additamentis ad alteram hujus operis editionem „ Clar. *Jussieuvius*, ut plerique antiqui et nuperi, Analogiam summam oeconomiam inter Animalem ac Vegetabilem defendit, atque demonstrare conatur: quae opinio et falsissima et perniciosissima est, cum scientiae progressus, praecipue cognitionem Oeconomiae Plantarum miro modo impediat" (Vid. porro *Medicus, Comment. de plantarum praeter semina propagatione; Act. Palat.* Vol. VI. *Physic.* pag. 443—516).

§. 17.

H. F. Linkius 1798. *Linkius* (*Philosophiae Botanicae novae Prodromus* Gotting. 1798. pag. 6) definit plan-

plantam „ corpus organicum, quod finibus vasorum succum nutrititium ex alienis corporibus statim suscipit, nec aliena corpora, pro cibo adhibenda, in receptaculo communi [ventriculo] digerit."

§. 18.

J. C. Fabricius (*Naturhistorische Vorlesungen* 1804. pag. 345, 351 et seqq.) de convenientia animalium et vegetabilium sequentia refert: habent eandem organicam structuram, constant ex iisdem partibus, sunt eodem modo constituta, aliquantum diverso tantum secundum externorum, in iis agentium, diversitatem: constant utraque ex parte medullari internâ et ligneâ externâ: ex partibus medullaribus decurrunt fila sive Nervi ad quamque partem: nervi vero in plantis pauca ganglia formant, quibus valde ab animalibus nervis differunt: nervi plantarum videntur quidem agere in partes corporis et eo procurare liquorum circulationem, partium expansionem, et alios internos motus; num vero in partes medullares reagant, et cum iis, hac ratione, sensum et perceptiones communicare possint, dubitandum est: organica autem structura, vita, morbi et mors vegetabilium videntur sentiendi rationem ostendere, quae quidem obscura, sed non minus activa videtur esse eo, quod nervi nullum commune punctum communicationis habent et quaeque pars sibi vitam vivit. — Talia plura addidit, quae brevitatis causa, omittimus. *J. C. Fabricius 1804.*

§. 19.

C. Sprengelius (vid. *C. Linnaei Philosophia Botanica*, ed. 4. 1809. pag. 3) dixit, differentiam, quam *Linnaeus* inter animalia statuerit, non ab omni exceptione esse alienam. „Sentire dicitur corpus, quod externarum rerum perceptiones percipit; ea „ autem perceptio, quum nonnisi actibus sic dictis spontaneis dignosci possit, labascit „ tota haec propositio. Siquidem eodem jure *Averrhoa Carambola*, *Mimosa sensitiva*, *Dionaea muscipula*, eodem jure stamina *Cactorum*, *Cistorum*, *Parnassiae* et „ *Rutae* sentire dicuntur, quo *Tubularia magnifica*, quo *Alcyonia*, *Gorgoniae* et *Antipathes*." Docet porro neque ex partibus genitalibus, neque ex discrimine alimentorum, neque ex radicum absentiâ vel praesentiâ, certam notam desumi posse et mixtionem humorum solam videri differentiam „ quae ad omnes fere organicorum corporum classes quadret. Oxygenii enim abundantia in vegetabilibus, hydrogenii et azotici in animalibus explorata est: exceptis fungis et gastromycetis, qui hydrogenio: „ exceptis formicis, quae acido abundant." Hanc differentiam magis exposuit deinde Clar. vir in opere, cui titulus est *Bau und Natur der Gewächse*, Halle 1812. *Sprengelius 1809, 1812.*

Post-

Postquam ostenderat animalium Protogaeae reliquias inveniri in Calce: plantarum in Schisto: in Calce vero azotum, in Schisto uti in omnibus Silicibus, oxygenium maximas partes agere: hinc praecipuum characterem deducit inter utrumque regnum, quamvis non negari possit azotum aëris, calcis et humi in terra, magnam vim habere in vegetationem: quamvis ammonium plurum vegetabilium non explicari possit, sine conjunctione azoti et hydrogenii. Ait vero, animalia multo majorem numerum partium azoticarum producere, quam plantas: in iis azotum praedominare, dum in his tantum conjunctum et acidis impotens fiat: plantarum, e contra, partes constare magis ex oxygenio, carbonio et hydrogenio et tantum in talibus, quae animalibus appropinquent, uti in Fungis, plurimum azotum adesse; ita et animalia inferiora liquores oxygenatos praebere; animalia vero calcem, plantas silicem ipsas conficere posse. Ex hac elementorum majore diversitate in corpore animali, pergit, oritur eorum aucta temperatura: altior gradus caloris in plantis oriri nequit, quoniam elementa non satis diversa sunt, quamvis experimenta *La Marckii et Senebierii* in Aro et Fungis ostenderunt etiam habere calorem. Probat porro: ab diverso nutrimento differentiam inter animalia et vegetabilia capi non posse: quamdiu vero res sit, de animalibus et plantis perfectioribus, tum radicum praesentiam vel absentiam et casum partium sexualium ante vel earum persistentiam usque ad mortem praebere characterem magni momenti.

§. 20.

Kieserus 1814. *D. G. Kieserus* (*Mémoire sur l'Organisation des Plantes*, Haarlem, 1814. pag. 258) quoad convenientiam animalium et plantarum ostendit os animalium adesse in fibrillis radicum: chylum in venas delatum et inde, in pulmonibus, oxygenio in sanguinem mutatum, secundum eandem viam mutari in plantis: succos enim per lignum in canalibus intercellularibus deferri in folia, in quibus aëris contactu transformentur in liquores nutrititios: uti deinde ex pulmonibus sanguis per arterias in omnes corporis partes transferatur, ita etiam in canalibus intercellularibus corticis et radiorum medullarium arterias animalium adesse: uti tandem faeces animalium deponantur in partibus inferioribus tubi intestinalis, ita etiam faeces plantarum vel liquores, earum nutritioni non magis adaptatos, excerni in vasa propria, sub formâ succorum propriorum, unde deinde casu squamarum, foliorum vel fructuum ejiciuntur.

§. 21.

Cuvierius 1812 — 1817. *Cuvierius* (*Dictionnaire des Sciences Médicales*, T. II. 1812. Art. *Animal*) dicit de hoc argumento: nil tam facile distinguendum videri, quam animal: a quoque dignosci, ut

ut corpus sensibilitate et motu voluntario donatum: applicationem vero hujus definitionis difficillimam esse, quando id agendum sit, ut determinetur, num corpus, quod observetur, animal sit necne. Patere vero, corpus, a nostro diversum, habere sensationes, sine ulla certitudine, dici posse; et illud a nobis, adspectu institutorum motuum, tantum iis praeditum judicari: motus vero voluntarios, ut sensationes adsint, accipiendos esse; et, ab alia parte, sensationes, ut hi existant, admittendas esse. Multas etiam praeterea difficultates restare, si motus omnium animalium iisdem causis producti accipiantur, atque nostri: quibus enim distinguendum, nullam sensationem in plantis adesse? Quando animalia alimentorum dilectum ostendant, radices plantarum ad eam terrae partem se dirigunt, quae maxime succis abundat; et earum folia atque rami illuc vertuntur, ubi plurimum aëris et lucis adest. [Haec vero cum animalium sensibilitate non conferri posse nobis videntur: de illis autem ulterius § 32 agemus]. In animalibus praeterea status adesse, vitâ durante, in quibus nulli motus observentur, uti in ovo, in somno, in chrysalidibus, in cadaveribus etc.: in talibusque facultates, quae vi vitali indigeant, non inservire posse, ad ostendendum, cuinam regno organico corpora pertineant. Alibi ergo differentiam quaerendam esse; et talem tantum inveniri in fabricâ, in compositione mechanicâ et chemicâ, singulis propria. — Animalibus et Vegetabilibus plurima esse communia: diversas vero proprietates diversas subire in utrisque modificationes. — Utraque componi telâ cellulari: vegetabilium vero illam adeo simplicem esse, ut talis tantum in animalibus maxime simplicibus adsit: diversas plantarum partes adeo sibi assimilari, ut omnes in se invicem transmutari valeant: Animalia parum perfecta nil tale ostendere; diversas eorum partes fabricam primariasque partes habere diversas: nullam vero distinctionem inde peti posse; quoniam imperfectissima, hac in re, cum plantis conveniant. — Compositionem chemicam, deinde, sexcentis substantiis, vi vitali, suo in loco, tantum retentis, constitutam, utrisque esse communem: simpliciorem autem esse in vegetabilibus; quoniam elementa proxima in his constent ex oxygenio, carbonio et hydrogenio, raro cum azoto, rarissime cum phosphoro conjunctis: dum in animalibus semper azotum et saepissime phosphorum adsit. Distinctionem vero inde etiam non sumi posse inter utraque regna, quum omnia vegetabilia azoto et phosphoro non egeant. — Nutritionis autem rationem diversissimam esse in utrisque: vegetabilia absorbere per epidermidis poros, per radices atque folia, nullamque internam cavitatem praebere; animalia, contra, quidem etiam cute absorbere, omnia vero interna cavitate, quâ cibos, diversos in locos transeuntia, deponere possunt, praedita esse; praesentiam ventriculi vel tubi intestinalis optimum inde praebere characterem. [Vid. § 29] — Unitatem oris, quam quidam plurimis radicum, fo-

 lio-

liorum epidermidisque poris opponere voluerint, non adeo esse constantem, quum, plura ora possidentia, in Medusarum familia, adsint. — Caeterorum organorum animalium nulla adeo constantia reperiri, ut, ad universalem distinctionem ponendam, quodammodo inservire possint.

In alio opere (*Le Règne Animal distribué d'après son Organisation*, 1817. T. I. Introd. pag. 21) *Cuvierius* inquit, quamvis plures plantae folia retrahant, quando attingantur; quamvis radices constanter versus humiditatem et folia versus plurimum lucem et aërem se dirigant; ac, quamvis quaedam plantae oscillationes ostendant, quibus nullam externam causam percipiamus: hi diversi motus, iis animalium nullomodo assimilari possunt, ut his probare valeamus, perceptiones et voluntatem habere. — Quoniam animalium radices non in terra fixae sunt, debebant in eorum corpore habere cavitatem, quâ nutrimenta asservare possint: inde primus character animalium deducitur, praesentia nempe tubi intestinalis. [Vid. § 29.] — Aliam distinctionem invenimus in systemate circulationis, quum ad diversas functiones perficiendas, animalia non amplius motum fluidorum, ab calore et atmosphaera pendentem, habere possint. — Functionibus porro animalium, systemata organisationis necessaria erant, quibus vegetabilia non indigebant: uti musculi ad motum voluntarium, et nervi ad sensibilitatem; et quum illa duo systemata, tantum agant fluidorum liquidorumve motibus et mutationibus, haec etiam magis copiosa et corporis animalis chemica compositio etiam magis complicata esse debebat, quam vegetabilis: etiam in illis, elementorum numerus augetur azoto, cujus copia in vegetabilibus minima est. — Terra et atmosphaera vegetabilibus ad nutritionem, aquam, ex oxygenio et hydrogenio aëremque, ex oxygenio, azoto et acido carbonico compositum, praebet: ex his hydrogenium, carbonium et parum azoti absorbetur, ac superfluum oxygenium [vel liberum, vel cum carbonio vel cum hydrogenio junctum] exhalatur. Animalia, contra, ex alimentis praecipue assumunt hydrogenium, carbonium et azotum: hoc retinent, nimiam hydrogenii et carbonii copiam exhalant: et ex aëre oxygenium potissimum accipiunt, quod cum sanguinis hydrogenio et carbonio conjunctum, cum toto corpore communicatur. Ratio igitur vegetabilium et animalium ad aërem est opposita: illa exhalant, dum posteriora reproducunt aquam et acidum carbonicum.

§. 22.

La Marckius 1815. *La Marckius* (*Histoire Naturelle des Animaux sans Vertèbres*, Par. 1815. pag. 85 et seqq. pag. 111 et seqq.) characteres sequentes animalium et vegetabilium proposuit. Animalia habent, primo, partes continuo contractiles, quae subito et iterato mo-

moveri possunt. — Sola sunt corpora, deinde, agendi et de loco movendi facultate donata. — Nullos, tum, motus tam internos quam externos perficiunt, sine excitatione, quae eos producit, et possunt hos motus tamdiu renovare, quamdiu causa stimulans eos promovet. — Nullum, porro, offerunt nexum, nostro intellectui subjectum, inter motus et causas motrices. — Solida, deinceps, aeque ac fluida motuum vitalium participia sunt. — Nutriuntur, postea, materiebus jamjam confectis. — Ostendunt, deinceps maximam diversitatem in eorum fabricâ, ita ut eorum partes in se invicem mutari non possint. — Sunt, praeterea, vel *irritabilia*, ut tantum se movere possint externis excitationibus: vel *irritabilia* et *sensibilia*, ut facultatem habeant se movendi excitationibus internis, ex sensationibus productis: vel *irritabilia*, *sensibilia* et *intelligentia*, ita ut se movere queant secundum voluntatem et meditationem. — Nec ad lineam rectam tandem, in horizontem se extendere [homine solo excepto] nec vasa paralleliter decurrere tendunt. —— His sequentes vegetabilium characteres opponit. Non possunt, primo, subito et iterato, omni tempore, partes solidas contrahere, neque his motus subitos et iteratos conficere, tamdiu repetitos, quamdiu causa stimulans eos excitet. Facultas agendi, deinde, uti et de loco movendi iis negata est. Fluida, tum, motus vitales tantum conficere possunt: solida, irritabilitatis defectu, ad tales perficiendos motus, quos causae externae excitantes producunt, non concurrunt. — Nulla habent deinde, organa interiora: sed eorum fluidorum motibus, obtinent canales vasculiformes, ad latera plurimum perforatos atque, in universum, parallelos. [Hic nobis plura vitia latere videntur; primo, adsunt in interiore plantae fabrica partes, quae jure organa interiora dici possunt, uti *Nodi*, diversa organa exteriora radices, folia, sepala, petala, stamina, pistilla, cum caule connectentes, et *Radii Medullares*. — Deinde, difficile sane est intellectu, quomodo fluidorum motibus vasa plantarum primordialia construi possent: vasa enim tunc ex spatiis orirentur, quae fluida eorum circulatione efformarent! Eodem modo dici posset, arterias et venas in corpore animali ex sanguinis fluctu oriri. — Porro rarissime pori adsunt ad latera Cellularum et Vasorum Spiralium, communi nomine *Vasorum Vasculiformium* ab *La Marckio* comprehensorum, quum in cellulis propriis, a *Mirbellio* tantum ficti, numquam reperiantur; et quum in formâ quâdam intermedia, inter cellulas et vasa Spiralia, quae in Pinis aliisque affinibus hucusque tantum cognita sit, solummodo inveniantur. (Consul. *D. G. Kieser*, *Anatomie des Conifères et des Arbres verts.* Vid. *Memoire sur l'Organisation des Plantes*, Haarlem 1814. p. 295. in de *Verhandel. van Teylers Tweede Genootschap*, Stuk XVIII.) Praeterea in Vasis Spiralibus, tantum existunt in V. S. retiformibus et porosis (*netzformige und poröse Spiralgefässe;* Kiezer). Tandem multum abest, ut omnia vasa parallelam direc-

rectionem habeant, quum omnes cellulae medullae et corticis reticulatim sint dispositae et quum cellulae Radiorum Medullarium plane horizontalem habeant directionem. (vid. *Kieser Elem. der Phytonomie* §. 177.)] — Nullam, tum, vegetabilia perficiunt digestionem, sed tantum liquorum elaborationem et fluidis tantum se nutriunt: — Eorum fluida, porro, nullam circulationem habent, sed tantum ascensum et descensum: — Duplicem, deinceps, habent vegetationem, aliam adscendentem, aliam descendentem, quae ab nodo, ita dicto, vitali, cauli et radici intermedio, incipit. — Tendit eorum vegetatio, praeterea, perpendiculariter in horizontem: — Formant, tandem, plurimum corpora composita, communem vitam viventia. [Ita quidem constitutum est cum Arboribus et Fruticibus Dicotyledonibus, omnes vero Monocotyledones, uti et Dicotyledones Herbaceae nullam habent vitam compositam.]

§. 23.

Vireyus 1816. *Vireyus* (Vid. *Nouveau Dictionnaire d'Histoire Naturelle, appliquée aux Arts* etc. T. II. 1816: verbo *Animal*) vitam distinguit in vitam vegetativam et vitam sensitivam, quarum priore tantum vegetabilia, utraque vero animalia gauderent. — Deinde ait, organa nutritionis esse interna in animalibus, externa in plantis: unde etiam sequi, harum mortem ad internas, illorum vero ad externas partes incipere, quum organa, quae supra memorata sunt, ultimo semper moriantur. — Fabricam vegetabilium, tum, simpliciorem esse quam animalium: illa cellulas et fibras, haec, contra, carnem habere. — Plantam porro, in universum simplicioribus alimentis nutriri, quam animal: carbonio, hydrogenio atque oxygenio tantum compositam esse, dum in animalibus his adjungantur phosphorus uti et alia elementa: — Animal, deinceps, ex aëre vel ex aquâ oxygenium accipere: plantam vero, absorbentem acidum carbonicum, rejicere oxygenium et assimilare carbonium uti et hydrogenium: — Animalia, praeterea, omnia praedita esse ore, ventriculo vel tubo intestinali, pleraque habere pedes, brachia, tentacula, eorumque formam magis esse concentratam, ut ita dicam, quam vegetabilium: haec magis divisa, magis expansa esse: omnia fere terrae radicibus adhaerere, et ramos, folia, flores habere: — Structuram plantarum, tandem, maxime praebere formas circulares, radiantes, uti in floribus regularibus videtur (dum irregulares ex inaequali accretione vel ex abortu vicinarum partium ortum sumant vid. *De Candolle Théorie Elémentaire de la Botanique*, 1819. pag. 90): animalia, vero, plerumque formas symmetrices assumere et duabus dimidiis componi, sibi invicem applicatis. — *Animal* sequenti ratione definire conatur „Corpus organicum, „sensatione donatum, motus voluntarios perficiens, organo digestionis in medio cor„poris praeditum." — Quoäd comparationem animalium cum plantis, inter alia minoris

ris momenti, dicit, in utrisque organa perfectissima et maxime composita in regionibus superioribus locata esse, uti cerebrum in animalibus, et inflorescentia in plantis.

§. 24.

Nitzschius in annotatione ad praeclarum opus (*Naturbeschreibung der Cerkarien und Bacillarien; in die Neue Schrift. der Naturf. Gesellschaft* zu Halle, Band III. Heft. 1. p. 24.) opinatur, omnia animalia, motu praedita directione inaequali, *igitur* voluntario, etiam nerveam substantiam habere. [Haec vero, me judice, non accipienda sunt: primo quoniam non directe sequitur, omnes motus inaequales esse voluntarios; et quum multo potius accipiendum sit, eos ex irritatione fluidorum vel corporum circumdantium oriri: deinde, quoniam in plurimis animalibus inferioris ordinis, in quibus tamen inaequales motus adsunt, nulla nervea substantia inventa sit: et tandem, quoniam motus voluntarii, sine hujus praesentiâ, non accipi possint.] *Nitzschius* 1817.

§. 25.

F. S. Voigtius (*Grundzüge einer Naturgeschichte*, Franckf. 1817. p. 617.) praecipuum characterem plantarum habet, earum cum terrâ directam organicam conjunctionem. Haec cohaesio organica, ab alia, quae tantum mechanica est, uti Molluscorum, aliorumque, diversa, fit radicum vel similium organorum ope. *Tubera* tantum, [sexcentis aliis non enumeratis] faciunt exceptionem, quamdiu in his tales non invenerunt. *Voigtius* 1817.

§. 18.

T. F. L. Neesius (vid. *Commentatio de Muscorum propagatione*, 1818, Erlang. pag. 15.) Vegetabilia dixit „corpora organica inferiora, quae ex simplici tela cellulosa „sexus utriusque evolutionem petunt: Animalia corpora organica altiora, quae ex „vasorum diversorum systemate cerebri ac nervorum, summam petunt efformationem. *Neesius* 1818.

§. 27.

A. P. de Candollius (vid. *Théorie Elémentaire de la Botanique*, Par. 1819. pag. 13 et seqq.) de iis sequente ratione scripsit: modo analogo videntur esse formata animalia et vegetabilia: utraque partibus componuntur aliis agentibus, aliis elaboratis: aliis solidis, aliis liquidis: in utrisque agit vis vitalis, putredini resistens: in utrisque composita inveniuntur, synthesi chemica non imitanda: in utrisque nutrimenta per plures vias transire debent, antequam ad nutritionem adaptantur: in utrisque distinguuntur secretiones et excretiones diversae: in utrisque leges reproductionis magnam simili- *De Candollius* 1819.

litudinem ostendunt: in utrisque, nata ex specie qualicunque ipsi conformia sunt: in utrisque species inter se majores vel minores gradus convenientiae habent et gradatio invenitur in organorum complicatione; quo simplicior eorum est organisatio, eo magis assimilantur alius regni individuis. Admittamus, pergit, ut hypothesin maxime probabilem, animalia donata esse sensibilitate, et vegetabilia eâ esse privata; hinc omnes differentiae deducuntur, quae inter animalia et vegetabilia existunt: quoniam illa sentiunt dolores et voluptatem, motibus malum evitant et meliora quaerunt; haec contra, nullos alios motus exercere queunt, quam tales, quae viribus externis vel mechanicâ quâdam eorum structurâ cum ipsis communicantur. Hi motus sunt nec voluntarii, nec locomotivi. — Illud, sensibilitate et mobilitate donatum, potest se nutrire omnibus, quae in natura existunt corporibus, et ipsa quaerere, quando in vicinitate non adsunt. Hoc contra, non sciens, quid sibi convenit nec praedam capere valens, rebus ubicunque sparsis nutritur; et aqua, aër illaque, quae in his dissoluta sunt, has conditiones tantum perficiunt. — Quum illa possint eligere alimenta valde diversa, eorum organa nutritionis magnas differentias debebunt praebere: horum, e contrario, omnium iisdem, utentium, organa nutritionis paucas diversitates tantum ostendunt: — Illa saepius remanenda sunt sine cibis inveniendis, et quando tales inveniant, debent saepius per quoddam temporis spatium eos servare: donata sunt hac de re cavitate interiore, in qua illos deponere possunt: haec cavitas est ventriculus: his vero, semper liquoribus nutrititiis circumdatis, neque iis colligendis neque ideo ventriculo, opus est. — Quia in animalibus cibi deponuntur in cavitate interiore, omnia versus hanc cavitatem diriguntur vasa: in plantis, contra, vasa absorbentia ad superficiem inveniuntur. — Ut animalia praedam capere et eam per quoddam temporis spatium in ventriculo servare possint, haec solida esse debet; et quando vasa absorbentia partes, nutritioni adaptatas, ex eâ secreverunt, residua, quando adsunt, etiam debent esse solida: in vegetabilibus vero, alimenta sunt liquida, ut facile per eorum vasa penetrare possint; et post partium idonearum assimilationem, tunc residua item liquida esse debebunt. — Quia in illis omnia vasa circum centrum corporis disposita sunt, haec per totam vitam persistunt: in plantis vero, quum vasa versus superficiem dirigantur, nova possint evolvi. Erit ergo in illis terminus vitae neque in vegetabilibus. Erit in illis, mors per senectutem, quando vasa moleculis obstruuntur: talis vero causa in vegetabilibus existere nequit, quia nova vasa semper prioribus possunt adjici. — Quum illa centrum nutritionis habeant, perraro sunt corpora composita: vegetabilia vero, nullo centro communi donata, dividuntur sine vitae amissione. — Quoad reproductionem, in illis, in quibus sexus diversi se appropinquare possunt, hermaphrodita rarissime invenimus; in e-

vegetabilibus vero, in quibus mas ad faeminam se non transferre valet, plerumque adsunt. Ex eadem ratione in illis materia faecundans est liquida et in his solida [vel saltem solidis in sacculis (polline) clausa], ut facilius ab aëre transvehatur.

§. 28.

Richerandus (*Nouveaux Eléments de Physiologie*, Paris 1820. pag. 14—21.) rationem solidorum ad liquida majorem, dicit in plantis, quam in animalibus: deinde, quum azotum, quod praecipuas partes in animalibus agit, volatile, et carbonium, basis vegetabilium, solidum sit, inde fieri, post mortem haec diutius formam retinere: illa, praeterea, praedita esse ventriculo, his negato: nutritionem, tandem, in prioribus duabus superficiebus, atque potissimum internâ, in posterioribus vero externâ perfici. *Richerandus 1820.*

§. 29.

Ex his vero omnibus sententiis, quae de hoc argumento retulimus, quinque sequentes maxime invaluerunt. Primo autem illam ex compositione chemica petitam, non omnibus partibus justam esse, jam indicavit *Sprengelius*, dum ipse agnovit, in Fungis maximas partes agere Azotum; et in Animalibus pluribus, e contrario, non quidem imperfectissimis, deficere vel latere. — Alia deinde ex radicum vel organorum similium, uti et alia ex tubi intestinalis praesentia vel absentia, plane cadit, quum ab illa parte plures adsint Algae et Fungi, qui nullis prorsus radicibus gaudeant: quum ab hac in Animalibus Infusoriis nullum quorumvis organorum internorum vestigium plurimum existat, et quum in Polypis proprie etiam deficiant, qui toti quanti simplicem cavitatem sistentes, ad internam partem nulla vasa habent et uti manica verti possunt. Aliam deinceps ex facultate sentiendi, animalibus communi vegetabilibusque negata, jam rejiciendam vidimus auctoritate *Bufonii*, *Cuvierii*, *La Marckii* et *Sprengelii.* Nihilominus a pluribus adhuc est accepta: sed quid etiam de hoc charactere sit, numquam illum acceptum iri credimus ut talem, qui observatione in omnibus probari potest: et quum hic talem quaerendum nobis proposuerimus, qualemcunque etiam, non amplius in his haerere opus esse putamus. Quinta tandem ex eo deducta, quod solida aeque ac fluida motuum vitalium participia sunt in animalibus, dum in plantis posteriora tantum agendi facultatem possideant, prorsus etiam cadit, quum nulla ratio nobis adesse videatur, quâ accipiendum esset in motibus spontaneis plantarum solidas non pari modo ac fluidas partes se movere. Igitur in his omnibus, et quidem non tantum quoad imperfectiora, sed etiam quoad perfectiora, complures manifesto exceptiones adsunt, quae, quominus accipiantur, vetant. *Brevis praecipuarum sententiarum, antea laudatarum, revisio.*

PARS

PARS SECUNDA.

DE MAXIME PROBABILI DISCRIMINE INTER ANIMALIA ET VEGETABILIA.

§. 30.

Praefatio. Postquam in priore parte plurimorum, quantum nobis innotuerunt, sententias recensuimus, quae de hoc argumento scriptae sunt; nunc talis character est conficiendus, qui cum naturâ omnino convenit. Difficultate, qua heic laborent, in quibus per tot annos maximam operam navarunt, absterriti fere destiteramus, nisi in manus venisset opus Clar. *La Marckii*, *Histoire Naturelle des Animaux sans Vertèbres*, et nisi illius ope, quibusdam mutatis et adjectis, tandem perveneramus ad talem conficiendum, in quo hucusque nullis adhuc offendimus exceptionibus. Sed in re tantis difficultatibus oppressa, naturae primis gradibus tantum adscensis, longe sumus remoti, ad quid omni exceptione liberum statuendum; quum et experientia et scientia idonea ad tantum amplectendum, quantum in his requiratur, solum in versatissimo Zoologo et Botanico quaeri possit, qui in omnibus partibus vastissimae illius scientiae aeque versatus sit.

§. 31.

De Charactere La Marckiano et de quibusdam in eo institutis mutationibus. In differentiis inter animalia et vegetabilia ab *La Marckio* propositis et § 22. expositis, plures sunt vitiosae, plures erroneae: inter illas alia vero adest, maximâ attentione digna, quam hîc, verbis ipsis auctoris, repetere necessarium judicamus. Ita se habet:

„ Les *Végétaux* sont incapables de contracter subitement et iterativement, dans
„ tous les temps, aucune de leurs parties solides, ni d'exécuter par ces parties des
„ mouvements subits ou instantanés, repetés de suite, autant de fois, qu'une cause
„ stimulante les provoquerait.

„ Les *Animaux* ont des parties instantanément contractiles sur elles-mêmes et
„ sont

„ sont susceptibles de les mouvoir subitement et iterativement." (Vid. *Hist. Nat. des Anim. s. Vert.* 1815. Paris, Tom. I. pag. 85, 111.)

Ut vero character ille omnibus partibus justus sit et absolutus, quaedam faciendae sunt mutationes. Requiritur in primis, ut quam brevissimus sit, eaque de re, ut omnia supervacanea rejiciantur. Nulla ratio impedit, quominus contractiones simul cum caeteris motibus memorentur, quum nulla pars se contrahere possit, sine motu instituendo: ergo haec, quae de utrisque seorsum dicuntur, conjungenda sunt. — Deinde, ultima verba in charactere vegetabilium: „*repetés de suite, autant de fois, qu'une* „ *cause stimulante les provoquerait*," superflua sunt, quum haec verbo praecedenti: *instantanés*, jam intelliguntur. — Porro, quum in animalibus contractiones semper exsertionibus praecedantur et quum in vegetabilium motibus, idem, plerumque, majore tantum temporis intervallo, locum habeat, hae non praetermittendae sunt. — Tandem in charactere vegetabilium addendum est, raro ostendere motus spontaneos, quum inter triginta millia plantarum hodie cognitarum, ad summum, centum adsint, in quibus sponte partes moveantur. — His dictis, *La Marckianus* character jure in sequentem mutari posse videtur:

Animalia sunt corpora organica, partibus praedita, quae continuo atque iterato exseri et contrahi possunt [vel fluctuum modo se moventia: vid. § 32. in fine]

Vegetabilia sunt corpora organica, quae perraro motus spontaneos ostendunt, numquam vero exsertiones et contractiones continuas atque iteratas [neque motus fluctuatorios: vid. § 32. in fine]

Ad stabiliendum vero, revera ita omnia animalia, quotquot cognita, distincta esse a vegetabilibus, in sequentibus omnes diversos motus animalium et plantarum recensebimus; illos quidem, magis in universum spectantes, hos vero secundum varias causas motrices, disponentes: ut deinde transeamus ad *Regna Intermedia* et ita dicta *Phytozoa*, quae omnia continuo cadent, utpote contra naturae leges proposita.

§. 32.

Animalium motus non secundum diversas causas motrices disponemus, quum in perfectioribus voluntate, in imperfectioribus, nervorum centro vel cerebro carentibus, impulsione vel irritatione externâ regantur; et igitur non ex tot diversis causis, quam in vegetabilibus, proveniant. Magis inquirere, quomodo nervi voluntatem de cerebro ad musculos, vel externam impulsionem ad internas partes transferant, neque hujus loci neque nostris viribus par est; a Physiologis fluido nerveo hoc phaenomenon explicari, satis hoc loco dictum esse credimus. — Vidimus autem in anterioribus, ani- *De Motibus Animalium.*

 ma-

malia esse *corpora organica*, *partibus praedita*, *quae continuo ac iterato exseri et contrahi possint*. Quod attinet ad *Vertebrata*, *Articulata*, *Radiata*, *Echinodermata*, probatum est, nullum ea posse movere artum sine exsertione vel contractione musculorum aut fibrarum carnearum: et quum nullum ex his cognitum sit, quod se non movet, omnia hac lege comprehenduntur. In reliquis Invertebratis, in quibus, Saepiis exceptis, nullae a parte interna adsunt partes solidae vel in quibus longitudo corporis neque vertebris neque cute firma determinetur, exsertio et contractio multo major plerumque et toto corpori fere semper communis est, ita quidem ut duplo longius fieri possit. Hac ratione *Gasteropoda* v. c., totum corpus extra concham exserere queunt, ut disco carnoso, quo ad inferiorem corporis partem instructa sunt, prorepant. — Ita inter *Annelides*, *Lumbricus terrestris*, corpore articulatim contrahendo et exserendo, motus instituit. — Ita *Acalepha* Cuv. vel *Radiata Mollia* L. M. per totam vitam continuas ostendunt corporis expansiones vel contractiones, aut ad cibos concoquendos aut ad aquam in os vel ora recipiendam et expellendam (Vid. *La Marck*, *Histoire Naturelle des An. s. Vert.* T. II. p. 444.) — Ita, inter *Radiaria*, quae in Systemate Naturali locum supra Polypos mereri videntur, *Furcularia ridiviva* L. M. [*Vorticella rotatoria* Müller] non tantum organa rotatoria tota quanta intra corpus retrahere, sed et etiam, uti nobis saepius observari licuit, figura plane mutari possunt. (Vid. *H. Baker*, *Nuttig Gebruik van het Mikroscoop*, Amstel. pag. 276—300. Pl. XI.) Eodem modo *Vorticellae* plures, uti v. c. *V. Convallaria* L. M., repentinis motibus pedunculum, spiralis in modum, exserit et retrahit (Vid. *de Vorticellis* Tabulae *Roeselianae: Insektenbelustig.* III. T. 94—100.) — Pariter inter *Polypos*, *Hydra grisea* L. M., et *viridis* L. M.; *Alcyonella stagnalis* L. M., *Plumatella repens* L. M., quae ad Nymphaearum aliarumque plantarum aquaticarum folia saepissime inveniuntur, corpus tentaculaque multum in longitudinem exserunt levissimoque motu retrahunt. Praeterea *Polypi Polypariorum Vaginiformium*, *Reticulatorum*, *Foraminulatorum*, *Lamelliferorum*, *Corticiferorum*, *Incrustatorum*, *Tubiferorum* et *Natantium*, in quantum adhuc hodie cogniti sunt, etiam omnes tentacula vel corpus expandunt ad praedam capiendam atque eam in os ferendam. Quod attinet ad *Pedicellarias*, dicuntur hae corpus rigidum habere: ulterioribus vero observationibus probandum est, an revera sit earum corpus, quod tale habeatur, num earum Polyparium. Deinde, *Tubulariae* etiam minorem contrahendi vim habere dicuntur in earum tentaculis [sed in corpore adesse videtur]; quid vero etiam de illis sit, non conficere audemus, quum nobis earum observandarum occasio non fuerit: tantum de iis judicare possumus secundum figuras, quas de illis ad littora Zeelandica depixit *Basterus* noster (vid. *Natuurk. Uitspanningen*, D. I. St. I. T. III. fig. 2. A et B.) et duorum horum speciminum, diceremus, in fig.

fig. A. tentacula externa, ad rationem internorum multo minora esse, quam in fig. B, quamvis utraque ejusdem sint magnitudinis. Longe vero distat, ut vim naturae facere velimus, dicendo *Pedicellarias* et *Tubularias*, quoniam nulla exceptio in proposito charactere adesse queat, corpus debere contrahere et exserere posse: exemplo *La Marckii*, qui, praeter alios locos, quibus eadem dixit, etiam hic sequentia refert: „Ils „sont irritables ou ont des parties irritables, sans quoi ces êtres ne seraient pas des „Animaux. Il ne peut y avoir exception à cet égard" (Vid. *Hist. Nat. d. An.* s. Vert. II. pag. 110.) — Inter Infusoria, quae familia diversissima animalia conjungit, alia sunt, quae tantopere contrahendi et exserendi proprietatem possideant, ut nulli peculiari formae teneantur et in diversas lobatas figuras diffluant: hujus phaenomeni exemplum nobis offerunt, jure ita dicti, *Protei*. (Vid. de iis *Roesel Insektenbel.* III. T. 101): in aliis, uti *Cercariis*, proprie ita dictis, in quibus cauda et truncus, alternis vicibus, se movet eo usque, quo a sibi invicem separentur, eadem proprietate truncus diversas accipit formas (Vid. *Nitzsch*, *Naturb. der Bacillarien und Cercarien*): *Volvoces*, item, sphaericam formam in ovalem mutant, quando se movent. Non determinare valemus vero, quomodo motus peragantur *Goniorum*, *Cyclidiorum* et *Parameciorum*: semel tantum vidimus *Cyclidium*, quod membranaceum ovale corpus motibus fluctuatoriis (~~~~) vertebat, ita quidem, ut nulla in eo adesset contractio: si, in posterum, talia plura inveniantur, tunc characteres propositi animalium et vegetabilium amplificandi sunt, verbis iis ad utriusque finem in parenthesi adjectis: in nullis enim vegetabilibus tales motus observantur. Quod attinet praeterea ad *Vibriones* L. M., plures hujus generis species, utpote vera vegetabilia, fortasse ad Algas erunt rejiciendae: de duabus, *V. paxillifero* et *tripunctato*, e quibus *Gmelinus* genus *Bacillaria* formavit, certe nullum amplius dubium videtur. (Vid. § 34) Tandem inter Infusoria, animalcula inveniuntur, plane globosa, quae nullas contractiones neque fluctuatorios motus offerunt, uti *Monas termo*, *atomus*, *punctum*, *pulvisculus* atque quidam *Volvoces*: haec, jure, limites constituant inter animalia et vegetabilia; quamquam, propter eorum affinitatem cum reliquis Infusoriis, tam quoad eorum formam, quam quoad velocissimos, quos instituunt, motus, inter animalia recensendi sunt. (Vid. § 37.)

Proposito vero charactere, non tantum viva sed etiam mortua saepius dignosci possunt, quum electricitatis fluido, post mortem, musculi ad contractionem cogi possint: uti et chrysalidum animalis natura, quoniam parva compressione caudam ad latera flectunt.

§. 33.

Ab animalibus ad vegetabilia transeuntes, videmus omnia, quae ipsis necessaria sint, sine ullo motu, quum fluida nutritia ex terra et aëre absorbeant, adipisci posse, nul- *De Motibus Vegetabilium.*

nullisque motibus indigere ad eorum functiones perficiendas, et a primo usque ad ultimum vitae stadium, sine ulla movendi necessitate, vivere posse. Externis viribus, praeterea, afferuntur, quibus indigent: ventis enim, continuo ad eorum superficiem aër mutatur; et foliis, caulibus ramisve conquassandis succorum circulatio etiam promovetur: sunt vero, praeter illos motus passivos, et alii, qui spontanei sunt. Distingui possunt illi

1°. In motus, qui ex vi hygrometricâ,
2°. in motus, qui ex fluidorum ascensione,
3°. in motus, qui ex eorumdem organorum contraria actione,
4°. in motus, qui ex lucis actione,
5°. in motus, qui ex irritatione externâ oriuntur.

I. *De Motibus, qui ex vi hygrometrica oriuntur.*

Ex motibus plantarum spontaneis, sunt certo illi minime spontanei, qui hygrometricis viribus reguntur. Uti omnes Musci et Lichenes, aquâ madefacti, multo majus volumen accipiunt, ita in *Systilio Splachnoide s. Hornschuh*, adest, sustinens capsulae operculum, columella, capsulamque claudens vel aperiens secundum minorem vel majorem aëris humiditatem. — Ita ex *Fuco palmato* L., quidam Anglus *Thoreus*, Hygrometrum confecit. (Vid. *Millin's Magazin Encyclop.* l'an 1. p. 107.) — Ita etiam aristae plurium Graminum contorquendo breviores, detorquendo longiores fiunt, secundum atmosphaerae siccitatem vel humiditatem, unde *Martinetus* noster ex Avenaceâ aristâ molulam fabricatus est. (Vid. *Katechismus der Natuur*, IV. p. 63.) — Ita etiam in *Equisetis*, filamenta quatuor seminibus annexa sunt, quae, ex receptaculis in vitrum sparsis, tamdiu se movent, quamdiu semen tota amplexa sunt. Ita in *Anastatica hierochuntica* et aliis Cruciferis radices et caules lignosi evadunt ad vitae finem: ita siccati in globum curvantur supra se invicem et ventis pulsantur per loca sterilia, usque quo perveniant fortuito ad locum humidum: tunc rami madefacti expanduntur, capsulae aperiuntur et semina disperguntur in loco, ubi crescere valeant. Vid. *De Candolle, Memoire sur la Fam. des Crucif. Mem. du Mus.* IV. p. 169. — Contractiones in his producuntur quidem, tales vero, quae post longum temporis spatium tantum iterari possunt.

II. *De motibus, qui ex liquorum adscensione eorumque copiâ oriuntur.*

Omnia fere organa plantarum, accipiunt directionem, in evolutione, ab illa diversam, quam antea in vernatione habent: uti folia et rami hoc ostendunt diverso insertionis angulo, ita etiam corollae, stamina ac pistilla, eadem sequuntur. Sub horum vero

evo-

evolutione, quum adscensione fiat liquorum, sequentes motus hic recensebimus. — Antherae plurium Liliacearum, secundum longitudinem filamentorum, iis adnexae sunt, antequam flores aperiuntur: tempore vero faecundationis, in extremis filamentis mobiles evadunt. — Stamina *Fritillariae persicae*, a stylis remota sunt ante inflorescentiam: accedunt hinc vero alternatim stylo et immediate antheras stigmati applicant. Idem observatur in *Butomo umbellato*, in pluribus *Alliis*, *Ornithogalis* et *Asparagis*. — Flores *Fritillariae imperialis* et *meleagris* pendent, antequam stamina pollen amiserunt, deinde vero eriguntur. — In *Rutis*, antherae primo horizontales sunt: ad faecundationis tempus vero, quadrantem circuli describunt, pistillis accedunt et polline expulso, rursus removentur. — In *Zygophyllo Fabagine* L., elongantur antherae continuo extra corollam. — In *Dictamno albo* L. filamenta versus terram pendent, ad stigma vero faecundandum supra illud diriguntur. — In *Geranio fusco* L., *alpino* Burm., et *reflexo* L. filamenta, ante faecundationem, omnia versus centrum floris inflexa sunt: pollen fundatura vero, recta fiunt. — In *Saxifragis* stamina primo eâdem distantiâ remota sunt a pistillo: deinde vero per paria pistillo approximantur, ut tandem eodem ordine rursus ab eo secedant. — In *Stellariis*, in *Swertia perenni* L., in *Alsine media*, in pluribus *Polygonis* item observantur motus filamentorum versus pistillum. — Stamina *Parnassiae palustris* citissime elongantur: eorum filamenta ita curvantur, ut singula supra stigma locentur, unde faecundatione perfectâ, versus terram se inclinant. — Stamina *Sherardiae arvensis*, *Rhamni polyuri* L. et *Valerianarum*, postquam pollen emiserunt, curvantur in formam semi-circularem. — In *Delphiniis*, *Aconitis* et *Garidellis* ante faecundationem et eâ durante, omnia stamina flexa sunt: deinde eriguntur et a pistillo secedunt. — In *Stachyde*, stamina duo breviora, ante antherarum aperturam, in cavitate labii superioris corollae clausa, statim post pollinis emissionem lateraliter extra latera floris elongantur. — In *Asaro*, stamina plicata sunt, antheris germen versus dispositis, quando inflorescentia incipit: ad faecundationis terminum vero filamenta recta evadunt, et antherae verticales. — In *Scrophulariis*, quatuor stamina, ante faecundationem contorsa, ad pollinis emissionem detorquentur.

Tales etiam motus observantur in organis faemininis. Ita styli *Passiflorae* recti sunt et sibi invicem approximati in centro corollae, initio inflorescentiae, dum post paucas horas a se invicem dimoventur versus stamina. — Ita styli *Nigellarum*, primo etiam recti, deinde in arcum flectuntur: porro eriguntur et pristinum statum recipiunt. — Ita styli *Epilobii augustifolii* et *spicati* perpendiculariter terram versus dependent, in recenter aperto flore deinde vero eriguntur. — *Linnaeus*, (vid. *Hort. Cliff.* 9.) „dixit de *Gratiola*:" oestro venereo agitata pistillum stigmate hiat, nil nisi masculinum pul-

„ verem affectans et satiata rictum claudit." (Vid. *Desfontaines Observations sur l'Irritabilité d'un grand nombre de plantes: dans les Memoires de l'Academie Royale des Sciences*, 1787. p. 468 — 480.)

In praecedentibus motibus, qui ex adscensione liquorum, tempore faecundationis, quo maxime haec organa vigent, deducendi sunt, numquam videntur exsertiones vel contractiones continuae, sed ad summum unica vice instituta vel post longum intervallum reiterata exsertio. Caeterum mutatio insertionis omnibus organis plantarum, et in primis foliis et ramis semper fere communis est. Alia vero phaenomena in organis Reproductionis et Vegetationis observantur, in quibus non tantum mutatio insertionis talis, qualis in praecedentibus adest: sed in quibus continuae existunt oscillationes, quae ex eâdem causâ, ex adscensione nempe liquorum explicandae videntur, uti in sequentibus patebit. Uti enim filamenta et stigmata *Amaryllidis aureae* l'Heritier motus perficiunt vibratorios velocissimos, sole calente (vid. *Desfontaines* l. c. pag. 476 in annotatione), ita etiam in *Hedysaro gyrante*, quando aër calidum et humidum est, foliola lateralia foliorum ternatorum celerrime moventur: cessante vero illo motu, quando friget, quando vento agitatur planta et quando pluit. Ille motus oscillatorius ita se habet, ut alternis vicibus a foliolo intermedio dimoveantur atque ad ipsum accedant foliola lateralia. (Conf. *Broussonet, Observations sur la Physique, sur l'Hist. Nat. et sur les Arts*, 1787. T. 30. pag. 359.) Deinde in *Oscillatoriis*, Algarum genere, animadvertitur motus, cum anteriore maxime conveniens. Hae filamentis rigidis constant, basi intricatis, apice liberis: quando solis radii frigent, plane sunt immobiles: quando vero calescunt, tunc totae quantae, uti Horologii pendulum, oscillant, dum inter illas oscillationes, perspicuo procedunt. Sub microscopio hi motus maxime mirandum spectaculum offerunt. — Quod ad causam harum vibrationum attinet, in quibus partes plane rigidae manent et nullas contractiones ostendunt, quum omnes illis temporibus in primis perficiantur, quando caleat, cessent vero quando frigeat, perspicuum est, illas oriri debere ex calore, qui majore cum vi motum ad supernas partes atque evaporationem fluidorum incitet. Quum vero eodem modo etiam agat calor in alias plantas, quam in illas, quae supra memoratae sunt, a peculiari quadam proprietate oriri debent. Quantum ad *Hedysarum gyrans* et *Oscillatorias* attinet, sequentes horum motuum explicationes non plane rejiciendae videntur. In illius petiolo duo adsunt vasorum spiralium cellularumque elongatorum fasciculi, quos fluida, ad foliola penetrantia, alternatim transeant. In his ex actione virium vitalium motus oriuntur: diximus enim sub oscillationibus crescere filamenta: idem observari narrant in *Cobaea scandente*, quod, nempe, tempore calido, extremi caules etiam in oscillatorium motum feruntur:

tur: nuspiam vero tale quid in aliis, in quantum nobis cognitum est, invenitur.

Adscensio fluidorum in plantis, alios etiam, quam oscillatorios producit motus. In *Vallisneria spirali*, enim, utpote dioïca, masculae atque femineae plantae separatae inveniuntur; scapi plantarum faeminearum in spiram convoluti diversaeque longitudinis sunt, duorum usque ad decem pedum; nocte subveniente, ad superficiem aquarum accedunt: quum vero eorum longitudo huc non tendit, spira elongatur, usque quo huc pervenit; ita elongati faecundantur a floribus masculinis, qui, vi quadam elastica ex spathis exsultantes, liberi in aquarum superficie huc et illuc ventibus disperguntur et se inter flores faemineos miscent; tempore matutino vero, horum scapi ad fundum retrahuntur, sine ullâ vero propriâ contractione, quum partes earum dimensiones retineant et spirarum spatium tantum brevius fiat, (Conf. *Lapeyrouse* in *Roth's Neue Beyträge zur Botanik*, Th. I. pag. 338—346. *Martinet Katechismus der Natuur*, Deel IV. p. 39.) Elongatio ad aquarum superficiem et retractio harum spirarum in scapo *Valisneriae spiralis*, non tantum huic plantae communis est, sed in aliis plantis aquaticis etiam observatur, uti in Nymphaeis, in quibus autem elongatio et retractio scapi magis exsertio et contractio dicenda est, semel vero tantum instituta. Hi motus, uti anteriores ex adscensione fluidorum, tempore inflorescentiae accedente, oriri videntur, quum hae partes tunc maxime vigeant.

In sequentibus, tandem, motibus, ita conformatae sunt partes, ut fluidorum copia eas prosilire faciat. In *Kalmia glauca* v. c. stamina haerent prius in loculis lateralibus corollae, unde deinde vi ad stigma exsiliunt. — Ita stamina *Parietariae*, *Forskahleae* et *Medicaginis* prius curvatae, versus pistillum porro desiliunt. — Ita stamina *Berberidum* etiam quadam cum vi ad pistilla accedunt. (Conf. de iis experimenta *Koelreuteri* in *Novis Actis Petropolitanis*, 1788. T. VI. pag. 207.) Ita capsulae *Impatientis Noli me tangere*, *Balsaminae* et fructus *Momordicae Elaterii*, vi elasticâ secedunt, semina longe projicientia. — Ita in generibus *Ruellia*, *Justicia*, *Hypoëste*, *Hygrophila* Brown, *Acantho* et *Barleria* in dissepimentis capsularum unci elastici inveniuntur, quibus semina eo magis in tensione tenentur, quo magis maturescunt, usque quo capsularum valvulae magna cum elasticitate desiliunt. — Ita in *Jeffersonia diphylla* fructuum opercula, elasticâ vi, semina secum ferunt: (Vid. *K. Sprengel*, *Anleit. zur Kenntniss. der Gewächse*, Th. I. p. 271.) Ita tandem capsulae *Filicum*, elastico annulo circumdatae, tempore maturitatis vi quadam dimoventur.

III. *De Motibus, qui ex contraria eorumdam organorum partium actione oriuntur.*

Postquam illos motus recensuimus, qui ex hygrometricis viribus et ex adscensione flui-

fluidorum oriuntur, procedimus ad alios, ex contraria eorumdem organorum partium actione, provenientes. Huc in primis referendi sunt illi, qui, quam diversi etiam, sub *Somno* plantarum intelliguntur et in foliis observantur, quum hi motus eâ de causâ perficiuntur, quod, illo somno durante, aversa foliorum pagina, et structura (Vid. *Kieser, Elem. der Phys.* § 396—399.) et functione a superiore diversa, maxime agat, dum expanduntur rursus partes, quando hujus functio incipit. Dispositiones diversae, quas folia per noctem assumunt, sunt distinctae pro foliis simplicibus et compositis: illa sunt vel *Conniventia*, quando opposita faciem superiorem sibi per noctem applicant, uti in *Hedysaro Vespertilione:* vel *Includentia*, quando alterna cauli accedunt, quasi ad gemmam ipsorum in axillis haerentem, tegendam, uti in *Sida:* vel *Circumsepientia*, quando in cucullatam formam elevantur et caulem circumdant, quasi ad novellos ramos protegendos, ut in *Malva peruviana*: vel *Munientia*, quando deorsim dejiciuntur, quasi ad flores inferiores obtegendos, uti in *Sparmannia africana.* — Folia composita, deinde, sunt vel *Conduplicantia*, quando foliola opposita foliorum pinnatorum sibi applicantur supra rachidem, uti in pluribus *Cassiis:* vel *Involventia*, quando trifoliolata elevantur et apicibus approximantur, ut tegmen floribus forment, uti in *Trifolio incarnato:* vel *Divergentia*, quando item trifoliolata elevantur sed apicibus magis distant, uti in *Meliloto*: vel *Dependentia*, quando palmata vel peltata foliola versus terram dependeant, uti in *Lupinis* et *Oxalidibus:* vel *Invertentia*, quando in pinnatis foliis, petiolus elevatur et foliola descendunt se invertendo ita ut, quamvis pendentia, tamen se applicent per faciem superiorem, uti in *Cassiis* calice obtuso: vel *Imbricantia*, quando foliola in petiolum ipsum se applicant, ita ut se invicem imbricantia, eum plane tegant, uti *Mimosa sensitiva:* vel *Retrorsa*, quando foliola ratione inversâ sibi imbricant, versus basin petioli apices dirigentia, uti in *Galega caribaea.* (Vid. *De Candolle Theor. Elem. de la Bot.* p. 444.) Non tantum vero nocturno tempore, sed etiam saepius diurno plantae dormiunt. Ita in *Cassiis*, *Tamarindis* et *Mimosis*, sole ardente, folia clauduntur, quum tunc functio superioris paginae nimio calore impediatur. Plantae teneres facillime etiam dormiunt, quando humidae tenentur. Plures etiam autumno, quando vegetatio diminuitur, multo diutius dormiunt; ita *Gleditschiae* et *Robiniae* saepius per totum diem dormientes inveniuntur, antequam folia cadunt. Idem tempestatis accessu vel tempore pluvioso, observatur. (Vid. *Sprengel, Anleitung zur Kennt. der Gew.* I. p. 277.)

IV. *De Motibus, ex lucis actione, in plantas commotis.*

Lucis vis in plantas tam magna est, ut ad earum functiones adimplendas omnino sit

sit necessaria: quando etiam lux illas non ab omnibus partibus circumdat, sed ab una parte tantum ad illas penetrat, tunc illuc omnes rami moventur et quando folia vertuntur, ita ut inferior pagina lucem spectet, tunc post parvum temporis spatium superior rursus ad illam versus erit. Inde etiam explicari possunt in seminibus nisus plumulae sursum, radiculae deorsim, quum ad illius functiones adimplendas necessaria, ad hujus contra nociva sit. Lux praeterea magnam vim habet in inflorescentiam: distinguuntur ita dicti flores dormientes in *Ephemeros*, qui certâ horâ aperiuntur aliâque determinatâ clauduntur, inflorescentiâ unâ vice peractâ: in *Aequinoctiales*, qui item determinatâ horâ aperiuntur et clauduntur atque easdem leges sequentes, pluribus vicibus eadem perficiunt; et tandem in *Meteoricos*, qui secundum siccitatem vel humiditatem aëris aperiuntur vel clauduntur. *Ephemeri* et *Aequinoctiales* deinde dividuntur in *Diurnos*, qui, uti *Tigridia Pavonia*, eodem die: in *Nocturnos*, qui, uti *Onagra grandiflora*, eadem nocte aperiuntur et clauduntur: in *Lucinoctes*, qui die aperiuntur, nocte clauduntur et in *Noctiluces*, qui nocte aperiuntur et die clauduntur, uti *Convolvulus purpureus*, *Mirabilis Jalappa*. — (Conf. *De Candolle*, *Theor. Elém. de la Bot.* p. 446.) Quâ peculiari vero vi lux in hos flores agat, diversa ab aliis, in quibus nulla somni phaenomena producit, et qui tamen aeque suaves habent odores et aeque teneram fabricam, res est, quae adhuc in obscuro jacet.

V. „*De Motibus, ex irritatione externâ ortis.*"

Restant adhuc quidam motus commemorandi, in quibus, ad tactum alîus corporis, statim commotio percipitur, uti in quibusdam speciebus *Desmanthi*, *in Acacia acanthocarpa* Willd, in *Smithia sensitiva*, in *Oxalide sensitiva*, in *Aeschymone sensitiva*. (Vid. *Sprengel*, *Anleit. z. Kennt. d. Gew.* I. p. 276.) Ita etiam in *Mimosa pudica*, petioli repente deorsum cadunt. (Conf. praeclara dissertatio *Sigwartii* in *Archiv. für die Physiologie von Reil und Autenrieth*, XII. 1815) Ita porro folia, solo tactu cadunt in *Averrhoa Carambola*. (Conf. *R. Bruce*, *Account of the sensitive quality of the Tree Av. Car.* vid. *Phil. Trans.*, Vol. 75. anni 1785. pag. 356.) Huc etiam referendi videntur motus *Dionaeae muscipulae*, cujus folia ad nervum medium sibi invicem applicantur, quando tanguntur: motus *Droserae latifoliae* (vid. *Martinet*, *Katech. d. Natuur*, IV. 25.) ac *longifoliae*, *Roridulae dentatae* et *Leersiae lenticularis*, quarum pili in foliis vel folia ipsa sensim se flectunt ad irritationem, quando insecto irritantur, et stigmatum *Mimosae luteae*, quorum lobi ad se invicem accedunt tempore calido, quando paululum excitantur. — Quaenam vero horum phaenomenorum causa sit, et quidquid proprie producant attactus in illis plantarum organis, unde tales motus provenire possint,

videtur electricitas in primis multum huc conferre, quae, libera reddita, cum illis commotiones communicet.

Itaque hic omnes fere qualescunque diversos motus plantarum consideravimus: in paucis quamdam contractionem, post longum temporis spatium reiteratam, in nullis vero continuas exsertiones et contractiones reperimus, uti antea probare conati sumus in animalibus adesse; jure ergo hinc concludi potest, propositum characterem ab omni parte cum naturâ convenire.

§. 34.

De Regnis Intermediis et Phytozois.

In illo vero charactere praecipue hoc est animadvertendum, quod omnia vegetabilia et animalia, ne imperfectissimis quidem exceptis, eo disponuntur secundum analogiam, quam natura ostendit. *Regna intermedia*, quae a quibusdam proposita sunt, non sunt necessaria et tantum ad perturbandam animalium vegetabiliumque dispositionem inserviunt. *J. G. Wallerius* (*in Hydrologia*, 1748.) Regno Animali, Vegetabili et Minerali adjecit quartum Regnum, quod *Aqueum* dicebat, et *Joh. Dan. Denso* in praefatione ad interpretationem germanicam laudati operis anno 1751. quintum insuper adnumeravit: *Igneum*. Recte vero *Ludwigius* (*Instit. Historico-Phys. Regni Vegetab. ed. alt.* 1757.) illa rejicienda proposuit, quia corpora huc relata " vel ad congressum „ elementorum in mixtione perficienda vel ad minerale Regnum vel ad Artefacta re„ ferri debeant." — *Daubentonius* et *Münchhausenius* etiam proposuerunt, inter animalia et Vegetabilia, intermedium Regnum constituere, *Zoophyta*, *Algas* et *Fungos* comprehendens. *Decandollii* vero auctoritate illa corpora, quae a nobis inter Animalia et plantas intermedia habentur, magis consideranda sunt, ut testimonia nostrae ignorantiae, quam ut probent, classem intermediam statuendam esse. (Vid. *Theor. Elem. de la Botanique*, pag. 12.) Recentioribus temporibus tamen *Treviranus* (Vid. *Biologie*, 1802. T. I. pag. 165 et seqq.) regnum intermedium restituere conatus est, ex chemica indole praesertim petitum. Tria regna corporum organicorum ergo statuens, in primo, omnia comprehendit, in quibus azotum praevalet et quorum diversae partes dissimilem compositionem habent. In secundo illa collocat, quae azotum etiam maxime continent, quorum vero partes similis et simplicis structurae sunt. In tertio, uti in anterioribus, partes similis sunt structurae, oxygenium vero in iis praecipue invenitur. Primum regnum continet *Animalia*: alterum *Zoophyta*, *Fungos* et *Algas*: tertium *Vegetabilia*.

Con-

" Confervae vero, Fuci et Algae reliquae oxygenii abundantiam, solis radiis elicitam, „ profundunt, continent oxyda et mucilaginem saccharinum, et longe aliena sunt a „ zoophytis, azotico et ammoniaco scatentibus. Confervas cum sertulariis compara- „ verunt multi; at mixtio humorum elementorumque ratio adeo differunt, ut adusta „ zoophyta empyreumaticum semper odorem spargant, a Phytozois longe alienum." (Vid. *Sprengelii*, *Philosophia Botanica*, ed. 4. 1809. pag. 3.) Haec igitur intermedia Regna contra leges chemicas certant aeque ac contra Botanicas. Praeterea patet, quando talis comparatio instituitur inter Algas, Fungos et Zoophyta, tunc in his sermonem non esse de animalibus in iis habitantibus, sed tantum de Polypariis, quae sibi confecerunt. Igitur eadem res est, ac si Mammalium familiam in eodem ordine ponas cum Mineralibus, quum in illis dentes aliaeque partes inveniantur calcareae indolis, aeque ac in his.

Ad stabiliendam vero divisionem corporum organicorum in Regnum Animale et Vegetabile, consideranda sunt imperfectiora quaedam, quae a quibusdam nomen Phytozoörum acceperunt. Quod ad Fungos attinet, diversae de his prolatae sunt sententiae. Alii illos producta artificialia habuerunt et domicilia insectorum, pari ratione ac Corallia et Sertularias, uti *Buttnerus* putavit, quoniam ova insectorum in iis invenit. Alii illos animalia habuerunt, uti *Münchhausenius*: quoniam observabat, sporas fungorum se per aliquod tempus in aquae calidae superficie movere, usque quo in fila increscebant; fibrae vel cellulae elongatae Fungorum ipsae etiam domicilia Insectorum videbantur. *F. G. Weis* posteriori sententiae etiam calculum adjecit, (Vid. *Plant. Crypt. Florae Goetting.* 1770. pag. 1 — 9.) quoniam nullam fructificationem in iis invenire potuit et propter eorum celerrimum incrementum. *Neckerus* Fungos in quarto Regno posuit, intermedio inter vegetabilia et Animalia, quia nullas partes neque externas neque internas, vegetabilibus similes haberent. (Vid. *Traité sur la Mycetologie ou Discours sur l'origine des Champignons en général*, Manheim 1783.) Idem judicavit *Treviranus*, uti modo vidimus. Tandem *Carus* (*Lehrbuch der Zoötomie*, 1818. p. 33, 35, 577 etc.) etiam Fungos inter animalia inferiora refert, de eorumque organisatione loquitur, uti de Polypis et Infusoriis. Secundum has sententias igitur erunt ponendi inter animalia vel in Regno intermedio. Ab omnibus recentioribus vero, qui de iis tractarunt et eorum naturam bene intellexerunt, ad vegetabilia sunt relati. Et quando illos, qualescunque etiam, consideramus, nullum vestigium animalis fabricae in illis observare possumus. Quantum etiam distent a caeteris vegetabilibus et proprietatibus et crescendi modo et structura externâ ac internâ, tamen tantum vegetabile adhuc servant, ut nemo, non praeoccupatus, illos animalia habere pos-

 set

set. Si tandem laudatum characterem consulimus idem concludendum est, quoniam in illis numquam animales contractiones animadversae sunt, quamvis sexcenti perscrutatores sexcenties illos observarent. Quod ad motus sporarum in aquae superficie attinet, optime aequiparandi sunt motibus molecularum camphorae, quae etiam continuo motu feruntur, in eam dejectae. Igitur in re tam apertâ, non diutius haerebimus. —

Praeter Fungos, inter Algas maxime vexarunt naturae studiosos *Oscillatoriae* et *Bacillariae*. De Oscillatoriis ab *Adansonii* temporibus maxime Physici litigarunt. Ille, qui primus illas observavit, observata instituit in *Oscillatoriam viridem*. Primo adspectu gelatinosa, obscure viridis, sub microscopio composito apparet in forma filorum tenuissimorum articulatorum. Haec fila semper rigida rectaque, motum spontaneum lateralem ostendunt, quo continuò tum in rectam, tum in sinistram partem oscillant. Praeter hunc motum lateralem alium habent progredientem, quo per unicum noctis spatium 3 lineas accrescunt. Quamvis duplex hicce motus manifestus adsit, non dubitavit tamen *Adansonius* illas inter vegetabilia locare propter eorum structuram, substantiam, defectum sensibilitatis aliasque qualitates, quibus ab animalibus satis differunt. (Vid. *Mem. sur le mouvement particulier dans la Tremella*, *Histoire de l'Acad. Royale des Sciençes*, an. 1767. pag. 564.) — *Fontana* vero Phytozoa habenda esse censuit, vel Animalia et Vegetabilia simul, quum secundum suam opinionem sentiunt et continuò atque interrupte moventur. (Vid. *Rozier*, *Journal de Physique*, 1776. pag. 47.) — *Müllerus* ejusdem sententiae fuit. (Vid. *Schriften der Berliner Gesellschaft Naturf. Freunde*, IV. p. 171. *über sich bewegende Wassermoosen*) — *Saussurius* propter sensibilitatem et propterea, quod totum corpus movere possunt, idem judicium tulit. (Vid. *Journ. de Physique*, *d'Hist. Nat.* T. 37. p. 406.) — *Vaucherius* in illis caudam et caput accipit. (*Histoire des Conferves d'eau douce*, p. 163.) — *Schrankius* Oscillatoriarum speciem ad Vibriones retulit. (*Usteri's Neue Annal.* St. 9. s. 1.) — Ab *Sprengelio* (*Anleitung zur Kenntniss der Gew.* I. p. 37.) et a *Martio* (*Flora Cryptogamica Erlang.* 1817. p. 305.) ad Algas referuntur. *Linkius* (*Grundlehren der Anatomie und Physiologie der Pflanzen*, Gott. 1807. pag. 62.) recte sequentia de iis scripsit: qui eas plantas animalibus adnumerat, pari ratione *Hedysarum gyrans* huc referre et in eo caput et caudam quaerere debet; qui vero Infusoria cum his comparat, posteriorum faciles, liberos et rapidos motus non cognoscit. Apices filorum huc et illuc se movent, tunc citius, tunc lentius. Velocitas, quâcum hoc locum habet et motus irregularitas prorsus est, uti in *Hedysaro gyrante*. — Et si consulamus characterem laudatum, *Adansonii*, *Martii*, *Sprengelii*, *Linkii* opinionem sequi de-

debemus; quoniam quidem motus in iis adsunt, nullae vero contractiones. Quid sensibilitatis praesentiâ vel defectu hic proficeremus? .... Omnia dubia erga oscillatoriarum naturam animalem vel vegetabilem ergo plane sunt remota, uti etiam in posterum speramus de Bacillariis, ad quas nunc transimus.

Sub *Bacillariarum* nomine talia intelliguntur corpuscula, quae in aqua etiam habitantia, " nudo oculo inconspicua sunt, uti et rigida, astoma, nuda, bacillum vel „ simplicem vel duplicem vel multiplicem sistentia, prismaticum tetraëdrum, lateri„ bus oppositis aliis curvatis oblongo-quadratis, aliis planis oblongo-ellipticis vel „ per oppositos angulos lanceolatis. (Vid. *Nitzsch Naturbeschreibung der Zerkarien und Bacillarien in die Neue Schriften der Naturforschende Gesellschaft* zu Halle, 1817. Band III. Heft I. p. 55 et seqq.) — Quod ad earum historiam attinet, diversasque opiniones, quae de iis relatae sunt, *O. F. Mullerus* primus fuit, qui quasdam hujus generis species vulgavit, sub nomine *Vibrionis paxilliferi* et *tripunctati*. (Vid. *Animalc. Infusoria fluviatilia et marina*, T. VII. p. 54. fig. 3—7.) — Anno 1790 *Gmelinus* (in editione XIII *Systematis Naturae* T. I. Pars 6. pag. ultimâ) jure, novum genus formavit ex priore specie, cui idoneum nomen *Bacillariae paradoxae* dedit (*B. palea Nitzch*): illudque ad Infusoria referens, quasi transitum efficiens de Animalibus ad Vegetabilia. — Anno 1797 *Rothius* (*Catalecta Botanica*, I. p. 186.) *Confervam bronchialem* et *Conf. flocculosam* (ibid. T. V. p. 192. p. 6.), quae maxime convenit cum *Bac. pectinali* Nitzsch, Algis annumeravit. — Anno 1798, *Schrankius* eandem *Bacillariam*, *Infusoriis* intercalatus est (*Fauna Boica*, III. p. 2. pag. 48.) — Anno 1812, *K. Sprengelius* (*über den Bau und Natur der Gewächse*) et *La Marckius* anno 1815 (*Histoire Naturelle des Animaux sans Vertèbres*, T. I. pag. 421.) eas etiam, *Mullerum* sequentes ad Infusoria retulerunt, sub nomine *Vibrionis tripunctati* et *paxilliferi*. Nuperrime, anno 1816 vero *Nitzschius* praeclaras observationes edidit de hoc genere in quibus ea dixit " *Corpora* „ *Animalia aut Vegetabilia*." (Vid. *l. l.* pag. 55.) Si vero sequamur praecipuas observationes, quas de iis scripsit, non dubitandum amplius credimus, quin secundum *Rothii* exemplum, ad posteriora, plantas nempe, referendae sint. *Nitzschius* laudatam opinionem de iis susceperat, quoniam observabat alias esse species numquam se moventes, alias contra motum ostendentes, diversam directionem petentem; unde effecerat illarum naturam esse vegetabilem, harum vero animalem. Motus vero ille est tardissimus, maximaque diligentia requiritur ad eum observandum: non flectunt ad obveniens obstaculum, sed rectâ viâ antrorsum procedunt: nullis fit contractionibus, nullis organis externis; plane rigida sunt illa corpuscula. Adultiores minus velocio-

res videntur: unde concludit auctor vacillare inter Animalia et Vegetabilia: prius esse illa, dein haec et proprie nulla. — Sed quando accurate hanc rem inquiramus et comparationem instituamus cum *Oscillatoriis*, tunc in his motus, in primis aqua et aëre paululum calescente, multo sunt velociores, ita ut saepius vidimus in *O. viridi* omnia fila simul se movere sub microscopio, et valde festinanter hoc fieri. Omnium autem fere judicio hodie Oscillatoria ad vegetabilia referuntur; et *Bacillariae* inde excluderentur, quamvis illarum motus multo minus veloces sint? Maximo vero jure ad Vegetabilia ea referenda censemus, quia numquam in iis adsunt contractiones partium. — Verbum vero addendum est, de mutatione formarum, quam ostendunt septem species, quas laudatus auctor de iis accuratissime descripsit. Omnes, uti de *Bacillaria palea*, *fulva*, et *viridi* etiam nobis observare licuit, duas formas ostendunt, aliam ellipticam, ovalem, planam, aliam elongato-quadrangularem et convexam. Haec differentia non oritur ex mutatâ formâ sed ex eo, quod illa corpuscula, uti in *char. gen.* supra jam diximus, Prismata forment, lateribus oppositis aequalibus atque angulis rectis connexis. Quando igitur nunc Bacillaria ita se habet ut latus quadrangulare convexum ad partem supernam conspicuum sit, tunc alterum latus convexum inferam spectat. Quando contra latus ellipticum vel lanceolatum superne ostendit, tunc etiam alterum latus lanceolatum inferne spectat. Ita rem se habere *Nitzschius* saepissime observavit et non Microscopii illusionem esse inde patet, quod inversiones in pluribus secutus est, ita ut ex priore formâ sequentem nanciscerentur.

Ex his concludendum est, et Regna Intermedia et Phytozoa rejicienda esse.

PARS

PARS TERTIA.

DE LIMITIBUS INTER VITAM ANIMALEM ET VEGETABILEM.

§. 35.

In prioribus ergo partibus exposuimus, quid sit Vegetabile, quid Animal, atque justis terminis ea determinare conati sumus. Nunc tandem pergere possumus ad certum quid dicendum de Limitibus inter vitam Animalem et Vegetabilem: his enim justis characteribus non circumscriptis, omnia, quae de illis proferuntur, in vagum dicta sunt. Monuimus § 32, inter Infusoria, animalia inveniri, quae eos Limites constituere videbantur. Ea vero non tantum ita dicenda sunt, quia ab Animalibus differunt, defectu exsertionis et contractionis vel motuum fluctuatoriorum et a Vegetabilibus, habitu animali et motibus velocissimis: (Vid. § 37.) sed etiam, quia morte in Vegetabilia transeunt (Vid. § 38).

De Limitum significatione.

§. 36.

Diversae, diversis temporibus, de limitibus inter Animalia et Vegetabilia, relatae sunt opiniones. *Aristoteles* manifestos transitus ab Animalibus ad Vegetabilia jam accepit, quae in *Molluscis* adessent: has enim ut plantas adspiciendas esse credidit, comparatione aliorum animalium, sponte se moventium: etiam sensibilitatem iis deficere putavit vel saltem obscuram tantum adesse: uti in plantis porro solam earum functionem esse reproductionem, ad quam omnis vegetatio plantarum tendit. (Vid. *Hist. Anim.* 8.) Alio loco Crustacea et Mollusca, ut vegetabilia considerat; videbantur ipsi tantum vegetabilibus animatiora, aeque ac mare terrâ mobilius est. (*Gener. Anim.* 3. 11.) Insecta etiam confert cum plantis, in quantum in utrisque facultas adest, in singulis articulis sive partibus vitae protrahendae, quando a corpore separati sunt, quocum antea cohaerebant. (*Brevit. vit.* 6.) — Scriptores latini et medii aevi hoc argumentum non attigerunt, quantum nobis innotuit, vel quia ejusdem sententiae erant, vel quia ipsius necessitatem non perspexerunt. — Renovata vero est lis

De Molluscis et Polypariis, ab anterioribus, uti Limites formantia propositis.

de

de limitibus inter Animalia et plantas ad finem seculi decimi septimi vel ad initium sequentis, quum Coralliorum naturam magis indagare inceperint. *Dioscorides*, *Clusius*, *Caesalpinus*, *Bocconius*, *Rayus*, *Tournefortius* et *Geoffroyus*, omnes Corallia plantas habuerant. — Primus, qui eorum fabricam accuratius inspexit, fuit *Imperato* Italus. De substantiis lapideis et corneis et fibrosis et mucilaginosis loquens, quae hodie *Polyparia* dicuntur, inquit: " quaedam plantae lapideae habentur, quaedam vero ut in „ animalia degenerantia: talia sunt *Madreporae* in quibus novae additiones formantur „ porosae et carneae." Alio loco: " *Madrepora* est pororum congeries: pori membra„ nas habere videntur in eorum extremis et in cavitatibus." Alio deinde: " *Madre*„ *pora* ramosa, ramis truncatis [*Madrepora truncata* Lin.] primarios ramos habet „ densos: sequentes vero, annuae innovationes, sunt molles, flexiles, brunei et pur„ purei, quasi membranacei, unde conjectare possumus eorum vitam esse sensibilem." Alio tandem de *Tubularia* purpurea: " habetur mater, quae animalia marina producit, „ uti apes in favis. *Tubularia* est tantum Animalium receptaculum." (Vid. *Vitaliano Donati Essay sur l'Histoire Naturelle de la Mer Adriatique*, 1758 Haye, pag. 37 et 38) Ex ultima Imperati assertione quidem videretur de *Coralliorum* indole distinctior notio ipsi fuisse: nulla vero animalia, quae in iis inveniuntur, delineavit vel descripsit. Difficultas, harum productionum de fundo maris acquirendarum et rara occasio observationum de illis instituendarum, fuit causa, quod haec pars Historiae Naturalis tamdiu imperfecta permanserit. Diu igitur communis fuit de iis opinio, mollia esse in mari et indurescere in aëre, quando ex aquâ trahantur. — *Marsiglius* in literis ad Abbatem *Bignon* anno 1706, observationes communicavit de *Coralliis*, in quibus primus in illorum superficie corpuscula descripsit sub florum nomine. Hi flores erant sesquipollicem longi, ab albo calice sustentati, e quo 8 radii ejusdem coloris extollebantur. Hi radii erant eâdem distantiâ a se invicem remoti et stellam formabant; Flores aëris contactu sese contrahere, in aqua vero denuo sese expandere vidit. Invenit etiam in illorum corticis substantia succum lacteum. Auctoritate seculorum vero deceptus et habitu eorum vegetabili, permansit in veterum opinione. — Incitatus *Marsiglii* observationibus, *Peyssonellius* anno 1723. de *Coralliis* observationes instauravit. Massiliis cum *Coralliorum* piscatoribus in Mare Mediterraneum profectus est, et in poculo vitreo quibusdam ex rete captis, paucis horis post plura alba puncta in eorum superficie observavit, quae se expandentia limitatas formabant figuras, varii coloris et olivarum floribus similes. Ex aqua captis, disparebant rursus et in cortice contrahebantur. Quando in aquâ tangebantur, petala disparebant et irregulares formabant figuras. Observavit porro, eorum flores in ramis qualemcunque direc-

rectionem capere, neque minus in ramo fracto, quam in integro inveniri: in Madrepora partes extremas, in Milleporâ substantiam, in Corallinis et Spongiis loca vacua, in Lithophytis substantiam corticalem occupare. Pluribus tandem observationibus probavit, flores Marsiglianos vera esse animalia. (Vid. *W. Watson, Account of a manuscript treatise, intituled: Traite du Corail, contenant les nouvelles decouvertes, qu'a fait sur le Corail et sur d'autres productions semblables Mr. Peyssonel, Philosoph. Transact.* 1753. pag. 445.) — Contra *Peyssonellii* opinionem *Shawius* anno 1738 (*Itinera in Africam*) opinatus est corpuscula, quae in cortice Coralliorum et caeterorum Lithophytorum proveniant, esse radices et has inprimis perspicuas esse, quando plantae in aqua sint. — *Rumphius* sequenti modo de his scripsit (*Herbarium Amboinense*, Amst. 1741—1751. L. I. c. 37.): „Natura in aquis tam est perturbata, ut inveniantur in illis producta, quae ad nullum trium Regnorum apte referuntur et tanquam reliquiae Chaoticae massae adspiciendae sunt; inde commiscentur producta viventia, crescentia, et mineralia, constituentia plantas viventes, stellas crescentes, et Animalia Vegetabilia simulantia." — Anno 1741, *B. Jussieuvius*, in littoribus Normandiae, experimenta in Corallia instauravit et observationibus statu recente institutis in *Flustram truncatam* Lin., in *Tubulariam indivisam* Lin. etc. *Peyssonellii* sententiam confirmavit. Animalia, quae in iis habitant, primus nominavit *Polypos*, talesque vermes eos dixit, qui habent os circumdatum cornubus, vel ad nutrimentum capiendum vel ad movendum idoneis. Nullum dubium ipsi amplius relictum est, quin vera sint animalia. Ita in *Tubularia indivisâ*, in vase positâ, aquâ marinâ repleto, extrema tuborum tota obtecta vidit polyporum capitibus, quae cornubus erant coronata. Illa vero ad minimam conquassationem disparebant et in tubo contrahebantur. (Vid. *Memoires de l'Academie Royale*, 1742. pag. 290—301.) — Eandem sententiam accepit *Réaumurius* eodem hoc anno 1742, de natura *Polypariorum*, quamvis antea contrarium opinatus fuisset. (Vid. *Memoires de l'Academie*, 1727. et *Memoires pour servir a l'histoire des Insectes*, T. VI. praef. pag. 68 et seqq.) — Praecipuus vero honor de Polypis debetur *Trembleyo*, magno illo naturae perscrutatori, qui in tribus Polyporum aquarum dulcium speciebus, proprietates invenit, quas nullus umquam antea in animalibus adesse suspicatus est. Non tantum enim de *Hydra viridi*, *griseâ* et *fuscâ* incedendi, praedam capiendi et digestionis rationem docuit: sed etiam gemmis eas propagare, uti manicam inverti et vita illaesâ in plures partes secari posse, quae omnes in integros polypos rursus increscant, optimis descriptionibus et delineationibus patefecit. (Vid. *Memoires pour servir a l'histoire d'un genre de Polypes d'eau douce à bras en forme de Cornes*, Leyde 1744.) — *Vitaliani Donati* tres

 gra-

gradus constituit, per quos Natura in mari de Vegetabilibus ad Animalia transiret. Primi gradus corpora dixit Polyparia, eaque comparat cum *Acinariâ* vel *Agresto marino d'Imperato* (*Fucus acinarius* Gmel.) et in quatuor legiones hanc classem divisit: primam, quae corticem mollem et substantiam internam marmori similem vel osseam habent: secundam, quae substantiam plane osseam sine cortice molli: tertiam, quae nodosa vel articulata sunt: quartam quae carnosa sunt. Post Polyparia, sequentis gradus corpora vocat *Zoophyta*; sub his enumerat *Alcyonium primum Dioscoridis* (*Alcyonium cydarem* L. M.), *Spongias* etc. Ultimo loco recenset *Phytozoa*, inter quae enumerat *Tethyam sphaericam* (*Tethyam lyncurium* L. M.). Hac ratione tres gradus posuisse credidit inter Animalia et Vegetabilia. (Vid. *Della Storia naturali marina dell' adriatico Saggio*, Venez. 1750.) — Anno 1755 deinde fabricam Polypariorum in primis Vaginatorum L. M., microscopio auctam, nitidissimis figuris delineavit *J. Ellisius* (Vid. *An essay towards a natural history of the Corallines*, 1755.) — Anno 1760. *J. Basterus* (*Natuurkundige Uitspanningen*, St. II. p. 65.) Polypos Zoophyta habuit, quorum natura partim animalis, partim vero vegetabilis esset: quoniam radicibus corporibus adhaereant, quoniam crescant, simul vero animalia sint, quum tactu se contrahentia, sensibilitatem ostendant. — Anno 1766. *P. S. Pallas* (*Elenchus Zoophytorum*, Hag. Comit.) definit Polypos: „Zoophyta, quae ut plantae crescunt et alias plantarum proprietates accipiunt et „quasi animatae plantae sunt." *Corallinas* vero, quae vera Polyparia sunt, ad Vegetabilia rejicienda censet. — *C. Bonnetus* (*Contemplation de la Nature*, 1766. T. I. p. 239 — 258.) etiam Polypos *Zoophyta* dixit. Recte vero addidit, tantum ita vocari, quia plures affinitates cum vegetabilibus habent, quam caetera animalia, quum proprie revera sint animalia. — *Linnaeus* vero (*Systema Naturae*, T. I. Pars 2. pag. 1071. Ed. duodecima, 1767.) Zoophytorum nomen retinens, ea composita Animalcula vocat „in bivio Animalium Vegetabiliumque constituta, quae radicata (pleraque) „caulescunt, multiplicatâ vitâ ramis, gemmis caeduis, metamorphosique florum ani„mantium, sponteque se moventium, in capsulas seminiferas transeuntium."

Postquam vero post *Linnaei* aevum, plures in Polyporum naturam indagandam, operam navarunt, uti *La Marckius*, *Savignyus* aliique, extra omne dubium positum est, vera esse animalia, neque vegetabilia neque zoophyta, dicenda esse.

§. 37.

De Infuso- Ita primo limites positos fuisse in *Molluscis*, deinde in *Polypis*, vidimus. Recentioribus vero temporibus, quibus natura in imperfectioribus tantum est indagata, anima-

malia detecta sunt, quae Polypis multo imperfectiora, ab illis oris et cavitatis internae defectu distant. Et in his Monades, qui quidem imperfectissimi sunt, qui in natura existere possunt, manifestum transitum de animalibus in vegetabilia constituunt. *Monades* enim, uti *Monas termo*, *atomus*, *punctum*, *pulvisculus* tam parvuli sunt, ut optima Microscopia in illis nil detegere possint, quam globulos, qui motum per aquas conficiunt: et quum nomen etiam indicet, esse *atomos*, *puncta* et *pulvisculos*, nulla contractio vel motus fluctuatorius umquam in iis animadverti potest. Motus celerrimi autem, quos exercent, eos sub animalibus locarunt, uti etiam propter convenientiam cum caeteris Infusoriis factum est. Itaque in ultimo Regni Animalis termino adest limes.

riis quibusdam infimis, limites constituentibus.

§. 38.

Haec vero animalcula, non tantum ideo limites constituunt, quia nullam contractionem patiantur, sed etiam, quia ex his animalibus, morte et decompositione, uti videtur, vegetabilia nasci possunt. Liceat de hac re sequentem observationem proponere, quam microscopii ope secuti sumus. Quando aqua dulcis in vase diu aëri et soli exposita fuit, usque dum ejus superficies membranâ mucidâ tecta est, guttula illius aquae sub microscopio inspecta, innumera animalcula refert rotunda, quae in illo oceano celerrime se movent prius: siccante vero aquâ, lentior etiam eorum motus evadunt. Adsunt plerumque inter illos, quaedam Paramecia vel alia Infusoria majora. Haec primo subsistunt, quando aquae guttula exsiccare incipit, et his uti scopulis tunc postea Monades se apponunt, usque dum nil aquae supersit. Haec vero animalcula tunc nihil relinquunt, quam materiem pulveraceam viridem, quae sub nomine *Materiae Priestleyanae* cognita est, utpote a *Priestleyo* primo detecta. — Ex hac autem materia Confervae excrescunt, uti ex Confervis deinde Muscos componi ajunt *Wiegmannus* de *Bryo argenteo* ex *Conferva bullosa* L. *Sehlmeyerus* de *Phasco cuspidato* ex *Conferva murali* (Vid. *Regensburgische Botanische Zeitung*, Jahrg. II. Band 2. pag. 671, 675. Jahrg. III. L. 1. pag. 85 — 89. et Jahrg. III. Band. 2. pag. 642 — 647.) — et *Neesius* de *Webera pyriformi* item ex eâdem Confervâ (Vid. *Comm. de Muscorum propagatione*, pag. 11.)

De eorum transitu in Vegetabilia.

T A N T U M.

Naturâ duce.

ERRATA GRAVIORA.

Pag. 8. lin. 31.	sumus	*lege*	simus	
ibid.	tali	*lege*	tali sensu	

JACOBI CORNELII VAN DEN BROECKE,

AARDENBURGENSIS,

MEDICINAE STUDIOSI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM CHEMICAM, A NOBILISSIMO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM AC PHYSICARUM ORDINE A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Quousque ex cognita compositione aquae hujusque solubilitate per aërem atmosphaericum, nec non ex iis quae a fluidi electrici turbato aequilibrio pendent, phaenomena possunt explicari ad Meteora aquea vel ignea pertinentia?

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT, D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM CHEMICAM.

PRAEFATIO.

Apparent omnino in omni re creata divinae Creatoris virtutes; quae hominem rapiant in admirationem, eumque adducant ad naturae observandae studium. Et sane reperimus antiquis etiam temporibus rerum creatarum contemplationi homines fuisse deditos, earum praesertim, quae inprimis oculos ferirent. Intelligimus adeo meteora, cum pulchrum praebeant et admirabile spectaculum, et olim jam diligenter fuisse observata et aliquo modo explicata. Sed et intelligimus laudabile quidem esse illud veterum observandi studium, non autem magnopere probabilem meteorum explicandorum rationem. Nam poterant antiqui spectare speciosa naturae spectacula et admirari, ad eorum naturam et causas adscendere non poterant. Deerant observationum copiae et proventus, manca erat neque cohaerens Physica disciplina; quae certe, cum maxime in experimentis versetur, communi demum hominum et temporum operâ et nata est et perfici potest. Scientiae autem physicae cum ante aliquot saecula coeptae sint diligentius coli, et in verae disciplinae formam redigi, instrumentis ad aëris ingenium et proprietates explorandas et cognoscendas bene ac utiliter inventis, meteora melius intellecta sunt et felicius explicata. At vero haec nostra, quamvis antiquâ superior, meteorum cognitio minime perfecta est, atque ab omni parte teres et rotunda. Nam et atmosphaerae ingenium varium est et mirifice mutabile, et multiplex et quandoque occulta mistio: cujus ingenii et mistionis neque causae neque actiones cum perspiciantur, non omnia aëris phaenomena percipi et probabiliter exponi posse, luculenter apparet. Atque id ipsum me, mearum etiam virium tenuitatis conscium, fere eo deduxerat, ut omne hujus argumenti

tractandi propositum relinquerem. Quod tamen ut peregerim, effecit vestra, Viri Clarissimi, explorata humanitas, qui benevolentiâ juvenem ad laborem suscipiendum adhortari mavultis, quam severitate ab eo absterrere.

Rem autem hoc modo mihi visum est tractare, ut primum dicam de atmosphaerae proprietatibus iis, quarum cognitio multum confert ad meteorωn intelligentiam; deinde de meteoris aqueis; tertio de meteoris igneis.

CAPUT PRIMUM.

DE PROPRIETATIBUS ATMOSPHAERAE QUARUM COGNITIO MULTUM CONFERT AD METEORωN INTELLIGENTIAM.

§. 1.

Aër, qui universae telluri circumfusus est, quique vitalem et salutarem spiritum praebet animantibus, multarum rerum et miscela est, et officina, et quasi scena. In qua tamen omnes motus omnesque actiones in commune bonum diriguntur et ad totum conservandum et tuendum mirifice consentiunt. Nam rores et nives in aëre gignuntur; non autem ros plantis infestus est, neque nix terrae; sed uterque utrisque utilis: et pluviae etiam in aëre natae incredibiliter alunt et reficiunt plantas, earumque fructus ad maturitatem perducunt; et tempestas, quanquam aliquando aut suis fulminibus vel homines vel animalia percellit, aut imbribus agros inundat, eosque vastat, plerumque tamen ea caret saevitie, et vero semper corruptum aëra purat et laetum et gratissimum plantis animalibusque pabulum adfert.

Gignuntur quidem haec omnia meteora in aëre; haec autem cum a se invicem multum differant, apparet, non eundem esse aërem, qui nivem mittit et pluviam, qui tempestatem adfert et serenitatem, sed alium esse, et ad singula haec phaenomena edenda aptum atque idoneum. Id jam paulo accuratius consideremus.

§. 2.

§. 2.

Praeter atmosphaerae proprietates, quas Physica proprie sic dicta tractat, sunt aliae Chemico considerandae. Chemicus enim aëra ponere solet compositum principiis numero, copia et ingenio semper iisdem, et aliquando aliis principiis onustum, proprie ad atmosphaeram non pertinentibus. Atque hoc sensu dicitur alia esse atmosphaera, ubi incumbit monti ignivomo, alia in locis ab hominibus atque animalibus habitatis, alia in paludosis, alia in sylvestribus. Ad quae omnia attendere ei necesse est, qui meteora explicare velit. Et quoniam horum omnium primas causas paucis complecti volumus, primum dicemus de temperatura aëris, deinde de ejus facultate communicandi caloricum, tertio de conditione vaporis in atmosphaera, denique de statu electrico.

§. 3.

Temperatura aëris.

Temperaturâ mutabilius nihil; non solum differt sub quovis climate et quovis anni tempore, verum etiam iisdem in locis, eademque anni parte; immo uno eodemque die tantae mutationes temperaturae observantur, ut etiam ab hac parte magna oriatur in meteorologia difficultas. Hujus fontem constituit caloricum liberum, (nam haec quidem nobis etiamnum arridet de calorico sententia) a calorico latente in aëre obvio sollicite distinguendum. Illud solum agit in thermometrum, afficit organa, corpora dilatat, fundit, in vapores vertit; et proficiscitur a sole, cujus radiis superficies soli calefit, quae adeo caloricum suum stratis aëreis maxime vicinis tribuit, haec vero rursus proximis suis, atque hac ratione ad magnam altitudinem caloricum defertur (1).

§. 4.

(1) An vero haec unica foret caloris causa? Hac de re lis est inter Physicos; sunt scilicet qui contendunt solis radios in transitu suo aërem calefacere, dum alii, inter quos Leslie, illud negant. Operae igitur pretium est hic argumenta afferre quibus priorem sententiam probare conantur. Corpora omnia, quae reflectunt et refrangunt lumen, acquirunt calorem; non itaque probabile est aërem hic facere exceptionem. Aër absorbet solis lumen, quod difficile fieri potest absque temperaturae incremento. Denique minimarum plantarum semina atque innumera insectorum ova, millenaque illa corpuscula, quae in aëre natant, tot causae haberi debent caloris. Haec satis docent conditionem aëris talem esse, ut revera caloricum proferat. Id quod et observationes testari videntur: Cur enim hyeme tempore tranquillo strata aëris superiora saepe majorem monstrant tem-

§. 4.

Ad calorem vero gignendum quamplurimum confert solis radiorum directio. Et hinc intelligitur, cur loca sub Aequatore, quae radios perpendiculares accipiunt, calidiora sint; cur e contra in Nova Sembla aliisque regionibus, polis proximis, numquam liquefiat glacies, cum tamen per semestre spatium eâdem luce collustratur, eodemque solis splendore, quam illa sub Aequatore loca. *Quo obliquius radios sol spargit, citiusque occidit, eo minor aëris temperatura est. Et contra.* Non tamen haec regula ita accipienda est, ut non aliquando exceptionem pati possit. Certe sunt loca, quae quidem sub eâdem latitudine sita sunt, diversam vero temperaturam monstrant. Est tamen observandum, hujus discriminis in causa etiam esse montes, qui soli oppositi excipiunt et quasi occupant radios eosque reflectunt. Atque hinc fit, ut loca adversa interdum adeo caleant, aversa frigeant; atque regiones prope mare calidiores sint, quam montanae, quamvis utraeque sub eâdem latitudine sitae (2).

§. 5.

Inter ea, quae temperaturam mutant inprimis memorandi sunt venti (3). Horum efficacissimi sunt, qui invadunt littora maris mediterranei, Eurus scil. et Vulturnus (Gallice *Sroc* et *Tramontane*): hic frigus acre, lassantem calorem ille secum fert. Ill. Humboldtius in itineris descriptione narrat, sub Zona torrida in barometro constantem cerni mercurii altitudinem, atque sub eadem latitudine aequalem etiam temperaturam observari. Verum limites versus Zonae torridae in Calcutta, Havanna et Vera Cruce in barometro varia cerni solet altitudo ob immoderatas, quibus exponuntur, tempestates. Aquilo in Havanna ut adscendat mercurius, ut descendat, Zephyrus efficit; alter aërem frigidum, calidum alter adfert (4).

In oceanis sub Zona torrida temperatura etiam sibi magis constat, quam in conti-

peraturam, quam inferiora; et quaenam foret ratio ardoris, quem observant nautici in aëre maris Atlantici et Pacifici post dies aliquot tranquillos procul a littore? Non certe derivari hoc potest a calore e littore allato, nec a mari, cum hujus minor temperatura sit, quam temperatura aëris aquae proximi. Quae omnia probare videntur, calorem etiam nasci in ipso aëre, eumque non e tellure, verum e radiis, cum aëra transeant, proficisci.

(2) *Herder's Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit.* Lib. I. c. 7.

(3) *Musschenbroeck, Essai sur la Physique Leyde* 1751. tom. II. et *Herder's Ideen* etc. l. c.

(4) Conf. *Ill. viri opus: Geographie des Plantes*, pag. 90—94.

tinente; hinc barometrum utile est nauticis, quoniam tempestates tempestive praenuntiat (5). Sic etiam ex ventis calidioribus Kirwannus explicat, cur durante hyeme temperatura stratorum aeris superiorum inferioribus calidior sit, aestate vero contrarium plerumque observari soleat.

Abunde igitur patet; quanta sit ventorum vis et efficacia in temperaturam, quanta eorumdem in meteora: dolendum est ventorum cognitionem tam occultam esse et obscuram.

§. 6.

Cum caloricum habeat eam facultatem ut reflectatur sicut lumen, eventus varii sunt, si corpus prehendat calorici avidum, an aliud. Nam terra nigra cum minime reflectat, calidissima est; si enim moraris per aliquod tempus in ejusmodi locis, pedes incalescunt, facies minus; contra, qui per loca arenosa it, ipsius facies uritur, pedes minus; arena autem reflectit. Atque hinc explicari potest aridae ardor Arabiae et acre frigus illius terrae quae Gallis *Terre de feu* dicitur (6). Denique montes ignivomos temperaturam valde mutare constat inter omnes; causa autem latet, cum regiones in eadem plaga ad hos montes sitae, temperaturam diversissimam saepe monstrent.

§. 7.

Itaque quodammodo causa reddi potest, cur meteora saepe in locis ejusdem latitudinis tam differant; cur hoc vel illo vento flante aut increbrescente oriantur, mitescant, evanescant meteora; cur interdum cernantur phaenomena, quae admiratur homo, non autem explicare valet, quippe quorum causas ignorat.

§. 8.

Aëris facultas communicandi caloricum.

Fluida aeque ac solida conductores esse calorici, experimenta a Daltono, aliisque instituta probant. Diversi hujus facultatis gradus sunt, atque hi ex natura cujuscunque corporis explicandi. Sic e. g. constans docuit observatio, corpora in genere eo majorem ha-

(5) *De Buch*, *Voyages Géologiques en Allemagne et en Italie*, tom. I. p. 206. *Parrot*, *Grundriss der Physik der Erde und Geologie*, c. I. §. 273.

(6) *Humboldt*, *Tableaux de la Nature*, Vol. I. p. 21 et 124.

habere communicandi calorici facultatem, quo densiora sunt. Atque hinc sequitur aërem, utut corpus elasticum, minime promtum esse calorici conductorem. Sunt qui hanc proprietatem aëri fere omnem abnegent, inter quos Thenardus, scribens: „ Quoique les liquides conduisent tres difficilement le calorique, les gas le conduisent „ plus difficilement encore; on ne peut même pas constater s'ils sont réellement con„ducteurs, parceque, en les mettant en contact avec un corps chaud, le calorique „ de celui-ci s'elance entre leurs molecules sous forme de rayons. Toutefois ils s'e„chauffent rapidement, en raison surtout de leur peu de capacité pour le calorique „ et de la mobilité de leurs molécules, proprieté qui les rend susceptibles de former „ des courans ascendans chauds et des courans descendans froids, comme les li„quides (7)."

§. 9.

E Physicis qui de calorico egerunt (sunt autem non pauci) summo jure memorari merentur Rumfordius (8) et Leslie (9). Hi enim hanc doctrinae partem valde illustrarunt. Eorum experimenta, ingeniose instituta, satis inter se conveniunt et nostro argumento explicando non parum utilitatis adferre videntur. Contendit autem Cel. Rumfordius facultatem calorici communicandi tum demum aërem habere, cum moveatur. Observavit nimirum particularum aërearum non alteram ab altera caloricum mutuare ac deinde corporibus sibi proximis tradere, sed singulas ad corpora accedere, singulasque iis aliquid calorici tribuere. Rumfordii sententiae momentum addit haec observatio, ut tecta et caldaria a frigoris vi defendantur, si horum fenestrae vitreae tegantur altera fenestra vitrea ita, ut inter utrasque aliquod spatium sit, aëre repletum et ab omni parte optime clausum. Cum enim hic aër nullum commercium habeat cum atmosphaera, neque in hujus motus rapiatur, parum vel nihil calorici ducit; unde intelligitur atmosphaeram frigere aliquando, caldaria simul tectaque tepescere. Hanc aëris proprietatem Russi norunt in optimum sibi vertere usum; eâdemque est usa Brugmansii V. C. solertia in Academiae lucrum, hortique Academici ornamentum.

Observandum vero est, aërem, quo humidior est, eo promtius caloricum ducere; unde apparet, nisi forte ab aqua aëri immista omnis aëris proficiscatur caloricum ducen-

(7) *Traité de Chemie*, Edit. II. tom. I. p. 36.

(8) *Mémoires sur la chaleur*, Paris 1804.

(9) *An experimental Inquiry into the nature and propagation of heat*, London 1804.

cendi proprietas, hanc saltem aquâ non parum promoveri. Observatum etiam est ad frigus duplicibus illis fenestris pellendum siccum aërem optime profuisse.

§. 10.

Ex his colligi potest, cur tempestates frequentius oriantur in aëre sicco et calido, rarius humido; cur cacumen altissimum montis Chimborazo aëre frigidissimo, qualis Lapponiae est, circumfundatur, quamvis ejus pes aduratur ardore Zonae torridae.

§. 11.

De conditione vaporis in Atmosphaera.

Conditio atmosphaerae uti temperaturâ saepius mutari potest, ita aquae copiâ, quae varia vario tempore aëri inest. Princeps fons, unde in aërem aqua venit, quaerendus est in evaporatione, quâ vix in natura phaenomenon magis universale, cum per omnem tellurem obtineat, tam in aquis fluentibus, quam in stagnantibus. Evaporatio autem a temperatura aëris multum pendet; aestivo tempore major est et copiosior, quam hyemali, quamvis et hyeme non prorsus cesset; nam Musschenbroeckius invenit evaporationem glaciei etiam fieri, cum hydrargyrum descenderit infra congelationis punctum; quibus experimentis momentum addidit Daltonus. Evaporationem incitat etiam aëris agitatio; nam in aëre tranquillo aqua veluti traditur strato de strato; sin autem strata moveantur, vapores facilius excipiuntur et propelluntur citius.

§. 12.

Opiniones de conditione vaporis in atmosphaera variae fuerunt. Musschenbroeckius primus fuit, qui miscelam aquae cum aëre tanquam chemicam consideravit (10). Le Roi, Musschenbroeckii sententiam secutus, hanc rem ulterius indagavit, multisque observatis illustrare conatus est. Delucius autem hanc opinionem rejiciens mechanicam miscelam esse contendit; atque ab eo tempore dissensus ortus est inter Physicos. Tandem utramque sententiam nonnulli amplectentes et conjungentes rem proposuere, ut aqua aëre solveretur, si calorici ope in vaporem versa fuerat; quam opinionem inprimis probare conatus est magnus Saussurius in egregio opere *Essais sur l'Hygrometrie*. Huic autem omnes fere assensi sunt Physici; dein vero Mongius et Hubeus alio modo ratiocinantes tanti ponderis argumenta Le Roi visi sunt attulisse, ut iis mo-

(10) Introd. ad *Philosophiam Naturalem*, §. 1469.

motus aliam theoriam proposuerit. Recentiores vero, inter quos Daltonus et La Placius, solutionem omnino mechanicam defendunt eamque satis speciosam, quam tamen explicare, sensus hujus quaestionis cum minime urgeat, non opus est.

§. 13.

Multi Physici sedulo evaporationem indagarunt. Delucius concinne eam exposuit (11), dein Saussurius, et ex recentissimis Daltonus; qui exacte satis legem descripsit, quam sequatur evaporatio in diversa aëris temperatura. Quae expositio non parvi momenti est, cum magnum praebeat adjumentum in explicandis meteoris aqueis.

Ex eorum observatis et experimentis haec colligenda sunt et constant: vapor in omni temperatura formatur, modo spatium adsit, quod ingredi potest; is non formatur, cum obstaculum majus aliquod vincere debet; hinc praecipitatur, si ipsi impedimentum tale supervenerit; vaporis copia augetur in aëre, auctis hujus temperaturâ et motu, ita ut unicuique temperaturae quasi conveniens sit et propria vaporis densitas, quae major fit crescente temperaturâ; praecipitari potest vapor, cum ad definitum quemdam gradum pervenerit, vel refrigeratione, si scilicet gradus densitatis nimius est ratione novae temperaturae, vel pressionis augmento temperaturâ manente eâdem, si ejus densitas nimis magna evadit ratione temperaturae suae, dato spatio. Vapor inhaerere potest atmosphaerae duplici sub specie, nempe visibilis est vel invisibilis. Hic si inhaeret, hygrometrum siccitatem notat, si ille, humiditatem. Docemur adeo non ab hygrometro ad aëris siccitatem vel humiditatem esse concludendum. Pendent autem utraeque illae vaporis species maxime ab aëris temperatura; quae quo major est, eo majorem sub tenuiori specie aquae copiam aër continere potest. Cum aëris calor, aliaeque causae, quae conferant ad aquam in aëre sub tenuiori forma suspensam tenendam, pares sint aquae quantitati, nihil vaporis cernitur; sin autem hae quoquomodo deësse incipiant, aqua condensatur, atque vel nebulae nubesque cernuntur, vel pluviae cadunt vel nives.

Itaque ex aëris capacitate aquam solvendi multa proficiscuntur phaenomena; quod etiam barometrum probat; hoc eo gravius esse dicitur, quo major aquae copia aëri inest. Unde apparet, aërem, quo magis in barometro mercurium premit, eo sicciorem esse: et contra; et cur aestate magis, quam hyeme prematur mercurius.

§. 14.

(11) *Philosoph. Transact.* anno 1792.

§. 14.

Quae cum considerentur, haud difficile est nonnullas conditiones atmosphaerae explicare, quae saepius observantur, quaeque absque antea positis non tam facile intelliguntur. Nimirum saepe aestate tempore matutino, quod siccum notat hygrometrum, nubes errantes inveniuntur in aëre, ad varium a tellure spatium; non diu vero post, temperaturâ auctâ, aër fit serenior, attenuantur nubes, immo ad meridiem dissipantur, calente coelo; eo tempore liquidorum evaporatio est magna et celeris, atque sic aër magnâ aquae copiâ repletur; verum serena haec atmosphaera non diu manet, solis vis adeoque aëris temperatura imminuuntur; vaporibus repleta atmosphaera in aliam conditionem vertitur, aër humidus fit, quem levem nunc notat barometrum ex minuta evaporatione aliisque causis. Sin autem aër neque diu, neque nimis siccus fuerit, ejusque sicci mutatio in humidum, aut calidi in frigidum non subito facta sit, coelum serenitatem servat et aër transparens manet, quamvis vim aquae solvendae habeat exiguam. Hic vero status saepe brevi post mutatur; nubes scilicet formantur, quas si in aëre quieto observamus, eas condensari videmus, dein magis magisque diffundi aërique serenitatem demere. Si vero atmosphaerae vis aquam solvendi magis etiam imminuitur, pluviae oriuntur, quae per totam noctem aliquando cadunt. Quodsi nubes non in pluvias cogantur, frigus nocturnum multum roris stillat, uti in Italia et Hispania observatur, inprimis si serena manserit atmosphaera; nam ab hac aëris conditione quam maxime pendet roris copia. Attamen etiamsi non imminuatur aëris vis aquam solvendi, pluviae cadere possunt, modo ventus de mari spirat aut frigidior aut humidior; refrigeratio enim et pressionis augmentum in causa sunt praecipationis vaporis.

Hae aëris conditiones ex supra dictis intelligi possunt; multae aliae quotidie observabiles hic addi possunt, sed allatae nostro scopo sufficiunt. Dantur vero haud paucae, quae intellectu adeo sunt difficiles, ut expertissimis Physicis nondum concessum fuerit earum causas detegere.

§. 15.

His omnibus collatis patet, aërem eâdem aquae copiâ onustum sub triplici conditione apparere, scilicet siccum et gravem, humidum et levem simulque transparentem, denique non solum humidum et levem, sed et nebulosum; gravitas igitur et humiditas aëris sibi invicem sunt oppositae, ita ut, monstrante barometro, aër ceteris paribus eo gravior sit, quo siccior, et eo levior, quo humidior.

Verum sicuti aër varius est in variis terris, sic etiam aliquando in variis atmos-

 phae-

phaerae altitudinibus. Potest enim superior atmosphaerae plaga ita humida esse, ut etiam pluvias proferat, quamvis hygrometrum ad summum humiditatis gradum non pervenerit, inque barometro mercurius non multum descenderit. Atque et hinc apparet hygrometrum et barometrum interdum fallaces coeli nuntios esse.

§. 16.

Status atmosphaerae electricus.

Physici valde occupati fuerunt in investigandis et detegendis fluidi electrici proprietatibus, antequam agnoscerent hujus fluidi similitudinem cum electricitate atmosphaerae naturali. Oriebatur quidem aliquando aliqua hac de similitudine suspicio, sed nihil ulterius. Nolletus erat, qui primus hanc rem doceret et monstraret A. 1748, scribens; „ Si quelqu'un, par exemple, entreprenoit de prouver par une comparaison bien „ suivie des phénomenes, que le tonnerre est entre les mains de la nature, ce que „ l'électricité est entre les nôtres, que ces merveilles, dont nous disposons mainte„ nant à notre gré, sont de petites imitations de ces grands effets, qui nous effrayent, „ et que tout dépend du même mechanisme: si l'on faisoit voir, qu'une nuée preparée „ par l'action des vents, par la chaleur, par le melange des exhalaisons etc., est „ vis-à-vis d'un objet terrestre, ce que le corps électrisé, en présence et à une „ certaine proximité de celui qui ne l'est pas; j'avoue que cette idée, si elle étoit „ bien soutenue, me plairoit beaucoup; et pour la soutenir, combien de raisons spé„ cieuses ne présentent pas à un homme qui est au fait de l'electricité, l'universa„ lité de la matiere électrique, la promptitude de son action, son inflammabilite et son „ activité à enflammer d'autres matieres; proprieté qu'elle a de frapper les corps „ exterieurement et interieurement jusques dans leurs moindres parties; l'exemple sin„ gulier que nous avons de cet effet dans l'experience de Leyde; l'idée qu'on peut „ legitimement s'en faire, en supposant un plus grand degré de vertu electrique etc. „ Tous ces points d'analogie, que je medite depuis quelque tems, commencent a me „ faire croire, qu'on pourroit, en prenant l'électricité pour modele, se former, tou„ chant le tonnerre, des idées plus saines et plus vraisemblables que tout ce qu'on „ a imaginé jusqu'à présent (12)."

Postea rem ulterius persecutus est Franklinus, vir de humanitate et scientiis optime

(12) *Leçons de Physique Experimentale.* tom. IV. p. 314.

me meritus. Nos universales de electricitate memorabimus regulas, quae faciant ad intelligentiam phaenomenωn atmosphaerae.

§. 17.

Electricitas atmosphaerae elicitur frictione, evaporatione, calore et frigore, extensione et contractione, deinde variis variorum corporum in aëre miscelis, copulis, dissolutionibus. Duplex datur electricitas vitrea ac resinosa secundum Dufaium et Symmerum (13), seu positiva et negativa secundum Franklinum (14). Aër non solum continet fluidi electrici eam copiam, quae adaptata videtur conditioni corporum terrestrium, verum aliquando aut majorem aut minorem continet. Corpora omnia illud fluidum aut adferunt aut deferunt; nam sicuti animadvertit Ill. Biot, nullum corpus est perfecte insulans. Vapor aqueus atmosphaerae immixtus facit, ut aër conducat electricitatem. Idque ut variis modis aër faciat, efficiunt diversa temperatura, corporum exhalationes, ipsiusque principiorum multiplices copulae cum aliis corporibus et multa alia. Itaque nubes conductores sunt fluidi electrici; et si inhaerent atmosphaerae valde siccae, insulatae sunt. Eo igitur sensu aër compositus dici potest infinito numero atomorum magis minusve conducentium. Aër, quod attinet ad electricitatis communicandae facultatem, eandem sequitur legem quam caloricum: scilicet quaevis aëris molecula corpus electrisatum tangens, attrahit partem fluidi electrici, saturata vero locum facit alii moleculae rursus saturandae. Intelligitur adeo electricitas aëris imminui in ratione facultatis molecularum conductricis. Tellus bonus est conductor: aër autem eo pejor, quo purior; igitur eo magis *insulans*. Aër siccus, quamvis calidus sit, ideoque aquam facile excipiat solvatque, tamen facultatem suam *insulantem* servat; et si nulla daretur aëris cum aqua miscela, nulla fortasse in aëre detegeretur electricitas. Electricitas artificialis quamquam fortis aestate, coelo inprimis sereno, minor tamen est quam hyeme, cum frigus acre sit coelumque serenum.

Itaque quae praecipuas habent partes in phaenomenis electricis proferendis, tellus sunt et res terrestres, et hae sunt conductores, atmosphaera quae terram circumdat, et haec malus conductor est, nubes denique, et hae conductores insulati sunt.

Quae si ita considerentur, terra et atmosphaera non inepte comparari possunt cum in-

(13) *Philosoph. Transact.* tom. LXI. Part. I. p. 340 et seqq.
(14) *Oeuvres de Franklin.*

instrumento electrico: motus enim datur perpetuus, non semper unus idemque, sed saepissime diversus, nubesque conductorum vices repraesentant.

§. 18.

Inter eos, qui accurate in electricitatem atmosphaericam inquisiverunt, memorandus etiam est Cavallo, qui in tractatu suo de electricitate memorabiles communicat observationes instrumentis factas, quibus constitit: atmosphaeram semper monstrare electricitatem conspicuam vel vitream vel resinosam, raro vero neutram; eamque coelo quieto et sereno fere semper electricitate vitrea gaudere, inprimis ad quandam ab aedibus et arboribus distantiam; nubes tandem imminuere saepissime atmosphaerae electricitatem, quoniam earum electricitas fere semper ei atmosphaerae est opposita, cum haec resinosa saepissime sit.

Verum hae nubes haud raro valde electricae sunt; et electricitas resinosa universe magna est, inprimis tempore nubium nimbosarum et pluviarum quas concomitantur (15); vitrea electricitas e contra obtinet tempore pruinae et nebularum; ceteris vero paribus signa electrica eo magis conspicua observantur, quo altius in atmosphaera sit instrumentum, cum quo experimenta sunt instituenda (16).

Venti vero magnam exercent vim in phaenomena atmosphaerae electrica; augent enim aut minuunt electricitatem et mutant atmosphaerae conditionem pro diversa, e qua spirant, plagâ, proque eorundem vi; denique nubium, quas propellunt, ingenio. Verum et hîc multum desiderandum est; neque enim observationes, quas Physici diligenter fecerunt, eae sunt, ut multum certi doceant.

§. 19.

Quae omnia si perpendamus, apparet, quantae conditiones in atmosphaera oriri possint ex diversa fluidi electrici copia et variis corporum terrestrium natura et locis; verum haec cognitio parum tenderet ad intelligentiam meteorum, nisi constaret de proprietate fluidi electrici, qua uti caloricum, studet aequilibrio. Ex hac proprietate oriun-

(15) Vid. *Parrot Grundriss der Physik der Erde und Geologie.* c. I. §. 282.

(16) Scribit Saussure: „Un autre principe meteorologique, qui n'est pas comme les précedens „appuyé sur des faits indubitables, mais qui me paroît avoir le plus haut degré de probabilité, „auquel puisse atteindre une hypothese physique; est celui de la presence et de l'action libre et „continuelle du fluide électrique dans les couches les plus élevées de notre atmosphere." *Essais sur l'Hygrometrie.* p. 385.

untur illa phaenomena, quae manifeste differentiam monstrant; quae obtinet telluris electricitatem inter et corporum atmosphaerae, cum haec vitream, illa resinosam electricitatem saepissime habeant. Aequilibrium igitur perfectum inter terram et atmosphaeram in causa est, quod nulla oriantur phaenomena electrica; verum haec aëris conditio raro obtinet illamque semel tantum observavit Cavallo.

Atque hoc respectu duplex intelligitur atmosphaerae status, vel insulatus persistit aër, vel aequilibrium cum terra restituitur. Illa conditio tum obtinet cum aër valde insulans reperiatur vel si corpora atmosphaerae maxime distent a tellure, sic enim communicatio impeditur et nullum phaenomenon electricum in atmosphaera apparet. Altera conditio observatur, cum tellurem inter et corpora atmosphaerae detur communicatio. Haec manifesta aut obscura esse potest. *Obscura* locum habet, tempore valde humido, cum pluviae longe lateque cadant vel diu, cum nebulae impendeant et multus et spissus ros spargatur, coelumque triste et crassum sit, non vero nubibus insulatis obductum; illis enim aequilibrium restituitur. Confirmantur igitur quae §§. 17, 18. diximus, quod vapores tellurem inter et aërem haerentes omnino conductores sint electricitatis. *Manifesta* communicatio fit, si haec aliquamdiu cessaverit, et denuo incipiat, sique e. g. inter atmosphaeram et corpora terrestria tantum intersit spatium ut illa positive valde electrica sit, haec negative.

§. 20.

Atque haec sunt quae de atmosphaerae proprietatibus dicenda viderentur. Harum autem tractatione aliquomodo certiores facti sumus, qualis hujus officinae indoles sit; quales conditiones petendae sint ex cognitâ compositione aquae, hujusque solubilitate aëre atmosphaerico et a fluidi electrici turbato aequilibrio. At multa minus elaborata esse pluraque desiderari plane sentio; si enim quae scripsi cogitatione hic repeto, mihi constare coepit, levius me egisse de temperaturâ aëris ac evaporatione, atque ex his non paucas aëris oriri mutationes, quas tangere non potui ob temporis rationem et materiae amplitudinem; rerum ejusmodi elaborandi methodus peritioribus convenit, quippe qui feliciori, ut ita dicam, ingenio instructi, facilius ac melius complecti possunt omnia naturae opera, quare his forte datum est aëris proprietates eo indagarae modo, quem summus commendat Herderus scribens: „mich dünkt, wir gehen einer neuen „Welt von Kenntnissen entgegen, wenn sich die Beobachtungen, die Boile, Börhave, „Hales, Gravesand, Franklin, Priestlei, Black, Crawfort, Wilson, Achard u. a. über „Hitze und Kälte, Elektricität und Luftarten, samt andern chemischen Wesen und „ihren Einflüssen ins Erd- und Pflanzenreich, in Thiere und Menschen gemacht, zu „ei-

„ einem Natursystem sammlen werden. Würden mit der Zeit diese Beobachtungen so „ vielfach und allgemein als die zunehmende Erkenntniss mehrerer Erdstriche und Erd„ produkte zuläszt, bis das wachsende Studium der Natur gleichsam eine allverbrei„ tete freie Akademie stiftete, die sich met vertheilter Aufmerksamkeit, aber in Einem „ Geist des Wahren, Sichern, Nüszlichen und Schönen die Einflüsse dieser Wesen „ hie und da, auf Dies und Ienes bemerkte: so werden wir endlich eine geographi„ sche Aërologie erhalten und dies grosze Treibhaus der Natur in tausend Verände„ rung nach einerlei Grundgesetzen wirken sehen (17).

CAPUT SECUNDUM.

DE METEORIS AQUEIS.

§. 21.

Atmosphaeram vapores continere supra vidimus; quaenam phaenomena vel meteora ex iis oriantur et probabiliter explicari queant, nunc videndum est.

Varia sunt haec phaenomena, variam monstrant formam; in eo autem inter se conveniunt, ut singula oriantur a vaporibus concretis, vel ut Physici loquuntur ab *aucta vaporum densitate.* Nam et nebulae terrae inhaerentes et grandines e nube ruentes, ambo meteora sistunt ex vapore concreto nata. Horum vero meteorum causas remotas attendentes nobis persuademus tam dissimilem esse ipsorum originem, ut seorsum tractari mereantur. Nos in causis exponendis hunc ordinem sequimur, ut ad concretionis gradum attendamus; quem ordinem, quantum sciam, Physicorum nemo secutus est.

Itaque primo de nebulis erit dicendum; secundo de nubibus; tertio de rore, ad quem

(17) *Herder's Idéen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit.* Lib. I. p. 20.

quem pertinent aër vespertinus (*avond-damp*) et ros gelatus; quarto de pluviis; quinto de nive; denique de grandine.

§. 22.

De Nebulis.

Phaenomenon nebula tum esse dicitur, cum prope terram inhaereant vapores tenuiores vel crassiores.

Non certo et constituto vel diei vel anni tempore nascitur: nam cernitur et mane et vesperi, et aestate et hyeme. Et quoniam tam in aëre frigido, cum concrescant omnia et congelentur, quam calido, nebula existit; in ipsius causis investigandis multum operae consumtum est, atque ad eam explicandam multae fictae et propositae sententiae; quarum quidem speciosa est Saussurii illa; particulas aqueas sub nebularum forma aëri inhaerentes globulos cavos esse, atque ex hac cavitate eam assequi levitatem, ut exsistant in aëre frigidiori, quâ aqua congelatur. Verum quantumvis ingeniosa sit haec sententia, difficultatem superandam habet haud unam; habet autem fundamentum in principiis mechanicis, forte nimis quaesitis.

Sed fortasse quis dixerit; multa sunt phaenomena, quae haec Saussuriana explicat sententia. Non potest hoc negari; et potest inde deduci, cur fere omnes Physici illam amplexi sint. At vero, quam plurima sunt phaenomena meteorologica, quae, quamvis minus felici et certa hypothesi explicata, diu tamen tanquam bene explicata habita sunt. Nos ne rem exagerasse videamur, ejusmodi propositae et probatae alicujus meteori explicationis exemplum proferamus, idque in rore positum: omnes Physici ante Wellsium consentiebant, aërem in aliquo coeli a terra spatio condensari, eundemque descensum, terramque obtegentem, rorem facere; postea vero constitit, sole occidente, cum imminuatur et terrae temperatura, et aëris terrae proxime incumbentis, ei aëri inhaerentes vapores, sui etiam amissa calorici aliqua parte, densiores fieri atque adeo rorem facere. Non tantum igitur est istius argumenti momentum, quantum quidem primo aspectu videatur. Atque adeo si alia causa inveniatur magis in rerum natura fundata, et omnino non pauca naturae phaenomena illustrans, relinquenda videtur magni Saussurii quantumvis ingeniosa sententia.

Si igitur cum nonnullis Physicis admittamus, esse aliquam molecularum aërearum cum aqueis copulationem et cohaerentiam, eamque augeri cum totius massae aqueae volumen augeatur, intelligimus, eo majorem fieri aëris cum aqueis cohaerentiam, quo tenuiores fuerint moleculae aequeae. Atque sic etiam intelligi potest, cur molecu-

lae aqueae in vaporem versae atmosphaerae inhaerescant, et tamdiu in ea retineantur, quamdiu molecularum aquearum gravitas specifica non superavit cohaerentiam totius massae aqueae et aëreae.

Accedit, quod multae a terra exhalentur res, quae aëri inmiscentur, cumque eo arctius copulantur, et conferunt ad nebulas gignendas. Plerumque male olent hae exhalatae sordes. Et omnino operae pretium facturus est, qui nebularum naturam et ingenium experimentis tentare et detegere velit.

§. 23.

Durante hyeme et inprimis verno et autumnali tempore maximae nebulae observantur, frequentissimae in regionibus maritimis. Quod clare monstrant littora regionis *Cormandel* nebulosa, tempore inprimis humido. Quo propius polis adjacent regiones, eo magis nebulosas esse narrant Itineratores.

Non inutile mihi videtur perscrutari, quando nascantur nebulae, quando dissipentur; nam si cognita sit et perspecta aëris conditio, qua formantur nebulae, forte detegi possint causae, quibus dissipentur, et contra. Aliquando nebula non in hujus illiusve terrae limitibus continetur, sed non exiguam telluris partem obtegit, quae adeo ex universali terrae et atmosphaerae ingenio orta et explicanda sit. Ejusmodi nebulae mentionem facit Bertholon, cum eam anni 1783 describat, quae fere omni Europae inhaerebat (1). Contra vero saepissime accidit, ut alicui tantum loco inhaereant, adeoque natae sint ex causis topicis; atque hae frequentissimae sunt in patria nostra.

Modus vero, quo nebula dissipatur, non semper idem est; nam nunc praeceps datur, et in terram diffunditur, forte roris instar; quod si mane fiat, cum et hygrometrum aëris siccitatem monstret, spes est et exspectatio clarae et serenae diei: nunc fertur in sublimes coeli plagas, quae humidiores cum factae sint, si subito frigus accedat, aërem concretum in nubes cogunt, quae aut pluvias immittunt, aut nives.

Neque nebula electricitate caret; nam et hujus signa ostendit, et eam cum multis corporibus communicat. Qui primus hanc in rem inquisivit, fuit Ronanyne Anglus. Invenit autem aestate aëra nullum electricitatis signum ostendere, nisi vesperi et noctu, tempore frigescente et nebuloso; et ne tum quidem adeo manifestum, quam hyeme. Multa alia etiam observavit; sed haec, cum doctrinam electricitatis magis illustrant quam nebularum, hic non memoranda videntur.

§. 24.

(1) *Bertholon électricité des Meteores.* tom. II. pag. 102.

§. 24.

Ex his igitur rite consideratis perspicitur, plurimis difficultatibus adhuc premi nebularum explicationem. Ea enim quae attuli parum sufficere probe sentio; verum undenam petenda melior cognitio? Non quidem desunt observata; verum, cum non singula probe inter se conveniant, alia etiam parum rei inserviant, fallacem reddunt et dubiam conclusionem. Itaque rursus in tempore et usu spes ponenda est.

§. 25.

De Nubibus.

Quando nebulae altius in atmosphaeram feruntur, frigus expertae, ventorumque impulsu agitatae, concrescunt, atque in nubes coguntur.

Ex hac definitione jam sponte patet, quodammodo mancam esse nostram meteorωn divisionem, cum ad genus nebularum referri possint nubes, quoniam revera nihil aliud sunt, quam nebulae altiori atmosphaerae inhaerentes variis sub formis et conditionibus: aliae scilicet ostendunt vapores parum concretos, aliae vero nigrae vapores magis concretos.

Haec meteora illi facile ad examen vocare potuerunt, qui altius montes adscenderunt; affirmarunt hi, nubes esse nebulas ab iis nulla alia re, quam loco discrepantes. Itineratores, si montem adscendentes nubem transeant, circumdantur nebula magis minusve crassa, quae impedit, quo minus res magis dissitae cerni queant. Si vero adscendunt nube altius, alia cernitur hujus forma et species; quae diversitas proficiscitur a lucis actione (a).

Quam sublimes ferri nubes, testantur aeternae nives, quae montium cacumina tegunt. Neque id frustra: nam a nive, cum calore tepefacta sit et fusa, natum flumen terrae fertilitatem ubertatemque adfert. Praeterea et haec horum meteorωn utilitas est, ut tellurem defendant a sole ardente, et contra frigidis terris prosint reflectendo calorem e terra exclusum.

§. 26.

Quamvis vero vapores maxime prope terram haereant, non tamen ad terram nubes nascuntur, sed altius in ipso atmosphaerae gremio.

For-

(a) *Bertholon électricité des Meteores.* tom. II. pag. 102.

Formarum nubium varietas, crebro observabilis, docet mobilitatem vaporis moleculatum; earundemque corpus vel massam magnam aut exiguam efficit ipse, quo cietur, major leviorve motus, vario tempore varius. Si enim propellantur nubes in aërem humidiorem vel sicciorem, aut vertuntur in pluvias, aut in auras dissipantur.

Inter causas, unde nubes vel existunt vel augentur, censeri debet praeprimis temperaturae decrementum; hoc enim frangitur cohaerentia molecularum aquearum cum aëreis, et vapor in aquam vertitur. Hinc fit, ut in nostra patria, cum ventus occidentalis spiret vel inprimis favonius, qui uterque aërem calidum et vaporosum secum fert, creberrime nubes exsistant ex subita vaporum refrigeratione; contra ut aquilo et vulturnus, uterque siccus et frigidus ventus, cum eandem nostram patriam perflent, tepidi fiant et sicciores, ita ut raro auferant coelo serenitatem.

§. 27.

A multis vero pendent meteora; si enim ea, quae in primo capite diximus, applicemus ad regiones, quarum notus est situs geographicus, saepe facile erit coeli conditionem harum regionum cognoscere. Obstat autem saepe contrarius aëris motus; nimirum quod duo sibi proxima et imposita aëris strata vento agitentur, alterum e. g. occidentali, orientali alterum; contrarius autem motus colligitur ex contrario nubium cursu. Obstat etiam regionum, unde venti spirant, temperatura, inprimis ipsorum ventorum flamen.

Quare manifestum est, hanc rem multis adhuc premi difficultatibus: cur enim nubes formantur in atmosphaerae plagis non solum non humidissimis sed siccis fere; contra, cur plagae nebulosae aliquando calidiores sint, quam eas circumdans aër? Essentne illae tunc insulatae? Cur saepe nubes, quae coelo calente inhaerebant, vesperi praecipitante dissipantur? An ros cadens hoc phaenomenon explicat? Sunt haec dubia haud parvi momenti, quae forte, cum uberior sit observationum proventus, explicatione non carebunt.

§. 28.

De Rore, aëre vespertino et rore gelato.

Cum atmosphaera maxime calido die multum aquae in suo gremio exceperit, noctuque refrigerium patiatur, non omnem aquam continere potest, sed plurimam prae-ci-

cipitem dat sub roris specie, qui campis et agris circumfunditur tanquam oceanus, quo etiam recenti herbae gemmant, cum sol oriens tenebras dispulerit; quique diei tempore et ipsi, e quo stillatus est, fonti redditur.

Jam multum et diu occupati fuerunt Physici in detegenda hujus et pulchri et saluberrimi phaenomeni causa; haud una hypothesis ipsius explicationi suffecisse visa erat, cum doct. Wells Anglus, ductus suo ingenio et aliorum experimentis adjutus, in hujus meteori indagatione adeo feliciter versatus sit, ut anno hujus seculi decimo quarto novam proposuerit theoriam, experimentorum observationumque pondere adeo stabilitam, ut vera roris causa detecta videatur.

Operae igitur pretium est praecipua enarrare, ex quibus constitit causam roris esse quaerendam in *corporum refrigeratione*.

§. 29.

In expositione theoriae sic procedit Anglus ut primum conditiones rori faciendo aptas vel parum faventes recenseat, deinde agat de frigore, roris comite, tertio theoriam ipsam proponat.

Sequentia inprimis animadvertit: nimirum aër serenus et tranquillus in genere favet rori; ventosus et nebulosus obest; nubes enim caloricum, quocunque modo e terra proveniens, terrae reddunt, atque adeo impediunt, quo minus temperatura imminuatur. Contrarium cernitur in aëre sereno, quoniam tunc caloricum aëris transfertur ad superiores coeli plagas, atque inferiores paullo refrigescunt. Ventosus aër eundem edit effectum, quem nebulosus; illius enim motu continuo aër etiam altior miscetur et cietur, atque in contactum telluris ducitur; unde, ne terra aut citius aut nimis frigescat, aërve inferior nimis humidus fiat, efficitur. Facile etiam intelligitur, quod partes aëris, cum terram contingant, huic aliquid calorici reddant, quod amiserit. Nihilominus temperaturae decrementum, ex hac aëris calidioris cum terra communicatione ortum, non adeo magnum esse debet, quoniam terra non valde calefit hocce motu; at sufficit, ut calorici aequilibrium aërem inter et tellurem restituatur. Denique motus aëris alium etiam praestat effectum, ut supra monuimus; commiscet enim partes aëris siccas et altiores cum iis, quae, cum terrae proximae sint, humidiores sunt, atque hinc impeditur roris formatio. Tranquillus autem aër facilem calorico aditum dat, facitque, ut moleculae aëreae inter se non valde commisceantur; unde temperatura telluris continuo differt et imminuitur. Aër, quo humidior est, eo plus roris cadere solet, et quo al-

altius corpora a tellure distant, eo majorem, ceteris paribus, habent temperaturam, eoque minus rore teguntur, et contra (3).

Indoles porro corporum varia varias mutationes profert; alia enim corpora conductores calorici boni sunt et magnam facultatem excludendi caloricum habent, alia vero vi quadam caloricum reflectunt; hinc est quod, cum sol occiderit, temperatura illorum sat cito inferior sit eâ atmosphaerae, dum e contra haec, quae caloricum valde reflectunt, eandem fere suam servant temperaturam. Humboldtius refert, quod in Africae desertis vasta loca sunt, in quibus ne vel minima plantula propullulat ob roris defectum; qui defectus oriri videtur, quod arena tantopere caloricum reflectat, adeoque noctu parum frigescat. Musschenbroeckius etiam miratus est, cum aëri, ex quo ros stillabat, exponerentur duae laminae, vitrea et ferrea, vitream rore tegi, ferream minime vel perparum. Denique non perinde est, qualis sit corporum superficies, quae aëri offeratur; si enim corpus ita est positum, ut aëris motu agitetur, aut si ventus spiret cum jam ros ceciderit, necesse est ut augeat vel minuat roris formationem. Si enim cuidam aëris motui expositum sit corpus, aut durante nocte, rore jam formato, ventus oriatur, hic vel magnam partem delet vel penitus dissipat.

§. 30.

Praeter has conditiones tum atmosphaerae tum telluris rori faventes aut nocentes, Wellsius quaedam ex memoratis tanquam corollaria deducta enarrat, ut sic theoriae suae veritas clarius appareret. Praecipua haec sunt: corporum varia temperatura variam roris copiam facit. Aër humidus efficere potest ut, corporis frigore eodem manente, tamen major gignatur roris copia. Roris formatio non solum frigus non facit (ut antea opinati sunt physici); verum uti semper accidit, cum ex aëre aqua praeceps datur, calorem affert. Nocte tranquilla is aër, qui herbae frigidae inhaeret, in ejus contactu aliquamdiu versatur, quoniam ob amissum caloricum gravior factus est et crassior aëre superiori; atque universe aër se liberabit aquâ pro corporum, quae circumdat, temperaturâ. Ros non cadit in climate temperato in nuda hominis vivi et sani membra, quoniam ipsius calor noctu etiam numquam minor est aëris calore. Hy-

(3) Wellsius etiam observavit, noctu aliquot thermometris obliquè positis, horum inferius temperaturam ostendere minorem. Hinc etiam intelligitur, stratum aëreum terrae proximum citius amittere aquam suam, quam quae longius a terra distabat, quoniam refrigeratur celerius. Hujus phaenomeni causa petenda est e contactu aëris cum tellure, atque inde etiam reddenda causa, cur lanae flocci noctu eo plus aquae imbibant quo propiores telluri sunt.

Hygrometra ex materia animali aut vegetabili confecta noctu in aëre sereno atmosphaerâ frigidiora evadunt, adeoque rore teguntur.

§. 31.

Quae omnia cum accurate sint observata, manifestum est causam roris derivandam esse *ab ipsius corporis, quod tegit, temperaturâ imminutâ, qua vapor stratorum aëris inferiorum in particulas aqueas concrescit.*

Multi autem Physici contenderunt, aliam roris speciem quoque inveniri, eam scilicet, quae ramos et folia plantarum tegit. Quam opinionem haec observatio videbatur affirmare: quod planta, si vespere campanâ vitreâ tegebatur, crastino mane rore esset obtecta, aeque ac plantae aëre libero fructae: quam observationem si secundum theoriam Wellsianam explicemus, patet, non alia phaenomena illic locum habere, quam in aëre libero; ros enim plantarum non humor est ex ipsa planta stillatus, ut physicis pluribus visum est, etenim plantae spiracula non tantum humoris ejiciunt, quanto mane fere submersae inveniuntur, et nulla planta, paulo longius arte remota, rore tegitur, cum venti spirent, qui, ne ros cadat, impediunt. Ex eâdem etiam, quam roris dedimus, causâ peti potest explicatio aëris vespertini; qui hoc modo nasci et cerni solet: si conditiones favent, ut ros in herbam cadat, non diu post calor atmosphaerae imminuitur, et oritur vapor concretus, et terrae prope inhaerens, quod phaenomenon etiam a rore diversum haberetur. Verum secundum theoriam Wellsianam nihil aliud est nisi roris initium; nam observamus vaporem eo magis concrescere, quo propior terrae est, i. e. quo frigidior atmosphaera fit. Cernitur ejusmodi vapor per totam noctem, cumque sol jamjam oriatur, saepius in nebulas diffunditur. Ros gelatus tandem haberi debet pro effectu aerioris corporum frigoris, quo aqua, quae corpora tegere solet, in glaciei speciem vertitur; si enim noctes evadunt longiores, uti versus autumni finem, terra aliquando ita frigescit, ut guttae aquae congelentur, hae autem sunt pruïna.

§. 32.

Atque haec de rore, aëre vespertino et rore gelato dicta sufficere videntur; hic enim apparet, quaenam roris causa sit, et quibusnam conditionibus maxima ejus copia gignatur: constat etiam, qualis sit aëris vespertini et roris gelati origo, et quid de duplici rore nonnullorum Physicorum censendum sit.

§. 3.

§. 33.

De Pluvia.

Moleculae aqueae, quae sub guttarum forma ex atmosphaera in terram cadunt, pluvia dicuntur.

Haec vero duplici modo oritur, vel ex fluidi electrici vi, vel ex quibuscunque aliis causis. Prior igitur species, subita dicta, potius tractari meretur, cum de meteoris igneis res erit, dum altera, quae vulgaris dicitur, hic in censum venit. Haec pluvia cadere dicitur, si vapores, frigus experti, concrescunt, atque in aquam coguntur, cum nulla fuerit oxydatio, nullaque electricitatis signa.

Ex iis autem, quae in primo capite de atmosphaerae proprietatibus diximus, intelligitur, quasnam leges sequatur evaporatio, et quales praecipuae sint conditiones, quibus atmosphaerae temperatura imminuitur. Si igitur verum est, pluviam in genere nihil aliud esse, quam moleculas aqueas e coelo cadentes, in cujus sinu exceptae et aliquamdiu contentae fuerunt; verum etiam erit pluviam in oceanis et lacubus magnis frequentiorem esse, quam quidem in terris non adeo aquosis: atque inde explicatur, cur frequentius pluat in regionibus ad littora maris sitis; inde etiam Humboldtius deducit fertilitatem multarum Americae regionum, quae quamvis sitae sub eâdem latitudine, qua deserta Africae loca, amoenitate tamen sua homini valde arrideant. Nostra vero in patria caurus non raro pluvias adfert ex eadem causa; in mari enim Septentrionali formantur nubes, eaeque feruntur in patriam nostram, magnamque vaporum copiam secum ducunt. Hujus venti efficacia inprimis hoc anno observata fuit, cum verno tempore exinde per quatuor hebdomades fere quotidie pluërit, idque autumni initio repetitum est, adeo ut rari fuerint dies, quibus, hoc vento flante, non imbres ceciderint.

§. 34.

Itaque copia pluviae pro variis locis varia esse debet; atque hujus rationem etiam habuerunt Physici, immo hodierno tempore in observatorio Parisiis adhibetur instrumentum *hyetometrum* dictum, quo satis accurate pluviae, quovis anno delapsae, copia inveniri possit. Refert illud instrumentum vas quadratum vel cylindricum, in quo scala datur in gradus, pollices et lineas divisa. Tegitur vas infundibili specie, adeo ut aqua vase contenta evaporatione non amitti possit; exigua enim aquae copia, quae per canalem tenuem infundibuli evaporatione perditur, non tanti momenti est, ut inde ali-

aliquis error in computatione nasci possit. Sic omni tempore pluviali observatur ad quotenas lineas in vase adscensione pervenerit aqua, atque ad anni finem computata illarum linearum summa innotescit quantum pluviae ceciderit. Observationes tales, quamvis minus accuratae, in multis regionibus sunt factae, ita ut notum sit, quanta pluviae copia in genere in diversis regionibus quotannis mittatur. Secundum has observationes urbs Leida accipit quotannis 29¾ pollices aquae, Haga Comitis 27½, Roma 20, Parisiae 20 (4).

Ab altera parte indagarunt, quantum aquae e loco quodam definito adscendat in aëra, inque eo solvatur. Musschenbroeckius, Richmannus, Wallerus, et inter recentiores Saussurius, multa experimenta instituerunt; quae tamen ob summam difficultatem rem penitus illustrare non possent. Sic Doct. Halley numerum doliorum aquae definivit, quae tempore viginti quatuor horarum ex mari Mediterraneo in vapores adscendat; verum ejusmodi calculorum ratio intelligitur non certissima esse et accuratissima.

§. 35.

Veluti pluviae copia pro varia regione varia est, ita etiam indoles. Egregias, si pura sit, pluvia habet proprietates, quas jam suo tempore artis medicae et parens et princeps Hippocrates pro more, acute, ingeniose et breviter explicat in libro singulari de aëre, aquis et locis. Raro tamen aqua pluvialis pura in tellurem cadit; „Quia pluvia „ex alto per aërem labitur," scribit Musschenbroeckius, „omni genere halituum ter„renorum semper inquinatum, eos secum lixivii instar conjungit, atque ad terram ve„hit: quam ob rem pluvia non erit aqua pura, sed salibus, spiritibus, oleis, ter„ris, metallis infecta, quorum magnum erit discrimen pro differentia soli exha„lantis, tum pro anni varia tempestate." Huc accedit infinitus animalculorum numerus, aestuanti imprimis aëri inhaerentium, aliaeque res impurae, quibus fit, ut, quae ceterum puritate aquae purissimae (destillatae) adaequata est pluvia, facile in putrefactionem ruat et potus praebeat parum salubres et gratos. Ejusmodi aqua pluvialis saepissime in urbes majores et frequentes cadit, inque locos depressos, cum coelum ardeat; dum in medio oceano pluvia mittitur limpidis liquidisque aquis similis, quippe nullis pravis exhalationibus inquinata.

(4) Musschenbroeck, *Introductio ad Philosophiam Naturalem.* Vol. II. p. 991.

§. 36.

Et quoniam in pluvialis aquae natura indaganda occupati sumus, a nostro argumento non alienum videtur quaedam dicere de pluviis illis insolitis, quas hominum ignorantia et religio aliquando minus feliciter et minus probabiliter interpretata est. Sic Musschenbroeckius memorat de pluvia sulphuris, quae Brunsvici incolas perterruit, et de ardentis substantiae lapsu, quae nec aquâ, nec motu extingui potuit (5). Dubito tamen an tales pluviae distincte satis sint observatae, cum Burdigalae, anno 1761, decimo nono Aprilis, pulvis flavus, sulphuris formam prae se ferens decidit, quem a Scheuchtzero aliisque Physicis ad examen vocatum, ex pinorum floribus excussum pollinem, ventoque delatum esse constitit.

Idem monendum videtur de pluviis cruentis, quarum aliae examinatae repertae sunt continere varia principia metallica, aliae vero originem habere ab excrementis rubris, quae aliquando insecta ejiciunt, cum metamorphosin subeant. Hildebrand prope pagum Orsio in Scania, anno 1711, in rubra pluvia vidit insecta corpore oblongo, cauda cuspidata, colore sanguineo. Ad finem anni praecedentis ad nostra patriae littora, in pagis Blankenberg et Scheveningen, pluviae ita dictae cruentae observatae fuerunt, quae examine instituto, acidum chloricum et cobaltum continerent. Humboldtius saepius in pluviis sub tonitru labentibus calcem invenit, in locis quidem procul a Vulcanis. Narratur etiam de pluviis sabulosis; quae tamen jure ita explicantur, ut impetuosior ventus, littora invadens et perflans secum sublime ferat arenam, quae, cum aër tranquillior fiat, terrae redditur sub pluviae forma. Haec phaenomena comparari possunt cum cineribus e Vulcanis ejectis, qui coeli serenitatem interdum per aliquot dies obscurant. Denique lapidum pluviae, a veteribus jam memoratae, et postea frequenter observatae sunt, quarum origo tam obscura est, ut etiamnum lis sit inter Physicos; quorum alii censent lapides aliunde in coelum intrudi, alii eos in ipso atmosphaerae sinu ex vaporibus quibusdam concrescere.

§. 37.

De Nive.

Si vapor aqueus ex nube decidens durescit, inque filamenta concrescit vario modo copulata et cohaerentia, flocci existunt, atque hi nix dicuntur.

Ex

(5) Musschenbroeck, *Introductio ad Philosophiam Naturalem.* Vol. II. p. 1003—1005.

Ex forma regulari, quam flocci aliquando monstrant, jure derivatur, guttas aqueas in crystallos cogi simili modo, quo sales generantur, et in genere omne corpus crystallinum formatur. Floccorum figurae saepissime differunt, immo nonnulli contendunt eas quavis hyeme varias esse; harum imagines depinxerunt Musschenbroeckius, Engelmannus, Martinetus, aliique. Raro autem accidit, quod flocci regularem habeant figuram, cum in descensu, aut secum invicem saepe coalescant, aut aliis causis deturpentur; hinc floccos aut regulares, aut anomalos vocavit Musschenbroeckius.

Modus igitur, quo nix formatur, quodam sensu referre dici potest similitudinem vaporis ad corpus frigidum congelati; si enim vaporem congelatum, quo vitra hyeme tegi solent, et crystallorum variam formam examinemus, apparet nivis formationem eâdem causâ fieri, atque et nivem et illam glaciem non casu, at rursus certis naturae legibus generari (6).

§. 38.

Cum frigus causa sit hujus meteori, hoc non in omnibus regionibus cernitur, nam nive carent calidiores. Quo propius autem circulis polaribus adjacent regiones, eo magis nix abundat, ita ut unius noctis spatio saepe habitacula sepeliat, immo in nonnullis regionibus procellas inferat, quarum calamitates majores solent esse iis fulminum Zonae torridae. Maupertuisius narrat de horrendis tempestatibus Lapponiam infestantibus, in quibus ventus undique spirans saevit, nivisque multitudo vias obstruit, hominesque obruit et sepelit.

Quae quamvis ita sint, non tamen utilitate caret ea multa nix; impedit enim, quo minus terra nimis refrigeretur, atque adeo, fertilitatis fonte exhausto, sterilitas sequatur. Notum enim est regnante gelu thermometrum sub nive notare temperaturam majorem, quam quae supra nivem est. Fontes porro et flumina oriuntur et tument a tabescente nive, quae montium cacumina tegebat; denique proprietate sua reflectendi splendet, et veluti lucet in eorum hominum usum et adjumentum, qui per semestre spatium luce destituuntur.

§. 39.

Varia Physicorum experimenta docuere, nivem facile accipere, continere, et transmittere fluidum electricum. Bertholon ad has proprietates maxime attendit, atque invenit,

(6) Parrot, *Grundriss der Physik der Erde und Geologie*, c. II. §. 319.

nit, non solum electricitatem artificialem communicari cum nive, verum etiam naturalem; cum in vase metallico insulato observaverit nivem positivam ostendere electricitatem. Alii dein sub nivis lapsu electricitatis signa observavere; quod fecit Canton quodam apparatu, Gallis *carillon électrique* dicto, cujus descriptio invenitur apud Biot (7).

Ut aestimari possit, quanta nivis copia in anni spatio cadat, plano horizontali utuntur Physici, atque copiae mensuram colligunt ex nivis in hoc plano altitudine. Quae tamen computandi ratio non valde certa haberi potest, quoniam nix vel rara jacere potest, vel admodum densa et compacta esse potest. Forte igitur melius est nivem liquefacere et liquefactae summam colligere.

§. 40.

Ex iis quae diximus, constat, nivis formationem ei pluviae non dissimilem esse, adeoque fere omnia, quae de hac memorata sunt, etiam ad illud referri posse. Hinc innotescit; quid de ventorum efficacia in hoc meteoron censendum sit; quales haberi debeant nives prodigiosae.

§. 41.

De Grandine.

Grandinem referunt corpora firma, globosa et conglaciata. Peculiare habet grando, quod cadat tempore et temperaturâ iis, quibus eam non exspectes. In regionibus enim calidioribus magis saevit, quam temperatis: aestate, ubi laeta seges spem bonae messis agricolae facit, subito oritur immoderata tempestas, densissimi imbres cadunt, et grandines ruunt, vastando agros omnem anni fructum omnemque agricolae exspectationem eripientes.

§. 42.

Si multorum Physicorum opiniones de grandine consulamus, eo inprimis omnem redire videmus grandinis explicationem, quod sint pluviae guttae in glaciem concretae, quae ex alto aëre in terram decidunt. Theoriae hujus inventor habetur Mongius, qui sic sententiam suam defendit: veluti aqua in terra frigore in glaciem concrescit, sic in aëre in grandinem; in plaga atmosphaerae altiori, saepe etiam aestate, id frigus esse po-

(7) *Traité de Physique.* tom. II. p. 443.

potest, ut guttae aqueae durescant; magnae grandines oriuntur ex vaporibus, qui, cum per aërem ferantur, se grandini obducentes ejus globulos majores reddunt. Quae explicandi ratio placuit Physicis tanquam probabilis et verisimilis. Verum Musschenbroeckius, huic theoriae quamvis addictus, non tamen solum frigus altioris atmosphaerae in causa grandinis esse opinatus est: „Dubitari posset" scribit „an fulmen et tonitru, cujus sonus eo tempore clare auditur, in tanta altitudine a terra „eveniat, ut causa grandinis hujus sit?" Haec satis probant, in ea sententia versari celeberrimum Physicum, ut tempestati etiam suas partes in formanda grandine adscribat. Dein Morveau, hanc rem ulterius indagans, contendit, quod, cum evaporatio causa sit proxima refrigerii, atque electricitas excitet et augeat evaporationem, fluidum electricum efficiat grandinem. Verum de modo, quo hanc formationem explicavit, non convenere Physici; donec celebris Volta hujus sententiae momentum perspiciens, novam grandinis theoriam proposuerit, quae priorem longe antecellat, et ni fallor ad veritatem ducere videatur.

Argumenta quibus nititur ipsius sententia haec sunt: primo constat, grandinem saepissime oriri e nubibus telluri proximis et fluido electrico gravidis; secundo; grandines majores constanter concomitari solent saeviores tempestates (8); tertio; ante grandinis casum auditur strepitus in nubibus, qui concussionem granorum grandinis inter se refert violentam. Ex his igitur, quae aliorum observata docent, et quotidiana experientia confirmat, procul dubio manifestum est, fluidum electricum principem hujus phaenomeni esse auctorem. Modum vero, quo nascatur grando, sic explicuit Volta: duae nubes sibi invicem adversae, et electricitate diversa, altera positiva, altera negativa praeditae sunt, ita ut aquae guttae primum attractae, dein recussae ab utraque nube, idem id patiantur, quod globuli suspensi inter duos conductores diversae electricitatis, atque hic motus celer facit, ut exiguae aquae quantitatis maxima pars in vapores vertatur, unde refrigerium oritur sufficiens, ut reliqua pars congeletur. Cum vero hujus partis congelatae temperatura maxime et infinite imminui possit, vapor, qui cum hac in contactu est, apponitur huic grano congelato, adeoque hoc majus reddit; id vero granum, vi electricae haud amplius expositum, e nu-

(8) Scribit Bertholon: „C'est une observation constante, que toutes les fois, que la grêle „est un peu considerable, elle est presque toujours accompagnée de tonnerre, et que jamais „le tonnere ne gronde ou n'éclate avec plus de force, que dans les grêles extraordinaires." *Electricité des meteores.* Vol. II. p. 195.

nube in tellurem cadit. Sic etiam melius intelligitur ipsa grandinis magnitudo, nimirum grana illa, qualia unius ponderis memorat historia Physices, in suo casûs spatio neque tantopere, neque tam celeriter accrescere possunt. Dechales refert, anno 1470 Romae grandines magnitudine ovi Casuarii cecidisse; Wallace testatur, coelo valde tonante, fragmenta glaciei pedem crassa decidisse (9). Dein forma grandinis stellata, non raro in granis observabilis, etiam suadet, ut eorum magnitudinem ab ea concussione derivemus, quam fluidum electricum tunc temporis ciet, quaeque suo strepitu agnoscenda est (10).

§. 43.

His et alia accedunt, quae utpote summi momenti hic exponi debent. Scilicet docuit experientia grandinem rarissime noctu ruere, ubi rarior etiam est tempestas; atque iis in locis minorem esse, in quibus fluidi electrici vires abductoribus coërcentur. In urbibus enim majoribus grana minora ruunt; aedes autem abductores fulminis haberi possunt, quae impediunt, quo minus fluidum electricum coacervetur, tantosque edat effectus, quales agri patiuntur. Inde Physici abductores grandinis proposuerunt, qui tamen non nisi magnis sumptibus possent constitui, ita ut forte hi ipsis grandinis damnis multo majores sint.

Denique Physici sunt, qui contendant, formationem grandinis et glaciei esse diversam: grandinem autem volunt aquâ aliquando graviorem esse, dum glacies aquae supernatat, quamvis ante congelationem ab aëre sit purgata; hinc eorum nata est conjectura, qui ex defectu crystallisationis majorem grandinis densitatem explicant; quae observatio, si constaret, magnopere faveret theoriae a Volta propositae. Atque etiam sic facilius intelligere possemus, cur grana grandinis majora aliquando, teste Musschenbroeckio, media aestate, octidui spatio dura permanserint.

§. 44.

Quod autem meteoron quamvis melius ex electricitate explicari possit, non tamen theoriam a Mongio propositam falsam esse dixerim. Veluti enim pluvia ex duplici cau-

(9) Musschenbroeck, *Introd. ad Philosophiam Naturalem.* p. 1018.

(10) Scribit Musschenbroeckius, l. c.: „ Ex annalibus hujusmodi ingentis grandinis in Europa „ custoditis patet, eam cecidisse aestate, mense Majo, Junio, Julio, Augusto, saeviente procella, „ nubes in atram spissitudinem condensante, cum caligine magna, mugitu terribili tonitruum, ac „ *rutilationibus* fulminum, comitante *susurro*."

causâ explicari potest; quidni et grandinem duplicem originem concedamus, cum alia esse videtur grando hyemis, alia aestatis. Hyeme saepe ruit e coelo sereno (11), contra aestate e nebuloso.

CAPUT TERTIUM.

DE METEORIS IGNEIS.

§. 45.

Meteora ignea dicuntur ea phaenomena, quae ex fluido electrico oriuntur. Recentissimi Physici ad haec referre solent tempestatem, nonnulli ignes fatuos et stellas cadentes. Nos autem tantum de tempestate videbimus.

§. 46.

De Tempestate.

Si ea, quae antea de statu aëris electrico monuimus, ad hoc meteoron accommodemus, apparet, tempestatem vulgo excitari post dies calidos et siccos, post coelum serenum vitreaeque electricitatis plenum. Scilicet tanta in coelo electricitas coacervatur, tantaque vaporis vis, ut aequilibrium electricitatis atmosphaerae et telluris, aut nubium inter se turbetur, et aëris facultas aquam solvendi imminuatur. Ventus plerumque spirat nullus et natura quasi monet magnos jamjam instare tumultus. Brevi ve-

(11) Humboldtius observavit, grandinem absque explosione electrica ortam esse ex plaga atmosphaerae altissima. Vid. Parrot, *Grundriss der Physik der Erde und Geologie.* p. 426.

vero omnia mutantur, nubes densae atque atrae colliguntur motibus contrariis agitatae. Oritur tandem tempestas, nubes fluido electrico suo nimio exonerantur, cernuntur fulgura et fulmina, auditur tonitru, ruunt imbres.

Atque adeo aequilibrium electricitatis atmosphaerae et telluris renovatur; quo facto animalia et vegetabilia, mox antea languida, exhilarantur et veluti reviviscunt. Cujus tempestatis salubritatem, atque omnem naturam reficiendi recreandique potestatem pingere non adeo difficile foret; quod etiam lubens facerem, nisi et plures hac in arte versati essent auctores, atque non quisque homo vidisset, et, credimus, sensisset.

§. 47.

Physici vero in explicandis nonnullis hujus meteori phaenomenis non conveniunt. Controversia enim fuit, undenam tonitru nascatur. Alii nempe tonitru definiverunt ex vi strepente fluidi electrici, cum hoc a polo positivo ad negativum fluat; alii tribuerunt echo, cujus quidem effectus mirabiles quibusdam in locis audiuntur; alii rursus, idque probabile videtur et verisimile, opinantur tonitru ex vacuo oriri, in quod aër repente irruit. Triplicem hanc sententiam paulo accuratius consideremus.

§. 48.

Quod attinet ad primam sententiam, liceat animadvertere, illum strepitum, quamquam auditu percipiatur in experimentis, vix in atmosphaera percipi posse; quoniam primo spatii amplitudo, in qua haec phaenomena percipiuntur, impedimento esse debet, quo minus tam clare audiantur. Secundo altior illa atmosphaerae plaga multo tenuior est; nam scintillae electricae sonus, qui in experimento auditur, maxime oriri mihi videtur ex densiore fluido aëreo. Tandem licet sonus ille audiretur, non foret sonus volvens tonitrualis, sed similior illi, qui in experimentis auditur.

Altera vero sententia, quamvis magis universaliter accepta olim, non minoribus quam prima premitur difficultatibus; nam tria argumenta contra primam thesin allata hic adferri possunt. Praeterea sonus ille non ab echo derivari potest; nam vox, quam echo resonat, manet simplex, contra sonus tonitrûs est varius, de regione coeli in alteram veluti delatus et amplificatus. Itaque apparet utramque thesin non sufficere ad tonitru explicandum. Probanda igitur est sententia tertia, idque facit se-

sequens experimentum: si gas hydrogenio in cylindro contento flamma admoveatur (in contactu cum atmosphaera) editur sonus, qui aliquomodo tonitrum refert. Si igitur cogitemus ipso tempestatis tempore amplum vacuum in aëre nasci, facile fluit omnis tonitrû explicatio.

§. 49.

Verum undenam illud vacuum? an ex combustione gas hydrogenii per oxygenium? Haec sententia, quam magno Lavoisiero debemus, fere omnibus Physicis valde placuit, et hodie a multis adhuc laudatur. Alii vero eam rejiciunt. Lavoisierus sequentibus argumentis thesin suam defendit; hydrogenium cum oxygenio per fluidum electricum conjungitur, ita ut flamma excitetur, et formet aquam; animalia et vegetabilia, cum putrescant, quod fit maxime calente coelo, hydrogenium ejiciunt in aërem; oxygenium etiam multum aliunde in atmosphaeram fertur; calor etiam excitat et ad actionem incitat fluidum electricum. Atque adeo fluidum electricum, in atmosphaera abundans, cum aequilibrio studeat, incendat necesse est gas hydrogenium, idque cum oxygenio copulet; quo facto, aquâ repente formatâ vacuum natum est, unde tonitru oriatur.

Ingeniosa haec et Lavoisiero digna est tonitrûs explicatio. Verum gravis difficultas huic objicitur; nimirum Humboldtius et Gay-Lussacius in coelo altiori parum vel nihil gas hydrogenii invenerunt. Atque ab eo tempore plures Physici decesserunt ab hac sententia, negantes combustionem gas hydrogenii cum oxygenio, et statuerunt vacuum illud oriri ex subita vaporis in aquam concretione, oriunda a turbato electricitatis aequilibrio. Praeterea ex experimentis constitit, gas oxygenium fluidi electrici vi condensari et cum aqua conjungi, unde tunc derivarunt pluviae cadentis sub tonitru, pluviaeque vulgaris differentiam (1). Verum quaeri possit, an non atmosphaera, cum serena esset, ad examen vocata sit; et nonne probabile sit, multum hydrogenii mox ante tempestatem in aërem ferri, atque tunc continuo eniti aërem, ut quam citissime hydrogenium ex suo gremio expellat, id autem expelli fluido electrico copulando illud cum oxygenio?

Quod si admittatur, utraque sententia conjungi possit, et fortasse haecce et tonitrû

et

(1) Parrot, *Grundriss der Physik der Erde und Geologie*. p. 461.

et pluviae subitae explicatio non absona est. In tempestate fluidum electricum duplici modo pluviam subitam facit; primo combustione gas hydrogenium cum oxygenio copulat; dein evaporationem incitat, unde frigus nascitur (2), atque oxygenium magis condensatur cumque aquâ conjungitur; quae omnia cum subito eveniant vacuum oritur, in quod aër cum irruat, tonitru editur.

§. 50.

Ex hac pluviae explicandae ratione intelligere possumus, oxydationem leviorem facere pluviam illam, quae interdum aestate coelo sereno observatur, et de qua Musschenbroeckius haec memorat: „Observavi" scribit, „pluviam, licet in exi„gua copia, et rarioribus guttis delapsam ex aëre, in quo nulla conspicua nubes, „aestate, cum coelum aliquamdiu fuerat tranquillum, aestus vehemens et quasi suf„focans."

Atque etiam intelligitur, cur tonitru et pluvia fiant sine fulmine et fulgure. Si enim fingamus subito in alto coelo acre frigus ortum esse quacunque causa; vapores in aquam condensabuntur, simulque vacuum nascetur, in quod aër simili modo irruat sonumque edat. His vero objicere quis posset tonitru saepe sine pluvia percipi. Verum illud certum videtur, in terris, quibus tempestas proxime immineat, semper pluvias cadere.

Fulgurat vero sine pluvia et tonitru, idque inprimis vesperi post diem calidam. Procul dubio fulgur suas causas agnoscit in turbato fluidi electrici aequilibrio; ex iis enim quae antea diximus, apparet, coelum calidum abundare fluido electrico; cum igitur sole occidente temperatura aëris minuatur, minuitur etiam electricitas atque jam satis causae est, ut hujus aequilibrium turbetur, quod, quum restituatur, fulgur et fulmen cernuntur.

§. 51.

Si tandem omnia, quae in priori capite monuimus, colligamus, apparet, phaenomena electrica varia esse variis anni temporibus, vario telluris climate, immo uno eodemque die; adeoque tempestates rarius oriri mane, quam vesperi, easque post coelum diu

(2) Vid. §§. 43 et 44.

diu siccum violentiores esse, quam post humidum. Innotescit hinc, cur nostris locis Batavis, temperatis, humidioribus, tempestates mitiores accidant, quam quidem regionibus calidioribus; cur locis quibusdam numquam; cur tandem locis montanis tam frequenter.

T A N T U M.

Veniet tempus, quo ista, quae nunc latent, in lucem dies extrahet et longioris aevi diligentia.

S E N E C A.

BAVII ANTONII NAUTA,

LEOVARDIA FRISII,

PHIL. THEOR. ET LIT. HUM. CANDIDATI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM,

A NOBILISSIMA FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Disputatio de L. Coelio Antipatro historico belli Punici Secundi, *in qua colligantur loca Scriptorum, qui ejus vel sententias, vel ipsa verba referunt, praeterea eorum, qui eandem historiae partem explicantes, tacite ejus auctoritatem sequi videantur: singulaque illustrentur adhibita interpretatione, cum historica, tum grammatica.*

PRAEMIO ORNATA D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

Quo omnis verae elegantiae pleniora Graecorum ac Romanorum scripta et sunt et habentur, quoque major ex iisdem ad liberalem cognitionem et vitae usum fructus redundat, eo gravius ferendum est, tot, tantos, tam egregios eorum libros partim temporum injuria, partim hominum socordia intercidisse. In quibus haud ultimum sane locum tenent Historici Latini, sive ad eorum numerum, sive ad pretium attenderis. Quod enim ad numerum attinet, ut Cornelium Nepotem, Sallustium, Livium, Tacitum (1) omittam, quorum vel integra perierunt opera, vel totis libris mutilata supersunt, ante horum aetatem quadraginta circiter (2) alius aliam historiae partem tractare aggressi vix paucas nobis lacinias reliquere. Quorum oratio quamvis ab eorum, quos modo nominavi, puritate et copia longissime distat, habet tamen ipsa antiquitas, quo delectet, quo se commendet, utque ejus desiderium aegerrime patiamur, efficiat. Praeterea linguae Latinae pomoeria late proferrentur certiorque lux ejus cognitioni affulgeret, si prisca illa monumenta superessent, quippe in quibus innumera fuere verba,

(1) Corn. Nepos, praeterquam quod *Vitis excellentium imperatorum* magna pars Romanos complexa deesse videtur, *Chronica* scripsit in tres aetates divisa. *Voss. de Hist. Lat.* l. I. c. 14. Sallustii nobilissimum *Historiarum* opus fere totum interiit. *Voss. ibid.* c. 15. De Livio et Tacito nota res est; sed obiter notandum, circa medium hunc annum partem e Livii libro XCI. una cum aliis veterum reliquiis in Bibliotheca Vaticana repertam esse, quod tum publicis Diariis nuntiatum est.

(2) Horum nomina et notitiam literariam exhibuit *Voss.* l. c. c. 2—13. Praecipuos item enumerat, eorum jacturam conquestus, Paulus Merula *Praef. ad Ennii fragmenta.*

ba, formae, structurae, quarum usus jam Augusti aetate plane obsoleverat. Nec minoris haec jactura facienda est critico Romanarum rerum indagatori: quamquam enim tales deinde viri secuti sunt, qui in eodem argumento versati summam fidem ac diligentiam cum pari conjungerent orationis laude, in his tamen ipsis illustrandis, emendandis, confirmandis, denique refellendis maxima fuisset illorum veterum utilitas. Hanc nobis iniqua sors invidit, nec quidquam relinquitur, nisi ut, quae diversis diversorum scriptorum locis sparsae jacent mentiones et fragmenta, colligamus, disponamus, quantum fieri possit, illustremus, atque sic veluti mortuos ad vitam ac salutem revocemus.

Spectavit hoc Nobilissimus Literatorum Ordo in Academia Lugduno-Batava, quaestionem ponens, qua postulabatur „ Disputatio de *L. Coelio Antipatro*, *Historico* „ *Belli Punici Secundi:* in qua colligantur loca scriptorum, qui ejus vel sententias, „ vel ipsa verba referunt; praeterea eorum, qui, eandem historiae partem explicantes, „ tacite ejus auctoritatem sequi videantur: singulaque illustrentur adhibita interpreta„ tione, cum historica, tum grammatica." Cujus rei difficultatem si cum mearum virium tenuitate contulerim, parum abest, quin operis perficiendi desperatione debilitatus in primo limine subsistam. Sed illud reputans, in arduis negotiis ipsam tamen voluntatem laudari, vestramque, Viri Clarissimi! benevolentiam deprecatus ad institutum accedo: cujus tractationem in tria capita distribui.

Capite primo de ipso ejusque libris pro virium ac subsidiorum paucitate exponam. Subsidiorum dico paucitatem; parca enim apud veteres scriptores Coelii mentio injicitur, eaque loca fere omnia Ger. Jo. Vossius occupavit; ut mihi non nisi spicae aliquot post illius messem legendae supersint. Itaque ne rem actam agere viderer, totum ejus locum ita exscribendum putavi, ut quae ad pleniorem Coelii notitiam vel addi vel fusius explicari possent, ea partim annotationum loco Vossianis insererem, partim seorsum in fine adjicerem.

Fragmentorum ipsorum duplex genus est, diversum illud pro diverso eorum, qui servaverunt, consilio. Grammatici, Gellius, Nonius, Priscianus, alii, potissimum id agentes, ut vetustiorum formarum ac verborum usum et significationem Coelii quoque exemplo illustrent, auctoritate muniant, ipsa ejus verba referre solent. Quo quidem genere praecipue contineri videtur haec qualiscunque deperditi scriptoris restitutio. Contra Cicero, Livius, omnesque illi, quibus rerum, non verborum causa ejus libros evolvere curae fuit, sententias tantummodo tradidere suo sermone expressas. Quam distinctionem ut Clarissimi Viri minime neglexerunt, ita mihi rationem ejus habendam esse putans, *Capite secundo* prius illud, *tertio* alterum reliquiarum Coelianarum

rum genus complectar. Nam quod in quaestione additum est: *qui eandem historiae partem explicantes tacite ejus auctoritatem sequi videantur*; hujus rei cognoscendae vix alius fons sit, nisi observata singulorum quorumdam fragmentorum convenientia, plerumque in rebus, interdum etiam in verbis, cum aliquo loco scriptoris eamdem historiae partem explicantis. Quapropter hoc non separato capite tractare, sed per reliquum disputationis cursum, quoties talia loca obveniant, indicare praestiterit. Ceterum in secundo capite loca disponam secundum Coelii librorum ac rerum probabiliter in quoque libro narratarum ordinem, in tertio pro scriptorum, apud quos exstant, varietate.

CAPUT PRIMUM.

DE L. COELIO ANTIPATRO EJUSQUE LIBRIS.

Nomen fuit *L. Coelius Antipater*, uti plene scriptum occurrit apud Ciceronem *Brut.* c. 26. *Orat.* c. 69. *Antipater* idem habet *de Orat.* l. II. c. 12. *de Leg.* l. I. c. 2. *Coelius Antipater Non.* c. 2. n. 307. col. 544. (*ed. Gothofredi*): alias autem plerumque simpliciter citari solet *Coelius* vel *Caelius*. Utro enim modo scribere oporteat, et hodie dissentiunt eruditi, et olim ipsi veteres dissensisse videntur. Vossius in opere *de Hist. Lat.* hanc scripturam exprimendam curavit; sed alteram illam Ernestius in Cicerone suo, et in Livio Drakenborchius, qui ad l. XLIII. c. 21. §. 1. ita disputat: „ *L. Caelius.* Ita primum ed. Paris. anni 1573. et pleraeque postea excusae. Priores omnes, quas vidi, cum nonnullis recentiorum *L. Coelius.* Utroque modo hoc in marmoribus exarari, rationemque, cur id fiat, docet Pighius in Annal. Rom. ad a. u. DCXXV. pag. 28. In nummis vero tantum vel *Coelius* vel *Coilius* scriptum vidi. Priorem orthographiam revocavi, quia eam semper antea receperunt editores Livii." Cujus sententiae favere videtur alius locus l. XXI. c. 38. ubi pro *Coelius* in nonnullis codicibus ipso indicante legitur *collium* et *Collius*, quod sane facilius pro *Coelius*, quam pro *Caelius*, librarii substituere potuerunt. Quamquam

quam hinc illud tantum effici possit, Livium sic scripsisse; cum contra in Dionysio Halic. legatur Καίλιος, atque semper in hoc nomine variari moneat *Ruhnk. ad Vell. Paterc.* l. II. c. 36. §. 2. ut vel Perizonius ibi citatus diversas gentes putaverit. In MStis haec nomina *Celius* et *Cecilius* absque diphthongis exarari solere Drakenb. observat ad *Liv. Epit.* CXI. Add. hic et Sigon. ad l. III. c. 65. l. XXVIII. c. 46.

Coelios autem *Sigon. de Nominibus Romanorum apud Gothofr.* col. 1424. lin. 25. ortos tradit a Coele Vibenna Etrusco, qui se Romam regnante Romulo contulerit, Coeliumque montem de suo nomine appellasse perhibetur. Qua de re varias scriptorum sententias retulit *Lips. ad Tac. Ann.* l. IV. c. 65. Tres Coelios tribunos plebis, C. Coelium, M. Coelium Rufum, et Q. Coelium Latiniensem memorat Cicero locis ab Ernestio citatis Cl. *Cic. V. V.* unde patet hanc gentem, vel certe quasdam ejus familias plebejas fuisse. Neque ullo curuli magistratu nobilitata est ante C. Coelium Caldum, qui A. U. 659. homo novus ad consulatum pervenit. Hunc aliosque Coelios recensent *Ern.* l. l. et *Drakenb. Ind. in Livium.* Praeter quos apud *Servium ad Georg.* l. I. vs. 77. Coelius aliquis occurrit, qui de agricultura scripsisse, et apud *Charisium* col. 60. (ed. Putschii) Coelius Numerius, qui poëta fuisse videtur. Denique Coelii Antipatri Sidonii poetae Cicero meminit *de Orat.* l. III. c. 50. *de Fato* c. 2., quem cum Caecilio Statio comoediarum scriptore a nonnullis confundi monet *Fabric. Bibl. Lat.* tom. III. p. 260. — Nos jam de nostro Coelio Antipatro Vossium audiamus, *de Hist. Lat.* l. I. c. 8. p. 10 sq. haec dicentem:

„ Circa haec tempora (1) florere etiam coepit L. Caelius Antipater, quippe *Fan-* „ *nio aetate conjunctus*, ut Cic. primo de Leg. [c. 2.] ait (2): Sisenna autem antiqui-

(1) i. e. circa A. U. 624. quo Sempronium Tuditanum consulem fuisse proxime ante dixerat. Ut autem annum, quo Coelius natus sit, accurate definiri non patitur indiciorum penuria, ita non multum opinor a vero aberremus, si annum istum includamus decennii spatio, quod fuit ab A. U. 590—600. In hac certe conjectura nihil esse, quod vel veterum auctoritati vel temporum rationi repugnet, ad singula loca Vossio citata docere conabimur.

(2) Ciceronis verba sunt: „ Si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quamquam ex his alius alio „ plus habet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes? Fannii autem aetate conjunctus „ Antipater etc." Ubi pro *aetate* fortasse legendum est *aetati*; si quidem *conjunctus* hac in re non ita cum solo ablativo poni solet, sed vel cum dativo, ut *Brut.* c. 63: „ Conjunctus igitur „ Sulpicii aetati P. Antistius fuit," vel cum praepositione *cum*, ut *ib.* c. 64. „ mea cum aetate, „ et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore conjungitur." Quaeritur autem de ratione Chrono-

„ quior, ut disertim Vellejus Paterculus scribit l. II. [c. 9.] (3). Sed inprimis de „ aetate ejus illustris est locus Valerii Maximi I. I. c. 7. [Rom. ex. 6.]: unde „ Gracchorum temporibus vixisse ipsius Caelii testimonio comprobatur. Nam cum re„ tulisset Valerius, ut C. Gracccho in somno se obtulisset effigies Tiberii fratris at„ que ei dixisset, nulla ratione fatum illud vitare posse, quo ipse, e Capitolio pul„ sus, occidisset: verba haec subjungit: *Caelius, certus Romanae historiae auctor,* „ *sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scribit* (4). Etiam „ ae-

nologica, quare Cicero Fannii potius, quam Pisonis aetati conjunctum Coelium dixerit; cum tamen Piso, si magistratuum, quibus uterque functus est, calculos ineris, non modo Fannio non vetustior, sed vel anno post eum natus inveniatur. Hic enim A. U. 615, quo praetor factus est, ex lege Villia non minor 40 annis esse potuit, natus igitur A. U. 575. Piso vero, si consulatum a se gestum A. U. 620, quam primum per leges licuit, capessivit, natus esse debuit A. 576. Itaque vel statuendum est, hunc jam aetate provectiorem ad honores pervenisse, atque sic Fannio fuisse natu majorem; vel certe Fannium vitam diutius protraxisse, eoque adhuc superstite, mortuo Pisone florere coepisse Coelium Antipatrum. Quidquid hujus rei sit, videtur quidem Fannius Coelium aliquantum aetate antecessisse, eamque vim esse posse verbi *conjunctus*, probabile fit e cognato *adjunctus*, *Brut.* c. 29. „ Iis (M. Penno ceterisque) adjuncti sunt C. Curio, M. Scaurus, „ P. Rutilius, C. Gracchus," quem C. Gracchum M. Pennus paulum aetate antecessisse dicebatur c. 28. in f. Ceterum ad hanc aetatis conjunctionem Cicero respicit *ib.* c. 26, ubi a Fannio, Mucii mentione interjecta, ad Coelium progreditur.

(3) „ Vetustior Sisenna fuit Coelius." Ubi notandum est, superiora verba „ historiarum auctor „ *jam tum* Sisenna erat juvenis," non pendere a proxime praecedentibus de bello Numantino, sed laxius capienda esse de universo illo *tractu temporum* et *aevi spatio*, quod hoc capite Vellejus persequitur. Bellum enim Numantinum confectum est A. U. 621; at Sisennam *Cicero Brut.* c. 64. interjectum fuisse tradit inter duas aetates Hortensii et Sulpicii. Et hic quidem natus videtur circa A. 632, quippe qui C. Norbanum majestatis accusavit A. 660, et anno priusquam causam hanc egit, *adolescentulus* dicitur a Crasso ap. *Cic. de Orat.* l. II. c. 31. Licet enim hanc vocem non semper arctissimo sensu intelligi debere docet *Cortius ad Sallust. Catil.* c. 3. n. 5, vix tamen ille major fuerit 27 annis. Hortensius autem quando vivere coeperit, nos dubitare non sinit idem Ciceronis locus *Brut.* c. 64. ubi L. Crasso Q. Scaevola Coss. i. e. A. U. 659. primum in foro dixisse traditur, annos tum 19. natus, ut natales ejus incidant in A. 640. Duobus his annis 632 et 640. interjectus Sisenna fortasse in lucem editus est A. U. 636, eoque Coelius ex nostra computatione vetustior fuit circiter annis quadraginta.

(4) Diligentius etiam Cicero, qui *de Divin.* l. I. c. 26. idem somnium referens adjicit, „ antequam tribunus pl. C. Gracchus factus esset" hoc audivisse Coelium. Audivit igitur ante A. 630, quo tribunus ille renuntiatus est.

„ aetatem ejus inde cognoscimus, quod L. Crassi magister fuit, ut est apud Cicero- „ nem in Bruto [c. 26.] (5). Quodque historiam suam scripsit ad L. Aelium Sti- „ lonem, Varronis magistrum. Cui et Lucilius satiras misit, ut indicat versus iste „ ap. *Cornificium* IV. *ad Herenn.* [c. 12.]:

„ Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli" (6).

„ quodque pares aut suppares fuere Rutilius et alii, quos Pomponius recenset his verbis „ *de Orig. Juris* [l. 2. §. 40]: *Ab his profecti sunt P. Rutilius Rufus, qui Romae* „ *con-*

(5) Dicitur ibi „ juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi magister." Quae Ciceronis auctoritas opponi potest Pomponio, qui loco mox citando plus eum eloquentiae, quam juris prudentiae operam dedisse tradit. De L. Crassi aetate classicus locus est *Brut.* c. 43, unde A. U. 614. natum esse constat. Ejusdem dicitur familiaris *de Orat.* l. II. c. 12. Et honestae profecto conditionis fuit, siquidem ante T. Otacilium Pilitum Cn. Pompeji Magni magistrum „ historiam nonnisi „ ab honestissimo quoque scribi solitam" fuisse testatur Nepos ap. *Suet. de cl. Rh.* c. 3.

(6) Videtur igitur Vossius pro *Laelio*, quod est apud *Cic. Orat.* c. 69. („ a Laelio, ad quem „ scripsit"), legere *L. Aelio.* Cortius quoque in Fragmentis Historicorum veterum Sallustio adjectis haec Coelianis praeponit: „ *ad Aelium Stilonem.*" Quae correctio si recipiatur, simulque pro veris sumantur, quae supra de Coelii anno natali statuimus, jam ex hac Aelii mentione quodammodo cognoscimus id, quod in omni historico scire permagni est, quanam ille vitae tempestate suum opus condiderit. Ut enim, quae de Stilone memoriae sunt prodita, singula parum ejus aetati definiendae conducunt; ita ex iis inter se conjunctis et collatis non sine veri specie efficere mihi videor, eum natum esse circiter A. U. 620. Prius quidem nasci vix potuit: si quidem et Cottae orationem scripsit, quae lege Varia inscribitur, habitam A. 664; et aliis alias orationes, quas cum scriberet, apud eum Cicero fuit *adolescens*, ut ipse narrat *Brut.* c. 56, id est, opinor, 21 ferme annos natus, igitur A. 668 vel 669. In hos eum labores incubuisse non credibile est 50 annis majorem. Neque tamen multo post A. 620. natum esse colligitur ex comparata Lucilii aetate, qui Satiras ei inscripsit. Hic, quem A. 620. bello Numantino militasse refert *Vell.* l. II. c. 9. §. 4, natus videtur circa A. 600. Jam neque Lucilium 50 annis majorem satiras scripsisse probabile est, neque Stiloni 30 annis juniori istud honoris amicitiaeque munus tributum esse; quorum tamen alterutrum factum sit necesse est, si majori quam 20 annorum intervallo amborum aetatem disjunctam statuamus. Quod si Lucilium ante A. 650. Aelio suum opus inscripsisse vix hujus aetati consentaneum videtur, ne Coelius quidem hoc fecerit: atque igitur ad minimum quinquagenarius aut sexagenarius Historias ediderit. Quam opinionem haud sciam, an confirment modo citata Ciceronis et Valerii Maximi de Gracchi somnio verba, quae legenti levis quaedam nascitur suspicio, tempus istud, quo Coelius audiverit, a tempore, quo scripserit, aliquanto annorum spatio remotum fuisse.

„ *Consul* (7) *et Asiae* **Proconsul** *fuit*, *Paulus* (8) *Virginius*, *et Q. Tubero ille Stoi-* „ *cus Panaetii auditor*, *qui et ipse Consul* (9). *Etiam Sex. Pompejus*, *Cn. Pompeji* „ *patruus* (10) *fuit eodem tempore; et Caelius Antipater*, *qui historias conscripsit*: „ *sed plus eloquentiae quam scientiae juris operam dedit.*" Scripsit historiam (11) belli Pu-

(7) A. u. c. 649. *Voss. de Hist. Gr.* l. I. c. 22. *de Hist. Lat.* l. 1. c. 9. Dubium igitur, quo modo *Vell.* l. c. §. 6. hunc aequalem Sisennae dicat: nisi forte alius ibi Rutilius intelligendus sit.

(8) *Ernestius cl. Cic. V. A. Virginius* pro *Paulus* h. l. legendum censet *Aulus*, quem A. Virginium ac P. Rutilium adolescentes senex Laelius amicitia sua amplexus dicitur *Cic. Lael.* c. 27. Stockmannus autem ad *Bachii Hist. Jur. Rom.* l. II. c. 2. §. 38. Pauli nomen retineri posse putat, duosque diversos fuisse Virginios.

(9) Eumdem Rutilii aequalem fuisse patet e *Cic. ad Att.* l. IV. ep. 16, citata *Vossio de Hist. Lat.* l. I. c. 12.

(10) Hujus aetas partim inde conficitur, quod floruit adhuc A. U. 662, quo sermonem *de Oratore* Tullius induxit, ubi memoratur l. I. c. 15. l. III. c. 21: partim, quod eum ipse Cicero cognovit. *De Off.* l. I. c. 6.

Ceterum de tempore, quo vixerit Antipater, addendus est *Cic. de Divin.* l. I. c. 26: „ Omnes „ hoc Historici, Fabii, Gellii, sed *proxime* Coelius," id est, minimo intervallo a nostra aetate remotus, Fabiis Gelliisque posterior. Quod in Fabiis aliunde confirmatur: siquidem antiquissimus ille Pictor floruit bello Punico secundo; alter etiam Q. Fabius Maximus Servilianus plus centum annos Coelium aetate antecessit, *Voss. de Hist. Lat.* l. I. c. 3, 7. Neque ullum comperio Fabium Historicum Antipatri ac Ciceronis aetatibus interjectum. At de Gelliis obstant illa *de Leg.* l. I. c. 2: „ Ecce autem successere huic (Coelio) *Gellii*, Clodius, Asellio," uti nunc legitur, ex conjectura *Vossii ib.* c. 8. p. 11, cum antea pro *Gellii* esset *belli.* Quae difficultas ut tollatur, equidem, si a tanto Viro dissentire liceat, retinere maluerim *belli*, idque ironice accipere, quali sensu paulo ante de Annalibus Pontificum dixerat: „ quibus nihil potest esse jucundius," toto scilicet capite id agens, ut historiam a suis hominibus adhuc aut ignoratam aut relictam esse ostenderet.

(11) Coelianus labor a Grammaticis duplice nomine citatur: — *Annales* appellat *Nonius* c. 2. n. 156. col. 533. n. 231. col. 539. n. 466. col. 557. n. 681. col. 573. c. 10. n. 33, 35. col. 770; *Historias* autem *Gellius* l. X. c. 24. *Macrob.* l. I. c. 5. *Charis.* col. 182, 183, 193. *Prisc.* col. 607. *Serv. ad Aen.* l. IV. vs. 390. Ne tamen duplex diversum opus intelligi putes; nam eadem varietate alii quoque veteres Historici laudantur. Ita Catonis Origines *Charis.* l. II. vocat *Historias*, *Epit. Liv.* l. XLIX *Annales.* Tanusii libri, quos *Seneca* Epist. 93. *Annales* dicit, *Historiae* audiunt *Suetonio Caes.* c. 9. Cassium Heminam *Annalium* auctorem vocat *Plin.*

„ Punici, ut ait Tullius in Oratore [c. 69]. De bello sane Annibalico egisse satis ex „ fragmentis liquet (12). De dictione ejus variis in locis Tullius loquitur. Ut in Bru-

H. N. l. XIII. c. 13; ejusdem *Historiarum* Diomedes meminit. Quin triplice nomine Claudii Quadrigarii libri citantur, modo *Annales*, modo *Historiae*, modo *Res Romanae*. Quid, quod Priscianus in uno libro X. Pisonem laudans *Historiarum* et *Annalium* nomina permutat? Vid. *Voss.* l. c. p. 7, 9, 14. Quae citationum varietas maximam partem derivanda videtur ab horum nominum apud veteres parum definito et fere promiscuo usu. Omnium antiquissimum historicum opus fuerunt *Annales maximi* pontificum, quos et orationis tenuitate et nominis simplicitate secuti Fabius Pictor, Scribonius Libo, Calpurnius Piso, Cassius Hemina aliique suos libros *Annales* appellarunt. *Cic. de Orat.* l. II. c. 12. In quo genere cum deinde major diligentia ornandique studium invaluisset, sensim cum ipsa re nomen immutari coeptum est. Itaque aliorum opera *Historiae* inscribebantur, aliorum *Res Romanae;* fuerunt etiam, ut Valerius Antias, qui priscam *Annalium* appellationem retinerent. Necdum tamen satis constabat, qua nota hi discernendi essent ab *Historiis;* ut Sempronius Asellio in operis aditu hoc sibi exponendum duxerit, quod fragmentum servavit *Gellius* l. V. c. 18. Post etiam hac de re disputarunt *Gell. l. c. Serv. ad Aen.* l. I. vs. 377. cf. *Voss. de Arte Hist.* c. I. *Sigon. et Drakenb. ad Liv.* l. I. c. 1. *Gron. ad Tac. Ann. princ.* Ergo facile fieri potuit, ut Grammatici, *Annalium* et *Historiarum* nomina veteri illo aevo fere eamdem vim habuisse crederent, et hinc de titulo accurate indicando non nimis essent solliciti, dum universe, quem librum innuerent, intelligeretur; praesertim si memoriter, ut aliquando factum videtur, loca scriptorum adducerent. Inde vero nobis ista difficultas exstitit, ut in nonnullis Historicis de vera operum inscriptione ambigamus, ut in Coelio nostro, de quo quamvis certo statui nequit, potius tamen sequendus videtur major eorum numerus, qui *Historias* vocant: hujusque nominis novitas fortasse placuit ei, qui secundum *Ciceronem l. c.* „ paululum se erexit, et addidit his„ toriae majorem sonum vocis." Cf. *de Leg.* l. I. c. 2. Accedit Pomponii auctoritas, cujus diserta verba: „ Coelius Antip. qui Historias conscripsit," paulo ante Voss. attulit. Idem denique censet Sigon. ad Liv. l. c. Neque est, quod in contrariam nos opinionem adducat *Liv.* l. XXII. c. 31, ubi Coelium Annalium scriptoribus accensere videri possit. Hic enim *annales* laxiore sensu pro *historia* accipiendum est ex Livii consuetudine, cui vocabulum istud ob veterem quandam gravitatem inprimis placuit, ut suas etiam *Historias* eo nomine memoret l. XLIII. c. 13; ubi vid. quae docet J. Fr. Gronovius a Drakenborchio laudatus ad l. I. c. 1.

(12) Ex iisdem fragmentis intelligitur, ab hujus belli principio Coelium Historias orsum esse; siquidem ex earum libro *primo* Grammatici nonnulla de Barca, de Saguntinis, de Sempronio citant, quae aptissime huc referantur. Alia quidem ipsi tribuuntur, ad aetatem longe vetustiorem spectantia; sed ista loca pleraque ei videntur abjudicanda. Ita quae *Non.* c. 4. n. 452. col. 713 ex *Coelii Ann.* l. I. laudat: „ Et Latini subnixo animo ex victoria inerti consilium in„ eunt,"

„ Bruto [c. 26]. *L. Coelius Antipater, scriptor (quemadmodum videtis) fuit, ut*
„ *tem-*

„ eunt," fortasse pertinent ad Latinorum (*a*) consultationem, de qua *Liv.* l. VIII. c. 3; certe nullo modo cadunt in belli Punici narrationem. Hoc vero fragmentum una cum tribus aliis, item a *Nonio* c. 2. n. 141. col. 532. n. 343. col. 547. n. 466. col. 557. Coelio adscriptis, Claudio Quadrigario vindicat *Gell.* l. XVII. c. 2. In quo utrius major sit auctoritas, non longam disputationem requirit: Gellii, qui Claudium biduo superiore lectum eo capite de industria excerpendum sibi sumserat, an Nonii, quem, quod supra jam verbo monui, scriptorum loca, prouti quaeque memoriae praesto erant, in chartam conjecisse, vestigium haud unum declarat. Ejusmodi quid deprehendimus c. 2. n. 465. col. 557, ubi Virgilium, n. 547, 548. col. 563, ubi Varronem excitans nuda nominum appellatione defungitur, opere libroque non adjectis; credo, quia talem versum ac sententiam apud hos aliquando se legere meminisset, ubi vero loci legisset, non amplius teneret. Eidem tribuendum causae videtur, quod ib. 787. col. 581. scribit: „ apud alium auctoritatis „ incertae." Tum lapsus mnemonicus apparet *ib.* n. 567. col. 564: „ *Ministratrix*, positum pro „ *ministra*, *Cic. de Orat.* Sed omneis comites ministratricesque esse Oratoris diceres." Obversatum ei fuit, l. I. c. 17; ibi vero legitur: „ Sed ut omnes comites ac ministras Oratoris esse diceres." Add. n. 808. col. 583. collato *Cic. ib.* c. 41. Lipsius quoque *Var. Lect.* l. I. c. 7. *Epistol. Quaest.* l. V. ep. 2. Nonii negligentiam perstringit. Hunc igitur Gellio postponendum existimo, nec illa fragmenta Coelii esse, sed Claudii Quadrigarii. — Solinus autem *Polyhist.* p. 6, ubi de Caco agit: „ Hic (ut *Coelius* scribit) cum a Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat Marsiae re- „ gis, socio Megale Phryge, custodiae foret datus, frustratus vincula, unde venerat, rediit" etc. Sed hic vel recipiendum est, quod in editione Camertis Anonymus ad Coelii nomen annotavit: „ Vet. cod. „ *Gellius* habet; et citatur sane a Plinio saepissime Cn. Gellius:" vel Solinus innuit Cajum Coelium, a Lucio diversum, quem eumdem in Aeëtae filiabus enumerandis auctorem laudat p. 64. Ex argumenti similitudine, quod in rerum antiquarum obscuritate urbiumque Originibus versatum fuisse apparet, ad hunc C. Coelium ea quoque retulerim, quae Serv. habet ad *Aen.* l. X. v. 145: „ Coelius, qui Trojanum Capyn condidisse Capuam tradidit eumque Aeneae fuisse sobrinum." — Magis impedit Ciceronis locus *de Divin.* l. I. c. 26, ubi bello Latino ludos votivos maximos repentino hostium impetu intermissos, deindeque instauratos, iterum instaurari debuisse tradit ob rustici cujusdam somnium, haec ab initio praefatus: „ Omnes hoc Histori, Fabii, Gellii, sed pro- „ xime Coelius." In quo nulla conciliandi ratio succurrit, nisi ut statuamus Antipatrum, postquam somnium C. Gracchi, de quo Cic. hoc ipso capite, aut Hannibalis, de quo c. 24, retulisset, per digressionem aliud consimile divini somnii exemplum ex veteri memoria excitasse.

Ita-

(*a*) Hi quidem *inerti* i. e. facili victoria Samnitum agros depopulati, certaminibus superiores erant, c. 2. Similiter l. XXVIII. c. 6. Sulpicius dicitur „ tam facili ad Oreum successu elatus," sive superbus, idem quod *Subnisus.* cf. l. XXVI. c. 14; „ Ap. Claudium et Q. Fulvium, victoria insolenti subnisos."

„ *temporibus illis* (13) *luculentus.* Idem l. II. de Orat. [c. 12]: *Paululum se ere-*
„ *xit, et addidit historiae majorem sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, An-*
„ *tipater: ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.* Et con-
„ tinuo post: *Est, inquit Catulus, ut dicis: sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam*

Itaque principium Historiae Coelianae in bello Punico secundo collocandum est, cujus belli narratione, quantum ex fragmentis colligere licet, septem libros priores implevit, iisque praemisit et proöemium et vero singularem titulum *Bellum Punicum. Cic. Orat.* c. 69. Similiter Cassius Hemina quartum suorum Annalium librum separato nomine inscripserat *Bellum Poenicum posterior* auctore *Prisc.* l. VIII. Mirum autem, pleraque omnia, quae Coelii supersunt, ex his libris esse: in rebus bello Punico secundo posterioribus uno tantum lòco testis ille producitur ap. *Cic. de Divin.* l. I. c. 26. de somnio Gracchi: nisi haec quoque digressio sit, cui locum dederit Hannibalis somnium. Nam quod *Plin. H. N.* l. VIII. c. 5. de duobus Antiochi elephantis ex Antipatro refert, id perperam a Cortio inter Coeliana positum esse liquet e *Plinii* l. I, ubi in auctorum recensione, quibus ad librum VIII. usus sit, inter Romanos Coelium omittit, externis autem annumerat Antipatrum. *Voss. de Hist. Gr.* l. III. p. 160. esse putat ex Antipatri opere περὶ ζώων, quod citat Apollonii Rhodii Scholiastes.

Et hic post expositum Coeliani operis titulum et argumentum, jam opportunus disputandi locus esset de fide ejus historica. Quae tamen quaestio cum paulo plura continere videretur, equidem nunc Vossii vestigiis inhaerere malui, mox ad illam progressurus.

(13) Praecesserant enim Fabius, Cato, Piso, Fannius, alii. Quorum dicendi genus languidum et exile passim Cicero reprehendit, ut *de Orat.* l. II. c. 12. *de Leg.* l. I. c. 2, *Brut.* c. 27, ubi Piso reliquisse dicitur „ annales sane exiliter scriptos." Hos, ut e conjunctis locis a Vossio citatis intelligitur, Coelius superavit, idque potissimum vi et ubertate, tum ornamentis quibusdam adhibendis, veluti fictis orationibus et pugnarum descriptionibus. Utriusque generis vestigia nonnulla servantur in fragm. 4, 7, 13, 19, 33. Ceterum haec fragmenta pauciora brevioraque sunt, quam quibus judicium Ciceronis aut confirmari aut redargui possit. Operae tamen pretium sit, quibus verbis et Cato et Coelius eamdem rem expresserint, observare; cujus comparationis copiam nobis facit Gell. utriusque fragmentum exhibens l. X. c. 24. Verba sunt unius e Karthaginiensium ducibus post pugnam Cannensem Hannibalem adhortantis, ut se continuo Romam mittat:

CATO	COELIUS
„ Mitte mecum Romam equitatum; die quinti in „ Capitolium tibi coena cocta erit."	„ Si vis mihi equitatum dare et ipse cum cete- „ ro exercitu me sequi, die quinti Romae in „ Capitolium curabo tibi coena sit cocta."

„ *riam varietate locorum; neque verborum collocatione* (14), *et tractu orationis leni et* „ *aequabili* (15) *perpolivit illud opus; sed ut homo neque doctus, neque maxime ap-* „ *tus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores.* Item in Ora- „ tore [c. 69]: *sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc* „ *secuti non tenuerunt, simile faciamus; ne aut verba trajiciamus aperte* (16), *quo me-* „ *lius aut cadat, aut volvatur oratio; quod se L. Coelius Antipater in prooëmio belli* „ *Punici, nisi necessario, facturum negat. O virum simplicem, qui nos nihil celet:* „ *sapientem, qui serviendum necessitati putet! Sed hic omnino rudis.* Item l. I. de Leg. „ [c. 2.] *Fannii aetate conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vi-* „ *res agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra* (17), *sed tamen admo-* „ *nere reliquos potuit, ut accuratius scriberent.* Ex Caelio hoc quaedam refert Cic. „ Lib. I. de Divin. Liv. l. XXI, XXII, XXVI, XXIX, item Gellius, Charisius, Festus, „ Servius, Nonius, Priscianus, Philargyrius, qui in secundum Georg. ex septimo Cae- „ lii citat: *Consuetudine uxoris, indulgitate liberûm* (18). Tanti autem historicum „ hunc fecit M. Brutus, ut in compendium redegerit (19). Cic. ad Att. l. XIII.

ep.

(14) De hac virtute Cic. praecipit l. III. c. 43. Eam in Catone desiderat *Brut.* c. 17: „ ipsa „ verba compone et quasi coagmenta — jam neminem antepones Catoni." Contra Timaeus mox c. 14. dicitur „ compositione verborum non impolitus."

(15) Hic erat Historici proprius e sententia Ciceronis. cf. c. 15: „ Genus orationis fusum at- „ que tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens persequendum est." Eamdem intelligi, quam *Aristot. Rhetor.* l. III. vocaverat εἰρομένην λέξιν, monet *Voss. Art. Hist.* c. 29.

(16) Pro eo in capitis fine dicit: „ ita trajicere, ut id de industria factum intelligatur." Quod tamen vitium Coelius effugere non potuit; sed, ut est in medio cap. „ utitur ea trajectione ver- „ borum, et nihilo tamen aptius explet, concluditque sententias." Huc forte referri possit fragm. 2. „ Antequam Barca perierat, alii rei causa in Africam *est missus.*" Pro quo sermo vulgaris ferret: *missus est.*

(17) *Nitor* et *palaestra* propterea conjunguntur, quod in hac juvenes oleo delibuti nitescere solebant. Sensus autem est, Coelio defuisse venustatem illam, inprimis in apta verborum structura et conclusione, quam item cum palaestra Cic. comparat *Orat.* c. 68. Ceterum *summis auctoribus* Coelium accensere videtur Quintil. l. I. c. 6.

(18) Addendus est Livii lib. XXVII, tum Plinius, Valerius Maximus, Quintilianus, Macro- bius, Caper et Marcianus Capella.

(19) Amabat hunc laborem Brutus; nam idem et Polybii fecit epitomen, de quo locus est Plutarchi, citatus inter *Excerpta Polybii* p. 1511. (*ed. Casaub.*), et Fannii Annalium. *Voss. de Hist. Gr.* l. I. c. 19. *de Hist. Lat.* l. 1. c. 7. quo loco similem notavit Manutii errorem. Ce-

„ ep. 8. *Epitomen Bruti Caelianorum velim mihi mittas.* Paulus Manutius minus asse-
„ cutus est Ciceronis mentem, cum intelligit librum de illustribus in Caelia familia vi-
„ ris. vide eum in Cic. ad Att. l. XII. ep. 5. At Hadrianus imperator Caelium
„ etiam Sallustio praeferebat, nempe eodem jure, quo Ciceroni Catonem, Virgilio prae-
„ posuit Ennium, antiqui sermonis amator: ut de eo scribit Spartianus in Hadriano [c. 16]
„ (ubi in plerisque libris corrupte legitur *Caecilius*). At cave Caelium hunc confundas
„ cum Cecilio, itidem Romanae historiae scriptore, de quo Strabo l. V. [p. 230]:
„ καὶ ὁ Κεκίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσ-
„ μα τὴν Ῥώμην, τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ· Vir
„ eruditus, qui fragmenta veterum historicorum collegit (20), pro Κεκίλιος legit Κέλ-
λιος

terum Charis. col. 115, 193. Paulum quemdam memorat, qui commentarium in Coelium scripse-rit: idem in Afranium annotasse traditur col. 195.

(20) Est Ausonius Popma, qui ad *Vell.* Pat. II, 9. ad verba *fuit Coelius* haec habet: „ Ejus nomen in Coecilium transiit *Strabonis* lib. V: Καὶ ὁ Καικίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς, ubi „ legendum Κέλιος." Hujus confusionis, de qua vid. etiam *Burm. ad Quintil. Instit. Orat.* l. VIII. c. 3, cum alia plurima sunt exempla, tum unum insigne ap. *Prisc.* col. 960, ubi Coelio tribuuntur eadem verba, quae ex Caecilio laudaverat col. 717. Cum autem Caecilius ille, qui scripsit historiam, Graecus fuerit, aliusque cognominis comicus Romanus, patet, apud Grammaticos Latinos, ubicunque Caecilii nomen occurrat, vel de comico accipiendum, vel in Coelium mutandum esse. Quorum utrum singulis locis faciendum sit, vel ex adjecto operis titulo; vel, ubi hic deest, ex ipsis verbis, quae afferantur, dignoscimus. Ita quoties *Caecilii Annales* aut *Historiae* vel etiam *Caecilius* lib. I, II. etc. citatur, pro eo substituendum videtur Coelii nomen. Contrario errore apud *Non.* c. 15. n. 4. col. 791. irrepsit *Coelius Foeneratore*, ubi legendum *Caecilius.* Etiam c. 1. n. 54. col. 491, ubi in Gothofredi editione est *Caecilius Hypobolimaeo Rastraria*, librariorum vitio *Coelius* legi observat *Muret. Var. Lect.* l. IV. c. 13.

Ut Coelium Antipatrum, ita M. Coelium Rufum, pro quo Ciceronis est oratio, passim cum Caecilio confundi videmus. *Ruhnk. ad Vell. Pat.* II, 68: „ Nomen ejus [M. Coelii] saepe in „ Caecilium abiit, ut ap. *Plin. H. N.* l. 7. c. 49, ubi Harduinus pravam scripturam inepte de-„ fendit ex ejusdem l. 27. c. 2. Utroque enim loco scribendum *M. Caelius.* Idem error est „ in *Prisciano* l. 6. p. 678: Caecilius: *Nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam* „ *brevi spatio datas arbitror, quam vobis.* Quod fragmentum cum ex oratione ad Quirites sum-„ tum sit, non ambigam corrigere *Caelius*; qui ab eodem Prisciano etiam laudatur l. 13. p. 960. „ Plura de hac nominum permutatione *Drakenb. ad Liv. Epit.* CXI, et nos ad *Jul. Rufin.* „ *de Fig. Sent. et Eloc.* p. 211." Quae Ruhnkenii verba propterea attuli, quia fragm. illud, quod habet *Prisc.* col. 678. Cortius inter Antipatri reliquias edidit. Jam Ruhnkenio, qui ad Coe-
lium

„ λιος, ac reponit hoc fragm. inter ea, quae sunt L. Coelii Antipatri. Sed rectum „ est Καικιλιος. Intelligendus enim Caecilius, rhetor Calactianus, qui historiam edidit „ belli Servilis, ut Athenaeo vocatur lib. VI. c. 11. Vide, quae de eo in Historicis „ Graecis diximus lib. II. cap. 4."

Haec Vossius, qui postquam idoneam nobis pleraque de Coelio dicendi praebuit opportunitatem, duo nunc adjicienda supersunt, alterum de fide ejus historica, alterum de fragmentorum editionibus.

In Historici fide ponderanda primum hoc observasse conducit, ex quibus eum fontibus hausisse vel constet vel probabili conjectura efficiatur: tum, quanta integritate, veri amore, diligentia judiciique acumine praeditus ad suum munus accesserit. Quibus in tam antiquo scriptore tertium illud accedit, quem auctoritatis locum apud istos teneat, qui propius ab ejus aetate remoti scripserunt. Singula qualia fuerint in Coelio, paucis videamus.

Antiquissimae historiae Romanae Scriptoribus cum alii, tum *Joecherus Disput. de Suspecta Livii fide* §. IV, V. objicit, eos nimia rerum vetustate monumentorumque literatorum penuria, quae maximam partem ignis absumsisset, in multis ad conjecturas ac traditiones confugere debuisse. Quae suspicio minime cadit in Coelii fidem: hic propter belli, quod tractandum sibi sumsit, nobilitatem complures, quos sequeretur, auctores habuit. Graece bellum illud memoriae prodidere Num. Fabius Pictor, Cincius Alimentus, Polybius, Postumius Albinus; Romano sermone Calpurnius Piso et Cassius Hemina: quos omnes quamquam per temporum rationem sequi potuit Antipater, nulla tamen, cur de singulis hoc aut affirmemus potissimum, aut negemus, momenta suppetunt.

De Sileno certum Ciceronis testimonium exstat *de Divin.* l. I. c. 24. „ Hoc idem in „ Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est: is autem diligentissime res Han„ nibalis persecutus est:" quae postrema penitus repugnant Dionysio Halic. l. I. Silenum non debita cura ac diligentia, sed ex fortuitis rumoribus historiam composuisse scri- ben-

lium Rufum refert, an Cortio credendum sit, Summo utrique Viro, viderint alii; nobis indicasse sufficiat, hoc fragm. in bellum Punicum secundum apte convenire. Possunt enim verba esse Magonis, splendidas res ab Hannibale fratre in Italia gestas in Karthaginiensium curia praedicantis, quam orationem *Liv.* l. XXIII. c. 11. refert. Haec in fine Mago dicit: „ Pro his *tantis tot„ que victoriis*, verum esse, grates Deis immortalibus agi haberique," ut videri possit Liv. hic Antipatrum secutus esse, si modo sunt Antipatri. *Tam continuas victorias* congruit Polybio *Excerpt.* l. IX. p. 755. Poenos ἀδιαλείπτως vicisse Romanorum exercitus scribenti.

benti, ut est ap. *Vossium de Hist. Gr.* l. III. p. 189. Neque tamen Livius l. XXVI. c. 49. eum contemnere videtur: certe verba, „ adeo nullus mentiendi modus est," quae *Joech.* l. c. §. V. not. v. ad Silenum pariter ac Valerium Antiatem refert, de hoc solo capienda esse patet ex ejusdem l. XXXIII. c. 10. l. XXXVI. c. 38, ubi in augendo numero non alium intemperantiorem Valerio dicit. Praeterea multis ille laudatur, Straboni, Diogeni Laertio, Stephano, Plinio; quae persuadent, ut hac in re Tullio malim, quam Dionysio credere. — Coelium Q. Fabii Pictoris Annalibus usum esse, probabile, nec tamen certum fit ex his *Dionysii* l. I. p. 64: „ *Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιος τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν.*" Cui scriptori belli Punici temporibus aequali nonnihil auctoritatis tribuit *Liv.* l. XXII. c. 7. Polybius in eo candorem ac diligentiam desiderat l. I. c. 14. l. III. c. 9. contra quem Fabii fidem Ernestius peculiari libello defendit citato *cl. Cic. V. Q. Fabius Pictor.* — In M. Catonis Originibus auctore Nepote „ multa industria et diligentia comparet, multa doctrina." Quod sane exspectes a tali viro, qualem Liv. describit l. XXXIX. c. 40. Has autem Coelio, cum Historiam scriberet, in manibus fuisse, facile colligeretur e comparatis utriusque locis, quae attuli p. 12. si ne indicassent quidem *Gell.* l. X. c. 24: „ et historiam autem et verbum hoc sumsit Coelius ex Origine M. Catonis," et *Macrob.* l. I. c. 4. ubi Symmachus, „ Coelius tuus, inquit, et historiam et verbum ex Originibus M. Catonis accepit." — Denique *Charis.* l. I. col. 112. hoc Coelii fragm. servavit: „ Publicatos quippe Fastos omnes et libros a Fulvio Nobiliori scripta retulisse." *Voss. de Hist. Lat.* I, 5. pro *scripta* conjicit *scriptos*, et hunc M. Fulvium Nobiliorem consulem A. U. 565. Ambracia capta Herculi ac Musis aedem consecrasse, inque ea suos Fastos posuisse tradit. Distinguit Coelius *publicatos Fastos*, i. e. publica consulum dictatorumque monumenta, de quibus *Liv.* l. IX. c. 18. et *libros a Fulvio scriptos* privato consilio, quos autem ad publicorum Fastorum exemplum *Fastos* appellavit, quemadmodum *Annalium* nomen a publico ad privatum usum transiit. vid. supra p. 10.

Haec fere Coelio res Romanas scribenti subsidia fuisse cognovimus, eique plurium etiam, ut probabile est, uberrimum usum concessit L. Crassi familiaritas. Quos tamen auctores non omnes uno loco numeroque habuisse, sed in seligendis locupletioribus aliqua cum diligentia versatum esse subindicant haec ipsius verba ap. *Prisc.* col. 792: „ Ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur," i. e. existimantur, *ὑπολαμβάνονται*, ut addit Priscianus. Memorabilis quoque locus est *Livii* l. XXVII. c. 27: „ Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quae de Marcelli morte variant auctores,

„ res, omnia exsequi velim. Ut omittam alios, L. Coelius (21) triplicem rei gestae „ ordinem edit: unam traditam fama; alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae „ interfuerit; tertiam quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert." Varios igitur cognoscendi fontes inter se conferendo, varios expendendo probabilitatis gradus ad certissimam notitiam ipse pervenire, lectores perducere studuit. Itaque apud eumdem l. XXI. c. 46. plurium auctoritatem vulgique famam deserere sustinet, quod sibi verius videtur, exponens. Qui veritatis amor nisi tantus in eo fuisset, nunquam hanc a Cicerone (*de Orat.* II, 12.) laudem tulisset: „ Vir optimus." Quin justo majorem ejus simplicitatem, qua nihil celandum putaverit, idem reprehendit *Orat.* c. 69. Dignissimus utique scriptor, cui fides haberetur, si probitatem aequasset judicium. Sed nimium rebus magnis et miris delectatus earum interdum narrationem vel cupidius arripuisse, vel levius credidisse deprehenditur. Qualia sunt, quae Liv. l. XXIX. c. 25. ex eo refert de ingenti copiarum in Africam profectarum multitudine, c. 27. de coelestibus maritimisque terroribus, qui classem illam infestaverint. Huc quoque pertinent ista somnia divina, quorum crebram apud eum mentionem fuisse, ex *Ciceronis de Divin.* l. I. c. 24, 26. patet. Praeterea locorum ac regionum, in quibus res, ab eo traditae, gestae fuere, parum videtur naturam situmque tenuisse. Exempla vid. ap. *Liv.* l. XXI. c. 38, 47.

Ceterum hic (ut jam ad ultimum historicae fidei quasi criterium veniam, posteriorum scriptorum judicia) hic igitur quamquam saepius a Coelio dissentit, multum tamen abest, ut eum aspernetur. Antiatis Valerii mendacia quo modo perstringere soleat, vix nimirum digna, quae refutentur, paulo ante dictum est. Nusquam de Coelio tale quid invenias, etiam ubi nimius mirabilium rerum amor acerbius eum notandi locum dabat. Contra plerumque in eo refellendo plus sibi laboris insumendum, rationibus et argumentis pugnandum existimavit, quo tam luculento scriptori aliquid humani accidisse ostenderet, ut l. XXI. c. 38, 47, l. XXII. c. 31. Alibi autem l. XXVI. c.

(21) Per solennem confusionem, de qua Drakenb. ad Liv. XXIX, 7. alii codices habent *Laelius Coelius*, unde facile fieri potuit, quod in aliis est, *C. Laelius*. Hunc historias scripsisse *Polyb.* l. X. c. 3. tradere *videtur*, ut ait *Sigonius*. At hoc de L. Coelio constat: contra quam lectionem illud quidem *Drak.* objicit, alibi Livium ejus praenomen omittere. Sed potuit in hoc nomine variare Livius, quemadmodum alium Historicum modo Valerium Antiatem (XXX, 19, 29. XXXII, 6.), modo Antiatem Valerium (XXXVI, 19, 38. XL, 29), modo simpliciter Valerium (XXIX, 35. XXXIII, 10.) appellat.

c. 11, 12. in re dubia Coelii potissimum auctoritatem secutus est. Ex quo scriptore postquam Hannibalis viam descripserat, haec addidit: „ id interest, veneritne eo „ itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit." *Ad urbem* hoc itinere *venisse* Poenum Coelius dixerat, eamdemque Livio sententiam placuisse colligitur, uti quoque Dukerus observat, e 12. cap. init. ubi non in Campaniam Hannibalem, sed in Lucaniam, Bruttios, Fretum ac Rhegium propere contendisse scribit, ut Capuae, quae urbs graviter obsidione laboraret, admiratio questusque orirentur. Propter ejusdem silentium l. XXIII. c. 6. certo affirmare non audet, legatos a Campanis Romam missos esse, qui postularent, ut alter consul Campanus fieret. „ Quia nimis compar „ Latinorum quondam postulatio erat, Coeliusque et alii id haud sine causa praeter„ miserant scriptores, ponere pro certo sum veritus." Vides inter illos *alios* Coelium nominatim commemorari; ipsumque ubi una cum Valerio laudat, priore loco ponere solet, l. XXVIII. c. 46. l. XXXIX. c. 35. Quamquam haec minora sunt; sed ex omnibus apparet, magni sane Livium fecisse scriptoris hujus diligentiam. — Cicero, qui disputationes philosophas exemplorum varietate conspergere amat, partim a Graecis, partim ex antiqua suae gentis memoria ductorum, neminem e Latinis Historicis crebrius Antipatro citat, quinquies quidem in uno *libro* I. *de Divin.* c. 24. bis, c. 26. bis, et c. 35; tum de *Nat. D.* l. II. c. 3. — *Valerio Maximo* l. I. c. 7. Rom. ex. 6. dicitur „ certus Romanae historiae auctor." Eumque Plinius dignum arbitratus est, e quo nonnulla suis Historiae Naturalis libris insereret.

Hujus Historici reliquias nusquam separatim editas inveni; sed nobilem locum tenet inter ceteros Historicos veteres Latinos, quorum fragmenta primus collegit Antonius Augustinus. Ea Fulvius Ursinus, ut tradit *Drakenb. Praef. ad Liv.* tom. VII. p. XLVI, „ emendatius edidit Antverpiae ex officina Plantiniana anno 1595, iisque „ junxit notas suas cum in varios alios historicos, tum etiam in Livium." Aliquot annis ante fragmenta priscorum Historicorum collegerat Anton. Riccobonus ad calcem libri *de Historia* in 8vo, Venetiis A. 1568, Basileae 1579. Dein haec fragmenta in lucem exire jussit Ausonius Popma A. 1620. in 8vo, qui libellus Sallustii quibusdam editionibus, ut Amstelodamensi 1660. in 12mo subjicitur. Novam ejus editionem Dukerus memorat ad *Liv.* l. XXV. c. 39: „ An viri docti, qui ante aliquot annos in „ Britannia Popmae fragmenta historicorum cum suis curis ediderunt, certius aliquid „ de his libris prodiderint, non scio, cum librum illum non viderim." Scripsit haec Dukerus circa annum 1740. Denique Cortius editioni suae Sallustii, quae prodiit Lipsiae A. 1724, Fragmenta veterum Historicorum adjecit, secutus, ut ipse tradit

Praef.

Praef. p. 20, „ Cl. Wassium, quod omnium optime de his particulis promeritus es„ set." Vid. *Fabric. Bibl. Lat.* l. IV. c. 4. p. 738. sqq. qui mihi notitiam hanc literariam magna ex parte suppeditavit.

CAPUT SECUNDUM.

COELII FRAGMENTA, QUAE IPSIUS VERBIS APUD SCRIPTORES SERVANTUR.

Ex Historiarum Libro I.

Fragmentum 1.

Gellius *N. A.* l. X. c. 1. „ Id etiam adscripsit, ut eadem [epistola], quid super „ illo quoque mihi videretur, facerem se certiorem; *tertiumne consul* et *quartum*, an „ *tertio* et *quarto* dicendum esset: quoniam Romae doctum virum dicere audisset „ TERTIO et QUARTO CONSUL, non *tertium quartumque:* idque *in principio libri Coe*„ *lium* scripsisse; et Q. Claudium in libro XIX. C. Marium creatum *septimo* consu„ lem dixisse. Ad haec ego rescripsi nihil amplius, quam verba M. Varronis, ho„ minis opinor, quam fuit Claudius cum *Coelio*, doctioris."

Suspicor hic post verba *principio libri* numerale signum excidisse, quo indicatum fuerit, cujusnam libri principio Coelius ista scripsisset. Ita Gell. mox Q. Claudii librum *undevicesimum* citat, et Varronis librum Disciplinarum *quartum*. Nam *liber* an bene Latine dicatur universum opus aliquot libris constans, quale Coelii fuit, valde dubium est; idque potius plurali numero *libros* appellasse videntur, ut *Gell.* l. VII. c. 11. *M. Varro* in libris de Lingua Latina:" *librum* autem certam operis partem. — Sin jam quaeras, quis numerus inserendus sit, hoc variis iisque perquam incertis conjecturis tentare licet, quia Gellii verba duplicem admittunt explicationem. Non enim satis liquet, Coeliusne isto loco de certo consulum pari egerit, quorum alter

tertio, alter *quarto* cos. fuisset, an alterutro tantum (sive *tertio* sive *quarto* cos.) usus sit, ut vocabulum *idque* universe indicet, eum hanc formam in *o* praetulisse. — Hoc si verum sit; horum verborum altero Coelius uti potuit in libri IV. principio, quem orsus sit ab A. U. 537, quo L. Postumio *tertio* consuli creato, sed a Gallis occiso Q. Fabius Maximus suffectus est ipse quoque *tertio* cos. *Liv.* l. XXIII. c. 24, 31. Nam Q. Fulvii, qui tertio cos. fuit A. U. 540, nulla ratio potest haberi, si quidem ejus anni res non initio, sed *medio* libro V. traditas fuisse ex illius libri fragmentis colligitur. Ejusdemque libri ultra mediam partem collocandi erunt M. Claudius Marcellus, qui A. U. 542. et Q. Fulvius, qui A. 543. *quarto* coss. fuere, nisi librum VI. qui Scipionis in Africam expeditionem continuit, immodicae fuisse magnitudinis arbitremur. *Liv.* l. XXV. c. 3. l. XXVI. c. 22. l. XXVII. c. 6. — Sin alteram sequamur explicandi rationem, unus intra hujus belli spatium annus est 538, qui Q. Fabium *quarto*, M. Marcellum *tertio* coss. habuit. Liv. l. XXIV. c. 9. Horum fortasse consulatus ad libri V. principium referri possit, quamquam aliud ex eodem libro fragmentum (fr. 22.) superest, quod, quantum conjiciendo assequimur, paulo priorem locum tenuerit.

Nisi forte, quod proclivius erat librario, numerum I vel II. cum praecedentis vocis *i* finali coaluisse censeamus. Potuit enim Coelius in operis aditu de belli magnitudine virisque in eo illustribus universe disserens, Fabiique inprimis virtute et consilio rem Romanam restitutam commemorans, Fabiae gentis decora paulo altius repetere: quae praeclare gessissent Q. Fab. Max. dictator, et C. Fab. magister equitum A. U. 439. L. Papirio Cursore *quarto*, Q. Publilio Philone *quarto* coss; quid idem Max. A. U. 455. ipse *quarto* cos. cum P. Decio Mure *tertio* consule; quid denique A. U. 457. cum ille *quinto*, hic *quarto* cos. esset. *Liv.* l. IX. c. 22, 23. l. X. c. 14, 15, 24—31. Cui digressioni aptior etiam locus fuit initio libri II. forsan incipientis a Q. Fabii dictatura, de qua *Liv.* l. XXII. c. 8. Fragmentum quidem, quod unum ex hoc libro diserte adducitur, ad pugnam Cannensem pertinet.

Quo discrimine Varro *tertio* et *tertium*, *quarto* et *quartum cos.* differre statuit, ut illud significet locum, ac tres ante factos, hoc tempus et ter ante factum, id vel nullum est, vel etiamsi linguae natura innitatur, usu evanuit, optimosque scriptores utroque modo dixisse Dukerus observat ad *Livium* l. XXIII. c. 9. l. XXV. c. 16. Gellii tamen aetate forma in *um* frequentius usurpabatur, ut ex hoc ipso loco apparet.

Fragm.

Fragm. 2.

Priscianus (1) l. XIII. col. 960, ubi de pronomine *alius*: „ Sed quod est mirum, „ foeminini etiam generis genitivum quidam in *i* praetulerunt. *Coelius in* I: ANTE„ QUAM BARCA PERIERAT, ALII REI CAUSA IN AFRICAM EST MISSUS."

Sumtum videtur hoc fragm. e narratione praeparati belli Punici secundi, primum per Hamilcarem Barcam, proxime per filium ejus Hannibalem. Hunc novem annorum puerum pater secum in Hispaniam duxit, ut perhibent cum alii scriptores, tum *Liv.* l. XXI. c. 1. Quem cum idem c. 3. ab Hasdrubale, qui Barcae successerat, literis in Hispaniam arcessitum, eoque (c. 4.) missum esse scribat, haec quomodo inter se conciliari possint, merito dubitat Glareanus. Sed adjicere Liv. neglexit id, quod his verbis Coelius retulit: Hannibalem patre adhuc vivo in Africam missum esse, idque non bellicae publicaeve cujusdam, sed *alius* minoris, fortasse domesticae rei causa: quae ipsa causae levitas Livium inducere potuit, ut inter res graviores hoc omitteret, ac deinde, quasi narrasset, ejus in Hispaniam reditum traderet. Videtur igitur hac in re Coelium vel secutus esse, vel certe cum ejus sententia convenire; ut alter ex altero suppleri possit. Nam quae l. XXX. c. 37. Hannibalem ad Karthaginienses dicentem facit: „ Novem annorum a vobis profectus post sextum et tricesimum annum redii:" ea non ad historicam diligentiam exigenda sunt, sed iis universe significat Hannibal, se longe maximam aetatis partem in castris inter milites vixisse: quod dicere licuit, etiamsi sex septemve annorum intervallum domi degisset. Tam diu enim circiter Karthagine mansisse inde colligitur, quod vivo patre illuc venit, quinquennio post hujus mortem in Hispaniam rediit, quandoquidem triennium sub Hasdrubale meruit (*Liv.* XXI, 4.), is per octo ferme annos exercitui praefuit (ib. 2).

Barca, non *Barcha* scribendum censet *Mur. V. L.* l. XIX. c. 17. eumque laudans *Drak. ad Liv.* l. XXI. c. 2. §. 4. Atque sic *Polyb.* l. III. c. 9. habet Βάρκα, contra *Zonaras Annal. tom.* II. p. 70. Βαρχίδης. Insolito exemplo Coelius posuit *alii rei*, contraque ipsorum veterum consuetudinem, quam observandi locus erit ad *fragm.* 4.

Fragm.

(1) Monendum videtur, me in hac disputationis parte usum esse veteri quadam Prisciani editione, quae Florentiae prodiit anno 1554. ita tamen, ut in fragm. referendis columnas Putschii, prius enotatas, apponerem, quoniam haec editio plerumque citari solet.

Fragm. 3.

Nonius Marcellus c. 2. n. 96. col. 529: „*Bellosum*, bellicosum. *Coelius*: TANTUM „BELLUM SUSCITARE CONARI ADVERSARIOS CONTRA BELLOSUM GENUS."

Quamquam Nonius, ex quo Coelii libro sumserit haec, non adjecit, conjectura tamen haud improbabili referre mihi videor ad librum I. et Hannonis orationem illam, quae exstat ap. *Liv.* l. XXI. c. 10. Is omnem dicendi vim ac prudentiam in duabus potissimum rebus consumit, primum ut Romanos propter bellicam fortitudinem et felicitatem valde metuendos hostes esse doceat; deinde cuncta Barcinae factionis consilia factaque eo pertinere, ut brevi bellum cum illis exardescat. Cujus orationis quasi compendium aliquod haberi possunt haec Antipatri verba, in quibus *adversarios* intelligo Barcinos, *bellosum* [sive bellicosum] *genus* Romanos, contra quos *tantum* isti *bellum suscitare conarentur*, quanto vel prius Poeni superati essent, vel quantum ipsi Karthagini pestem esset illaturum. Utrumvis enim ex Livio supplere licet.

Genus pro *gens* haud raro dixerunt, idque inprimis cum epitheto *durum*, *ferox* similive conjunctum in fortitudinis laude usurpatur. E copia exemplorum apud *Duk. ad Florum* l. II. c. 3. et *Drak. ad Liv.* l. XXXI. c. 35. l. XXXIV. c. 17. unum hic apponere sufficiat. *Liv.* l. XLIV. c. 11: „octingenti Agrianes, et duo millia Penestarum Illyriorum — bellicosum utrumque genus." — Terminationem *osus* antiquissimi scriptores inprimis amarunt, multisque dederunt adjectivis, quae posterior usus vel abjecit, vel alio modo terminavit. *Cato Orig.* l. II. *ap. Cort.* p. 10. naves *sentinosas* dixit, p. 18. *consiliosum*, *victoriosum*, *Cass. Hemina* l. III. ib. p. 48. hominem *literosum* i. e. literatum. Jocandi causa veteres imitatur Laberius mimographus ap. *Gell.* l. III. c. 12:

„Non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax." Cf. *Gell.* l. IV. c. 9.

Fragm. 4.

Prisc. l. XIII. col. 960: „Nec non etiam [genit. τοῦ alius] secundum nominum „secundae declinationis regulam in *i* quoque invenitur. *Coelius in* I: NEQUE IPSI „EOS ALII MODI ESSE, ATQUE HAMILCAR DIXIT, OSTENDERE POSSUNT ALITER."

In Prisciano legitur *Cecilius*, sed vid. supra p. 14. Habemus hic exemplum priscae declinationis pronominis *alius*, in qua tamen ipsos veteres variasse, cum ex iis, quae hunc Prisciani locum sequuntur, exemplis apparet, tum idem docet l. VI. p. 72. (*ed.*

(*ed. Florent.*). Utroque loco citat haec e Caesaris Anticatone priore: „ Uno enim „ excepto, quem *alius modi*, atque omnes, natura finxit, suos quisque habet charos." Contra M. Coelius (ut hic dicitur, quem l. VI. p. 64. M. Catonem appellat): „ Nam perinjurium est, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur; „ ubi datus est, tum velle, uti eos mutem, atque *alii modi* sim." Neque tantum *alius* ita veteres inflexere, sed etiam *ille*, *iste*, *solus*. *Cato ap. Cort.* p. 10: „ Nam „ de omni Tusculana civitate *soli* L. Mamulei beneficium gratum fuit." p. 26: „ Et „ quis *illi modi* esse vult?" p. 28: „ *isti modi*, uti tu es." Quae simul exempla vim nominis *modi* hac in dictione illustrant; ut *alii modi esse* significet *aliter comparatum esse*; *aliter se habere*. Quod autem insuper addidit *aliter*, in eo agreste illud atque horridum agnosco, quod Coelio tribuit *Cic. de Leg.* l. I. c. 2.

Ut hujus fragm. verba non adeo difficilia sunt ad intelligendum, ita quorsum in historia pertineat, vix divinare potui. Fortasse quis sumtum existimet ex eadem Hannonis oratione, e qua superius fragm. et versari Oratorem in describendis Romanorum opibus ac fortitudine, ut hunc in modum explicandum sit: „ Neque ipsi Barcini ostendere possunt, Romanos minus bellicosos aliterque comparatos esse, atque olim Hamilcar dixit." Hic, ut Nepos in ejus *Vita* c. 1. refert, post pugnam apud Aegates insulas Karthaginiensibus auctor pacis petendae fuit, quod quo magis iis persuaderet, populi Romani virtutem et potentiam extollere potuit.

Nisi malis *Hamilcaris* nomen in *Bomilcar* mutare (quae item a librariis confusa videmus in *Liv.* l. XXI. c. 27), atque intelligere de iis, quae inter Syracusarum obsidionem accidisse tradit hic l. XXV. c. 27: „ Interea Bomilcar, iterum cum classe „ profectus Karthaginem, ita exposita fortuna sociorum, ut spem faceret, non ipsis „ modo salutarem opem ferri posse, sed Romanos quoque in capta quodammodo urbe „ capi, perpulit, ut onerarias naves quam plurimas, omni copia rerum onustas secum „ mitterent, classemque suam augerent." Quo verbo *perpulit* indicari videtur, eum hoc non continuo, nec facile senatui persuadere potuisse. Probabile igitur fit pacis studiosos, factioni Barcinae oppositos, isti rei obstitisse, minuendo spem, periculum augendo, dubitationem de iis injiciendo, quae narraverat Bomilcar. Contra quos in hanc fere sententiam Barcinos dixisse suspicor: „ Nolite, cives Karthaginienses, „ praeclaram hanc, quam fortuna dedit, opportunitatem e manibus emittere. Non audiendi sunt isti pacis, imo verius communium hostium amici, qui ne ipsi quidem, „ quidquid prudentiae prae se ferant, ostendere possunt, alium Romanorum in Sicilia „ statum esse, atque Bomilcar dixit, recens ex ea insula redux." Huc autem si re-

fe-

ferantur Coelii verba, pro libro I. legendum erit V, quo bellum a Romanis in Sicilia gestum persecutus videtur.

Fragm. 5.

Non. c. 4. n. 121. col. 643: „ *Dedicare* est dicere. *Coelius Annal.* lib. I: LE„ GATI, QUO MISSI SUNT, VENIUNT, DEDICANT MANDATA."

Pro *dedicant* Cortius habet *delicant*, quo verbo veteres usos esse pro *dedicare* testatur *Festus* col. 278. (*ed. Goth.*) Duplicem habuit significatum, alterum indicandi, aperiendi, explanandi auctore *Nonio* c. 2. n. 225. col. 539, c. 4. n. 114. col. 641; alterum consecrandi, quem Fest. l. c. his exemplis confirmat. „ *Delicata* dicebant diis consecra„ ta, quae nunc *dedicata*. Unde adhuc manet *delicatus*, quasi lusui dicatus." Utramque significationem deinde verbum *dedicare* nactum est, quarum posterior hodieque manet; prior aliquamdiu tenuit, ut hic apud Coelium; quasi dixisset: *legati edunt*, *aperiunt mandata*, sive, ut mavult Nonius, *mandata dicunt*. Antiquo verbo *delicare* alia quoque forma substitui coepit *deliquare*: cum hoc, tum *dedicare* illo explanandi sensu occurrunt ap. Lucretium.

Quaeritur, ad quos legatos haec Coelii verba pertineant; quatuor enim legationes circa initia hujus belli missae memorantur. Primi, de quibus Liv. XXI, 6, „ a Saguntinis Romam missi sunt, auxilium ad bellum jam haud dubie imminens orantes." Hi proprie non habebant *mandata*, quae exponerent, videturque Coelius, de his agens, potius *orandi* aut simili verbo usurus fuisse. Deinde Romani P. Valerium Flaccum et Q. Baebium Tamphilum ad Hannibalem miserunt, quos ille secundum *Polybium* l. III. c. 15. vanis praetextibus lactavit. Livius contra refert eos ne admissos quidem esse, quem sequitur Silius Italicus. Item *Zonaras Ann.* tom. II. p. 79. legatis suasum esse narrat, ut a terra discederent propter Hannibalis absentiam. Si, quae tribus his auctoribus, eadem Coelio sententia placuerit, manifestum est, ejus verba huc trahi non posse. Omnes quidem in eo consentiunt, legatos ex Hispania Karthaginem perrexisse, quo rupti foederis auctorem deposcerent. Ea de re forsan hic agi putes. Malim tamen accipere de quarta legatione, quam Romani post excisum Saguntum, suis jam copiis ac provinciis divisis omnique belli apparatu instucto, Karthaginem miserunt. Prolixius et fusius narrandi genus, quod in Coelii verbis observatur, subindicat sermonem esse de magna quadam et gravi legatione, qualem hanc fuisse, cum ex legatorum aetate, numero, generumque nobilitate, tum ex mandatorum accurata et bipartita explicatione apud Livium intelligitur, qui c. 18. sic scribit: „ His ita comparatis, ut omnia justa ante bellum fierent, lega„ tos

„ tos majores natu, Q. Fabium, M. Livium, L. Aemilium, C. Licinium, Q. Bae-
„ bium in Africam mittunt ad percunctandos Karthaginienses, publicone consilio
„ Hannibal Saguntum oppugnasset? et si, id quod facturi videbantur, faterentur, ac de-
„ fenderent publico consilio factum, ut indicerent populo Karthaginiensi bellum" Confirmant etiam proxime sequentia: „ Romani *postquam Karthaginem venerunt*, cum
„ senatus datus esset, et Q. Fabius nihil ultra, quam unum, *quod mandatum erat*,
„ percunctatus esset" etc. Quae verborum ipsorum similitudo suspicari jubet Livium hic tacite Coeliana secutum esse; nisi forte et Coelio et Livio communis fons fuerit *Polyb.* l. III. c. 20: „ *Παραγενομένων δὲ τῶν Ρωμαίων, καὶ παρελθόντων εἰς τὸ συνέδριον καὶ διασαφούντων ταῦτα.*"

Fragm. 6.

Non. c. 10. n. 33. col. 770: „ *Poteratur* pro poterat. *Coelius Annal.* l. I: CUM
„ JURE SINE PERICULO BELLUM GERI POTERATUR."

Ita Cortius habet; ap. Gothofredum vitiose est *bello*. *Poteratur* pro *poterat* C. Gracchum dixisse, Festus annotavit col. 149. lin. 8. col. 373. lin. 3. Etiam Scaurus *de Vita sua* l. III. eo usus est teste Diomede col. 381. lin. 1, eamque dici *paragogen* idem docet col. 436. cf. *Isid. Orig.* l. I. c. 34. Similiter dixere *potestur*, *possetur*, *nequitur*, id quod Sallustius prisca verba captans usurpavit *Jug.* c. 31. n. 8. ubi vid. Cortius.

Haec verba Nonius procul dubio sumsit ex oratione Karthaginiensium (Liv. XXI, 18, Polyb. III, 21), qua responsum est Romanorum legatis, ad quos praecedens fragm. pertinere suspicatus sum. Hujus orationis caput fuit, ut priore foedere, quod Lutatio consule ictum esset, nihil Saguntinis cautum esse ostenderent, quo minus cum his bellum gereretur; posteriore autem foedere, quo excepti essent Saguntini, Poenos minime teneri, cum id foedus Hasdrubal, sine publico consilio fecisset. Ut igitur arbitrabantur, vel certe praetexebant Karthaginienses, cum Saguntinis *cum jure bellum geri poterat sine periculo*, ne Romani violatum foedus incusantes inde belli causam quaererent.

Fragm. 7.

Prisc. l. X. col. 886. „ *Ico* praeterea penultima brevi profertur in praesenti teste
„ Capro, sed producit eam in praeterito perfecto, et mutat *o* finalem in *i*: *ico*, *ici*,
„ unde *ictus*. — *Coelius in* I: QUI CUM IIS ITA FOEDUS ICISTIS."

Ex eadem Poenorum oratione sumtum videtur hoc fragm. ita forsan supplendum: „ Quid, ô Romani, Saguntinos vestrae societatis nomine a nostra vi et armis defen„ dere sustinetis? *Qui cum iis ita foedus icistis*, ut nulli justo nobis impedimento „ esse potuerit; quippe postea demum factum est, quam nobiscum foedus illud Lu„ tatius Cos. icerat, quo utrorumque socii excipiebantur." In eamdem sententiam disputant apud Livium: „ nobis vobiscum foedus est a Lutatio consule ictum: in quo cum „ caveretur utrorumque sociis, nihil de Saguntinis (*necdum enim erant socii ves„ tri*), cautum est."

Fragm. 8.

Charisius Sosipater l. I. col. 115. (*ed. Putsch.*): „ SAGUNTINORUM, *Coelius. Sa„ guntium*, Sallustius, ut Paulus in Coelii historia libro primo notat."

Hac voce in eadem historiae parte Coelium usum fuisse credo. Discimus hinc, ut Vejorum cives et *Vejentes*, et *Vejentani* (Liv. IV, 19.) dicti sunt, ita hujus quoque gentilicii nominis duplicem formam fuisse, *Saguntini* et *Saguntii*. Neque enim genitivus ille *Saguntium* ortus videtur a nominativo *Saguntes*, quod vix per linguae analogiam ab urbis nomine *Saguntus* sive *Saguntum* duci potuit, sed contractus ex *Saguntiorum*, atque derivandus a nominativo *Saguntii*. Simili varietate oppidum quoddam Etruriae modo *Ferentium*, modo *Ferentinum* dicitur. *Drak. ad Liv.* l. I. c. 51. §. 9. Potuit autem illud *Saguntii* ad Graecorum exemplum conformari, qui cum Zacynthi insulae in mari Aegaeo, tum hujus Hispanicae urbis incolas communi nomine Ζακυνθίους appellarunt. Certe utrumque locum apud eos audire Ζάκυνθον, e Stephano docet *Lambinus ad Nep. Dionem* c. 9. Ceterum Sallust. etiam altera forma *Saguntini* usus est in *Hist.* l. VI. *fragm. ap. Cort.* p. 1007.

Fragm. 9.

Cicero de Oratore l. III. c. 38: „ Inusitata sunt prisca fere ac vetusta, et ab „ usu quotidiani sermonis jam diu intermissa, quae sunt poëtarum licentiae liberiora, „ quam nostrae: sed tamen raro habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dig„ nitatem. Neque enim illud fugerim dicere, ut *Coelius*: QUA TEMPESTATE POENUS „ IN ITALIAM VENIT."

Haec verba, licet ubi apud Coelium exstiterint, certo definiri nequeat, suam tamen aptissimam sedem habent in ea parte, qua narravit Hannibalis in Italiam adventum, de quo

quo *Liv.* l. XXI. c. 38. *Tempestate* pro *tempore* positum; de qua forma, Historicis inprimis amata, disputat *Cortius ad Sall. Jug.* c. 73. n. 7. Exemplis ab eo laudatis unum adjiciam e scriptore, propius ab aetate Coelii remoto. *Cato fragm. orat. in C. Pisonem* „ *ap. Cortium* p. 26: „ Video hac tempestate concucurrisse omnis adversarios meos." Cicero, ut h. l. se illud ferre profitetur, ita *de Divin.* l. I. c. 34, postquam bis posuit *eodem tempore*, variandi causa subjicit *eademque tempestate.* — *Poenus* pro *Poeni*, ut *Liv.* l. XXI. c. 17. „ Si ad arcendum Italia Poenum Cos. alter satis esset." Alibique sexcenties populorum nomina singulari numero inveniuntur; quod dicendi genus a librariis non intellectum saepe *miles* aut *populus* intrudendi causa fuit. Vid. *Interpr. ad Liv.* l. III. c. 2. Catoni quoque placuit, qui *Orig.* l. II. apud *Cort.* p. 10. „ Hi populi com„ muniter, Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens" etc. *Ibid. alio fragm.* „ Mar„ sus hostem occidit prius, quam Pelignus."

Fragm. 10.

Charis. l. II. col. 182: „ *Longe* pro *praecipue*, *maxime.* — Pro *longitudine. Coe*„ *lius Historiarum primo*: DUODECIES CENTENA MILLIA PASSUUM LONGE."

Haec verba, cum praesertim e primo libro citentur, vix alio referri possunt, nisi ad viam, quam Hannibal usque a nova Karthagine in Italiam emensus est. Fortasse sumta sunt ex ejus oratione ante proelium ad Ticinum, in qua, quo militibus animos adderet, hoc quoque dixisse fertur apud Liv. l. XXI. c. 43. „ Ab Herculis co„ lumnis, ab Oceano terminisque ultimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniae et „ Galliae populos, vincentes huc pervenistis." Idem immensam hujus itineris longinquitatem commemorat c. 23, 29. Quamquam Livianae narrationis cursum secutus ac locorum intervalla in Cluverii (*Introd. in univ. Geograph.*) tabulis dimensus aliquanto minorem numerum invenio, si mille passuum sive milliarium Romanum sexagesimam gradus astronomici partem aequare censeatur. Sunt enim a Karthagine ad Etovissam urbem 120 milliaria, hinc ad Iberum 108, ab hoc flumine 204 ad Pyrenaeos montes, quibus trajectis Hannibal ad Illiberi castra posuit. Inde 130 fere milliaria sunt ad Rhodanum, ejusque adversa ripa profectus ad Insulam sive Lugdunum viam fecit 108 milliariorum, totidemque Lugduno ad fluvium Druentiam, qui videtur 24 milliariorum spatio ab Alpibus abfuisse. Horum trajectu 1200 stadia consumi tradit *Polyb.* l. III. p. 267, i. e. 144 milliaria, siquidem stadium Polybio continet 120 passus auctore *Drak. ad Liv.* l. XXVIII. c. 14. l. XXXVII. c. 6. Jam hi numeri juncti summam conficiunt circiter 950 milliariorum, cum Coelius habeat 1200. Ve-

rum observandum est primum, hic a me poni debuisse rectam et proximam locorum distantiam, quam tamen Hann. tantam exercitus molem secum trahens, perque gentes barbaras et infestas iter faciens, non semper opinor tenere potuit: tum ipsum Pyrenaeorum trajectum multorum sane milliariorum fuisse: denique de locorum istorum situ vix hodie satis constare, totumque hoc Hannibalis iter multis ac magnis premi difficultatibus, unde se expedire nequeant Interpretes. Vid. *Drak. ad Liv.* l. XXI. c. 22. §. 5. c. 31. §. 4. et ad h. l. etiam Strothius ac Doeringius. Haec si reputentur, insigniter passuum ille numerus augebitur, et propius ad Coelianum accedet; a quo tamen aliquantum discrepare vel propterea debuit, quod Livius et Coelius (*apud Liv.* XXI, 38.) diversis locis Hannibalem Alpes trajecisse retulerunt. Similiterque eos in aliis itineris partibus dissensisse suspicor.

Fragm. II.

Charis. l. II. col. 183: „ *Lilybaeo. Coelius Historiarum* I: SEMPRONIUS LILYBAEO „ CELOCEM IN AFRICAM MITTIT VISERE LOCUM, UBI EXERCITUM EXPONAT. Prae„ positiones etenim civitatibus denegantur, gentibus serviunt."

Mittit visere, i. e. *ad visendum*, *quae visat* sive inspiciat locum. Similiter *Propert.* l. II. eleg. 13. vs. 17:

„ Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas."

Ovid. Heroid. I. vs. 37, 38:

„ Omnia namque tuo senior, te quaerere misso,
„ Retulerat nato Nestor, at ille mihi."

Aliis hoc dicendi genus exemplis illustrant *Periz. ad Sanct. Min.* l. IV. c. 6. p. 673. et *Drak. ad Liv.* l. XXXVII. c. 49. §. 1. Tum *visere locum*, *ubi exercitum exponat*, brevius dictum videtur pro *Africae oram visere*, *ibique quaerere locum exponendis copiis idoneum*.

Quod ad historiam, initio hujus belli in provinciarum sortitione Ti. Sempronio Longo consuli Africa cum Sicilia evenerat. *Liv.* l. XXI. c. 17. Solebant enim vel Romanae classes in Africam trajecturae prius in Siciliam mitti, vel coss. ac praetores, qui hanc insulam cum imperio obtinuissent, hinc excursiones in Africam facere Lilybaeo promontorio profecti. Refert hoc Liv. de T. Otacilio l. XXIII. c. 41. de M. Valerio Messala l. XXVII. c. 5. de M. Valerio Laevino l. XXVIII. c. 4. de P. Corne-

nelio Scipione l. XXIX. c. 26. Sic quoque Sempronius cos. „ missus in Siciliam; ita „ in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia Poenum cos. alter satis esset." Qui postquam in insulam advenit, et alia peregit, de quibus Liv. l. XXI. c. 51. et, ut ex his Coelii verbis intelligitur, expeditionem in Africam paravit. cf. *Polyb.* l. III. c. 41. — *Celox* erat leve navigii genus, mandatis cito perferendis, locis cognoscendis, hostibus insequendis aptum, quales duodecim Sempronio datas esse tradiderat *Livius* ib. c. 17.

Fragm. 12.

Charis. l. II. col. 193: „ *Satis* diverse accipitur: ἀντὶ τοῦ *par. Lucil. Satyr.* „ Cui „ si conjuret populus, vix totus satis sit." *Terent. in Adelphis:* „ Satis mihi id „ habeam supplicii, dum illos ulciscar." Item *satis* pro *aequo* est. „ *Coelius Historiarum primo:* COMMODUM ESSE SATIS VIDETUR. Nec enim pro sufficienti, inquit „ Paulus, accipi debet, sed pro pari et aequo."

Quem in multis turpiter errasse scribit *Lipsius Var. Lect.* l. I. c. 7. iste Charisius hic quoque male sedulus communi facilique verbi significatione spreta ad inauditam aliquam et a vero alienam confugisse mihi videtur. Quod quo magis appareret, praeter Coelii fragmentum cetera Charisii exempla attuli, in quibus singulis pervulgatum suum sensum tueri possit vocabulum *satis.* Nam apud Lucil. „ Cui populus vix „ totus satis sit," significat: cui vix sufficiat, scil. ad eum opprimendum; et hinc demum: cui vix par sit. Nec servus apud Terent. (*act.* II. sc. 2. vs. 15.) id velle videtur: *par* supplicium ipse pati paratus sum, dum illos ulciscar; sed haec esse loci sententia comice ad risum ciendum compositi: levem hanc poenam sumsisse *contentus ero*, ut alii animam exstinguam, alium miseris modis lacerem, alii oculos eripiam, etc. Similiter in Coelio nullam aliam vim huic verbo tribuendam opinor, nisi vulgarem hanc, vel forsan illam huic quam maxime finitimam, qua adjectivo vel adverbio junctum indicet aliquid boni non quidem eximie, sed tamen probabilem in modum adesse, in quo acquiesci possit. Ita *Plaut. Poen. act.* I. sc. 2. vs. 73: „ Satis bene ornatae sumus." *Cic. de Off.* l. II. c. 25: „ satis bene pascere." Eoque sensu etiam in malis rebus usurpatur: ut *Terent. Andr. act.* I. sc. 1. vs. 104. „ Satis cum periclo." Atque ita simpliciter apud Coelium intelligendum puto: ut huic quidem adjectivo conjunctum vel parum vel nihil sententiam augeat, idemque fere sit, ac si scripsisset: „ *Commodum esse videtur.*"

Commodum, ut e Lexicis notum est, cum de tempore, tum de loco dicitur, his-

D 3 que

que verbis Antipater centenis locis uti potuit, quorum unus est, ubi M. Minucium magistrum equitum, dictatore Fabio absente opportuna Poenum adoriendi tempora captasse narraverit. Qua in re consimili dictione Polyb. utitur l. III. p. 350. „ λαβὼν „ τὸν ἀκμαιότατον καιρὸν τῆς ἡμέρας." cf. *Liv.* l. XXII. c. 24.

Frag. 13.

Prisc. l. III. col. 607: „ In *timus* desinit unum anomalum *optimus*, et ab ad„ verbiis sive praepositionibus derivata — et praeterea *dextimus* et *sinistimus*. *Coelius* „ *in primo Histor.* DEXTIMOS IN DEXTRIS SCUTA JUBET HABERE."

Miles Romanus scuto sinistrum brachium tutari solebat, dextra gladium tenere, qui ob id ipsum, ut videtur, dextro femori appensus fuit, ne facilem scuti motum impediret. *Lips. de Mil. Rom.* l. 1. dial. 3. p. 115. *Cantelius de Romana republica* p. 214, 215. Quo respiciens egregie respondit Africanus, „ cum ei quidam ornatum „ scutum monstrasset: ὁ μὲν θυρεὸς, εἶπεν, ὦ νεανία, καλός· πρέπει δὲ Ῥωμαῖον ἄνδρα „ μᾶλλον ἐν τῇ δεξιᾷ τὰς ἐλπίδας ἔχειν, ἢ τῇ ἀριστερᾷ." Quae verba e *Plut. Apophth.* p. 201. D. attulit Clar. *Bakius Posid.* p. 171. sq. Et hinc Licinii fragm. quod est *ap. Non.* c. 3. n. 4. col. 595, ubi Gothofr. habet: „ Pars magna levius clypea „ portant," rectius in editione *Cortii* p. 46. legi videtur: „ P. m. laevis cl. p." Hic autem imperator *dextimos*, i. e. milites in dextro latere collocatos, *in dextris scuta jubet habere*, quo scilicet utraque aciei pars a vulneribus tecta et munita esset: qualem fuisse Francorum cuneum tradit *Agathias Historicus ap. Suid.* l. II, quem locum ita vertit *Lips.* l. c. dial. 7. p. 178. sq. „ Et anterior pars, qua in acutum „ desinebat, tecta et densa erat, quia scutis undique muniebatur." Quis autem fuerit imperator, qui milites, quae pugna, de qua Coelius hic agat, merae tenebrae sunt; utque superioribus fragmentis suus in historia locus vel certo, vel per levem suspicionem assignari potuit, ita quare hoc et duo subsequentia libro primo apponerem, nullam aliam causam habui, nisi Grammaticorum, qui citarunt, auctoritatem.

Dextimum et *sinistimum* antiquos dixisse refert *Fest.* col. 279. lin. 52. atque sic *Varro* περὶ λέξεων *ap. Non.* c. 2. n. 198. col. 537. „ A primo compito dextimam „ viam munit Epicurus." Sallustius quoque imitatus est *Jug.* c. 100. n. 2. „ Sylla „ cum equitatu apud dextumos." Quam terminationem *umus* his in formis antiquiorem esse, quam *imus*, et Imperatorum demum tempore dictum esse *citimus*, *intimus* docet *Periz. ad Sanct. Min.* l. I. c. 11. p. 75. Idem ibid. Vossium refellit, qui *de Anal.* l. II. c. 25. contendisset *dextimus*, et *sinistimus* esse positivos. In quo si

meam

meam sententiam interponere liceat, veros superlativos esse putem, eo inprimis argumento motus, quod eorumdem nominum comparativi occurrant. Quos idcirco nonnulli pro positivis usurpasse videntur, quoniam haec vocabula *dexter* et *sinister* natura sua quamdam oppositionem continent; ut quicunque *dextrum* dicat, simul aliud *sinistrum* intelligat, quocum illud quasi comparetur. Hanc oppositionem proclive fuit simili exprimere terminatione, quae comparativis dari solebat; idque non tantum Romani fecere, Suet. a Perizonio laudatus, Galba in *Cic. ad Div.* l. X. ep. 30. et *Ovid. Metam.* l. II. vs. 138. l. XII. vs. 303, sed Graecorum ἀριστερὸς forma sua comparativum refert, ac frequens ap. Homerum est χειρὶ δεξιτερῇ. Quin nostro sermone haec vocabula comparativorum more terminare solemus, *regter*, *linker*, cum ceterae gentes ipsique Romani cultiores (2) formam positivam sufficere existimaverint, quippe cui jam sponte inesset illa oppositionis vis. Neque alia fuit origo superlativi *dextimus*, cujus si naturam spectes, non penitus idem valuerit, quod positivus *dexter*, sed id habuerit superlativi proprium, ut indicaret aliquid *unum omnium maxime* in dextra parte situm esse. Itaque non dixerint unius hominis *dextimam manum*, vel duarum rerum aut hominum *alterum dextimum*, sed *dextrum*, illud autem de pluribus usurpaverint, v. c. de ternis viis, ut est *ap. Varronem.* Qua tamen in re nescio, an rationem usus refellat: certe in Sallustii, quod attuli, exemplo *apud dextumos* simpliciter significare videtur *in dextra agminis parte.*

Fragm. 14.

Prisc. l. VIII. p. 104: „*Sentio* neutrum, ex eoque *assentio* et *assentior*, *dissentio* et „*dissentior* in una eademque significatione inveniuntur. *Coelius in primo:* QUI IN„TELLIGUNT, QUI FACIUNT, DISSENTIUNTUR."

Hoc fragm. quo pertineat, videre difficilius etiam est, quam antecedens. Nec operae pretium facturus mihi videor, si in his tantis tenebris bonas horas perdiderim. Suspicari quis possit, sermonem esse de statua quadam aliove artificio, qua in re verbum *intelligere* proprium est. Exemplis abundat una Ciceronis oratio in *Verr. act.* II. or. 4. v. c. c. 2. „ingeniosum atque intelligentem;" c. 14. „hoc nescio quid nu„gatorium sciebam esse, ista intelligere;" tum c. 15, 43, 44. Forsan igitur in artifi-

(2) Non quo Nasonem cultiorum numero eximam; sed is poeta fuit, quod genus rariores, seu vetustate obsoletas, seu novitate insolentiores verborum formas amat.

ficio vel formando, vel formati pretio aestimando dissenserunt ipsi artifices (*qui faciunt*) ab hominibus lautioribus, qui talium rerum peritiam animi causa sibi comparassent. Asyndeton Historico nostro frequens est, ut fragm. 4, 19, 30, 32, 35. *Dissentio* et *dissentior* simili modo permutabant veteres, ac vulgari usu recepta mansit duplex forma *mereo* et *mereor*. Cf. *Gell.* l. XVIII. c. 12.

Fragm. 15.

Non. c. 2. n. 820. col. 583, „*Singulatim* et *sigillatim* a singulis. *Coel. Annal.* „l. I: PRIMUM MALO PUBLICO GRATIAS SINGULATIM NOMINA."

Insolens dictio, *gratias singulatim nominare* pro *singulis nominatim gratias agere.* Hic honos a magistratibus ex senatus auctoritate haberi solebat iis, qui pecuniae collatione, voluntaria militia aliove munere remp. sublevassent. Sic ap. *Liv.* l. V. c. 7. tribuni militares equitibus peditibusque gratias agunt. Jam haec esse verba senatus id negotium consuli dantis inde conjicio, quod verbum *nomina* in imperativo singulari ponitur. Quibus autem gratias agi jubeat senatus, admodum difficile est ad definiendum, cum non modo ante pugnam Cannensem, quae II. Coelii libro continebatur, sed ne toto quidem hoc bello satis aptum aliquod tempus occurrat, quo potuerit hoc fieri. Refert quidem *Liv.* l. XXII. c. 32. Neapolitanos, c. 36. Paestum civitatem, c. 37. Hieronem legatos cum donis Romam misisse, quibus senatus gratias egerit; sed non capio, quo modo legatis *singulatim* gratiae actae sint, cum tamen non suo, sed mittentium nomine dona afferrent. Tum c. 52. narrat Busam, mulierem Apulam, Romanos milites, qui Canusium ex proelio Cannensi perfugerant, opibus juvisse: itemque c. 54. aliam exercitus partem a Venusinis hospitio benigne exceptam esse. Sed illi, ut addit Liv. *postea* demum *bello perfecto* ab senatu honores habiti sunt. Nec Venusinis *primum malo publico* gratias agere Patribus operae fuit, qui contra primam in eo curam posuerunt, ut copiarum reliquias colligerent, civesque in urbe coercerent. Vid. c. 55, 56. Cumque non facile senatus sibi ipse gratias egerit, huc referri nequeunt, quae tradit idem l. XXVI. c. 36. *Orosius* l. IV. c. 16. in summa aerarii penuria senatores aurum et argentum in publicum contulisse. Sagacioribus igitur haec relinquenda difficultas est. De forma *singulatim* cf. *Cort. ad Sall. Catil.* c. 49. n. 4. Videtur autem Coelius hanc adverbiorum terminationem amasse, ut fragm. 19. *dubitatim*, fragm. 31. *pedetentim*. Ejusdem frequentem usum in Sisenna observat *Gell.* l. XII. c. 15.

E

E Libro II.

Fragm. 16.

Gell. l. X. c. 24: „*Die noni* praetor dicit, non *die nono*: neque praetor solum, „sed pleraque omnis vetustas sic locuta est. — Suppetit etiam *Coelianum illud ex li-* „*bro Historiarum secundo:* SI VIS MIHI EQUITATUM DARE, ET IPSE CUM CETERO „EXERCITU ME SEQUI, DIE QUINTI ROMAE IN CAPITOLIUM CURABO TIBI COENA SIT „COCTA."

Eadem Coelii verba in ejusdem dictionis exemplum affert *Macrob. Saturn.* l. I. c. 4. Hanc autem et historiam et verbum *die quinti* Coelium e Catonis Originibus sumsisse vidimus p. 16. Manifestum est, orationem esse praefecti equitum ad Hannibalem post proelium Cannense. In quo vel Catonem, vel Coelium, vel utrumque secutus videtur *Liv.* l. XXII. c. 51. apud quem ex emendatione J. Fr. Gronovii talia ille dicit: „Imo, ut, quid hac pugna sit actum, scias, die quinto, inquit, victor „in Capitolio epulaberis. Sequere: cum equite, ut prius venisse, quam venturum, „sciant, praecedam." Ubi *die quinto* Sigon. ad illorum similitudinem refingi vult in *die quinti.* Referunt idem *Florus* l. II. c. 6. §. 19. *Valer. Max.* l. IX. c. 5. ext. ex. 3. *Plut. Fab.* c. 17. *Zonar. Annal.* tom. II. p. 79. qui addit Hannibalem hoc consilio neglecto postea saepe poenitentia cruciatum exclamasse: „ὁ Cannae, Cannae!" Variant autem scriptores in illius praefecti nomine, qui Livio et Valerio Maharbal audit, Floro Adherbal sive Adarbal, Silio Italico Mago; Plutarchus universe τοὺς φίλους memorat. Ceterum huic pollicito simillimum fuit Hamilcaris somnium, quod refert *Cic. de Divin.* l. I. c. 24.

De ipsis verbis primum animadverto, *ceterus* in singulari non adeo frequens esse; Coelio vero placuit, apud quem offendemus etiam in fragm. 31. De forma *die quinti* dignum est, quod legatur, totum illud *Gellii* cap. 24. ubi similia e priscis exempla, *die pristini*, *crastini*, *proximi*, afferuntur pro eo, quod post invaluit, *pristino*, *crastino*, *proximo.* Tradit *diequinti* vel *diequinte* pro adverbio copulate dictum, ideoque secundam syllabam correptam esse. Recte autem *Sanct. Min.* l. IV. c. 14. p. 640. sq. *ibique Periz.* docere videntur adjectivi genitivum esse, miramque refellunt Ursini sententiam pro tertiae declinationis ablativo habentis, quippe veteres dixerint etiam *quartis*, *quintis.* Inter *die quarto* et *quarti* Gellius id interesse statuit, ut hoc de futuro dicatur, illud de praeterito. Est igitur unus e *prudentibus*, quibus hanc sententiam tribuit *Non.* c. 5. n. 79. col. 732; ibi enim pro *die quarta* procul dubio legi

 opor-

oportet *die quarti*. *In Capitolium* pro *in Capitolio* Cato quoque l. c. dixerat, eaque de locutione centenis veterum exemplis confirmata cum ipsi praeclare disputant, tum alios multos laudant *Gronov. ac Drakenb. ad Liv.* l. II. c. 14.

Hoc loco inseruissem, si Antipatri esse constaret, fragm. illud ap. Prisc. NULLAE NATIONI TOT, TANTAS, TAM CONTINUAS VICTORIAS BREVI SPACIO DATAS ARBITROR, QUAM VOBIS, quod alii Coelio tribuit Ruhnk. vid. supra p. 14.

Fragm. 17.

Servius ad Virg. Aen. l. IV. vs. 390: „ *Linquens* multi pro *derelinquens Aeneam*, „ alii pro *deficiens* accipi volunt more antiquo, sicut *delinquere* pro *deficere*. *Coe-* „ *lius Historiarum*: DELINQUERE FRUMENTUM, SARDINIAM HOSTES TENERE."

Libro II. fragm. hoc apponere non dubitavi, quod sumtum arbitror e Magonis oratione, quam habet *Liv.* l. XXIII. c. 12. Post pugnam Cannensem hic ab Hannibale Karthaginem missus, primum ejus victorias magnificis verbis extulit, dein et milites, et pecuniam, et vero frumentum in Italiam mitterent, petivit, quippe „ magnam vim frumenti, pecuniae absumi." Ubi commode potuit Sardiniae mentionem injicere, quam inter bellum primum et secundum Romani nefario scelere Poenis abstulerant. Hanc insulam ob fertilitatem *annonae pignus* appellat *Florus* l. IV. c. 2. §. 22. ubi vid. Freinshem. indeque commeatus a Romanis subvecti leguntur apud *Liv.* l. XXIX. c. 36. l. XXX. c. 24, 38. Item Hannibali licuisset, si tum Karthaginiensium ea fuisset: cum autem *hostes tenerent*, nihil, unde exercitum aleret, habuit, nisi agrorum praedam, et quae sibi domo mitterentur. *Delinquo* similiter a *deserendi* ad *deficiendi* significatum transiit, atque Graecorum ἐκλείπω et ἐλλείπω.

E Libro III.

Fragm. 18.

Charis. l. I. col. 40: „ Cum vero [nomen] *e* vel *i* vel *u* terminetur ablativo sin- „ gulari, accipit *um* et facit genitivum pluralem — veluti ab *hac navi*, *navium*. Inve-

„ venimus tamen ap. auctores etiam his contraria. NUCERUM enim *Coelius* dixit, Lu-
„ cilius *jugerum.*"

Nucerum, sive ut postea scripserunt, *nucum* (a nomin. *nux*) mentio fit ap. Liv. l. XXIII. c. 19. in narranda Casilini urbis obsidione, quam vel hoc libro, vel in praecedentis exitu retulisse videtur Coelius. Casilinensibus arctissime ab Hannibale clausis Ti. Gracchus magister equitum, qui juxta tendebat, nocte per Vulturnum flumen complura farris dolia submiserat. Quo dolo ab hostibus intellecto „ nuces tamen fusae ab Romanis castris, cum medio amni ad Casilinum defluerent, cratibus „ excipiebantur."

Fragm. 19.

Non. c. 2. n. 231. col. 539: „ *Dubitatim*, *dubitanter*. *Coelius Annalium libro tertio*: IMPERATOR CONCLAMAT DE MEDIO, UT VELITES E SINISTRO CORNU REMOVEANTUR, GALLIS NON DUBITATIM IMMITTANTUR."

Sola Nonii fide factum est, ut hoc fragm. libro III. tribuerem. Etiamsi enim *velites* (quod militum genus postea demum in legiones Romanas inductum est auctore Livio l. XXVI. c. 4.) hic per prolepsin de omni levis armaturae milite dici concedamus, non tamen in illa Marcelli et Hannibalis dimicatione, quam a Livio expositam l. XXIII Coelium hoc libro complexum fuisse suspicor, ullum ejusmodi proelium occurrit. Cogitavi aliquando de pugna inter Scipiones et Hasdrubalem commissa, de qua *Liv.* ib. c. 29. sed ibi nulla Gallorum mentio, nec hi in copiarum recensione (XXI. 22.) memorantur, quibuscum Hannibal fratrem in Hispania reliquerat. Circumspiciendus igitur aptior locus, in quem haec verba possint includi. Et haud sciam, an e libro V vel VI. sumta sint, pertineantque ad proelium Hannibalem inter ac Marcellum, quod refert *Liv.* l. XXVII. c. 12. *Plut. Marc.* c. 25. Romanorum ala dextra laborante forsan imperator velites, qui fere inter antesignanos locati (*Liv.* XXIII. 29. XXX. 33.) per totam aciei longitudinem distribui solebant, e sinistro cornu removeri jussit, ut fortiter impetu in Gallos facto dextris militibus succurrerent. Galli pene omnes Hannibali se adjunxerant (XXI. 48, 55.) iisque multum in proeliis usus est, ut apud Cannas, ubi Galli equites in laevo cornu collocati leguntur. Similiter in hac pugna dextro Romanorum cornu opponi potuerunt, quod cum vexarent, commode velites iis immissi fuerint, ad id ipsum inventi, ut in equestribus proeliis auxilio forent. *Liv.* l. XXVI. c. 4.

Medium imperatori locum in acie fuisse docet *Lips. de Mil. Rom.* l. IV. dial. 4. scilicet ubi unus exercitui praeerat: duorum consulum alter dextrum, alter laevum cornu tenebat. *Liv.* l. XXII. c. 45. *Conclamo*, quod proprie de pluribus uno dicitur, haud raro tamen de uno usurpant, v. c. *Claud. Quadrig. ap. Gell.* l. IX. c. 13: „Cum voce maxuma conclamat." Videtur quidem praepositio *con* et in hoc verbo, et in aliis nonnullis, ut *cohorresco*, *collacrymo*, *contremo*, significationis vim intendere. *Et* ante *Gallis*, quod in ed. Gothofr. legitur, Cortium secutus omisi, quoniam asyndeton Coelio placuit. Vid. ad *fragm.* 14. *Non dubitatim*, i. e. vehementer ac celeriter, ut nemini dubium esse posset, quorsum tenderent. Similiter in Sisennae loco, quem ibid. Nonius affert: „Quod hostem non dubitatim cum pluteis „ac scalis iter facere cernebant." Eodemque sensu *Liv.* l. XXIV. c. 6. „Dinome„nem jam haud dubie obstantem."

Fragm. 20.

Serv. ad Aen. l. VI. vs. 9. ad verba *altus Apollo*: „vel ad simulacri magnitudi„nem retulit, quod fuisse constat altissimum. *Coelius* enim de Cumano Apolline ait: „EST IN FANO SIGNUM APOLLINIS LIGNEUM, ALTUM NON MINUS PEDES XV."

Hujus fani et signi meminisse potuit Coelius, cum narraret insidias Cumanis a Campanis structas, sed ab illis contrario dolo elusas, post quae Cumas Hannibal oppugnare instituit, ejusque civitatis agrum perpopulatus est. *Liv.* l. XXIII. c. 35, 36. Nisi potius rerum convenientia suadeat, ut hoc fragm. C. Coelio tribuamus, de quo dixi pag. 11. Cf. *Heyn. Exc.* III. ad h. librum.

E Libro IV.

(Hujus libri aut sequentis initio fortasse collocanda verba TERTIO ET QUARTO CONSUL, sed incertum est. Vid. ad *fragm.* 1.)

Fragm. 21.

Prisc. l. IX. col. 869: „*Pransum*, quod tamen, quamvis sit neutrum, habet par„ticipium praeteriti *pransus*, ut *coeno*, *coenatus*. — Et multa praeterea a vetustissi„mis similiter prolata sunt participia praeteriti a neutralibus verbis, ut a *seneo*, *se*„*nectus*, ὁ γηράσας, *discedo*, *discessus*, ὁ ἀναχωρήσας. — *Coelius in* IV: CUSTODIBUS „DISCESSIS MULTI INTERFICIUNTUR."

Hoc

Hoc exemplo confirmari possit ratio, qua locum *Plauti Pseud. prol.* „ Malos fu„ gitastis, Quirites, *successis* bonis," explicat *Periz. ad Sanct. Min.* l. I. c. 15. p. 135. scil. „ bonos successisse malis hominibus, qui fugati erant." Similiter Claud. Quadrig. qui locus ap. Prisc. Coelii fragm. proxime sequitur: „ Pugna acriter com„ missa multis utrimque *interitis*." Videntur hae formae ad antiqui sermonis simplicitatem referendae, qui liberioribus grammaticae regulis utens, non tantum a verbis passivis, sed pariter ab activis et neutris participia praeterita derivaverit, quibus eadem prorsus esset significatio, quae perfectis praeteritis *discessi*, *interii*, unum id participiale, ut ita dicam, accederet, quod possent declinari. Posterior usus prius illud genus a passivis ductum probavit, ex his pauca quaedam retinuit, ut *coenatus*, *juratus*, alia. Quod equidem malim, quam cum Ursino, quem citat *Periz.* ib. p. 124. statuere haec participia passiva esse: quasi vero *coenor*, *prandeor*, eodemque modo *discedor*, *intereor*, aut antiquitus in usu fuissent, aut omnino possent intelligi.

Ut plurimis, ita huic fragmento nonnisi valde incerta conjectura suum locum assignare licet. Narrat *Liv.* l. XXIV. c. 7. ut Hieronymus Syracusarum rex a conjuratis occisus sit. „ Fuga satellitum," inquit, „ ut jacentem videre regem, facta est." Potuit hoc Coelius illis verbis exprimere *custodibus discessis*, atque tum addere *multos interfectos esse*, regis amicos et comites, quamquam Liv. alios forsan auctores secutus, hujus rei non meminit, contraque neminem ipsius tyranni caedi adjectum esse colligitur ex Andranodori oratione c. 22.

E Libro V.

Fragm. 22.

Prisc. l. VIII. col. 827: „ Antiquissimorum consuetudine a *poeniteo*, *poenitet*, *a* „ *taedeo*, *taedet* — *oporteo*, *oportet*. *Coelius in* V: MORBOSUM FACTUM, UT EA, „ QUAE OPORTUERINT, FACTA NON SINT."

A. U. 537. in comitiis consularibus centuria praerogativa T. Otacilium, M. Aemilium Regillum coss. dixerat. De quibus antequam ceterae centuriae in suffragium mitterentur, Q. Fabius Maximus orationem habuit, quam Liv. refert l. XXIV. c. 8. eoque fragm. hoc referendum arbitror. Persuadere civibus conatur, ista tempora summam in consulibus eligendis curam requirere; qui autem electi essent, eos impares esse tantae muneris magnitudini, quippe quorum alter T. Otacilius, nuper classi praefectus, nihil eorum, quae senatus mandaverat, perfecisset. Classis ei data erat,

 „ ut

„ ut Africae," inquit, „ oram popularetur, ut tuta nobis Italiae litora essent; ante „ omnia ne supplementum cum stipendio commeatuque ab Karthagine Hannibali trans„ portaretur." Haec *oportuerant*, et quamquam *Liv.* l. XXIII. c. 41. refert, eum agro Karthaginiensium depopulato septem naves Punicas cepisse, Fabius tamen, oratorie rem augens, quidquam eorum factum negat. Id increpat *morbosum factum* i. e. malum et culpandum, ut videtur. Raro enim *morbosus* occurrit, nec in ullo Ciceroniani aevi scriptore offendi. Prisci JCti Labeo et Massurius Sabinus ap. *Gell.* l. IV. c. 2. de corpore usurpant, ad animi vitium traduxere Catullus et Petronius. Habet autem aliquam vim in his sive laudandi sive querendi et vituperandi formulis additum *factum*, ut *Terent. Andr.* act. 1. sc. I. vs. 78: „ ô factum bene!" Act. III. sc. 4. vs. 14: „ optume inquam factum." *Cic. ad Att.* l. XV. epist. 1. „ ô factum male." Potuisset etiam Coelius per infinitivum dicere: *morbosum factum, ea, quae oportuerint, facta non esse:* sed *ut* in simili dictione Plautus usurpat *Pseud.* act. I. sc. 2. vs. 52: „ Nunc adeo hoc factum est optimum, ut nomine quamque appellem „ suo." *Oportet* aeque ac *juvat*, *decet*, *libet*, personaliter posuisse veteres docet *Sanct. Min.* l. III. c. 1. p. 267.

Fragm. 23.

Serv. ad Aen. l. IV. vs. 206. ad verbum *Maurusia:* „ *Maura*, nam protentio est „ nunc. *Coelius:* MAURUSII, QUI JUXTA OCEANUM COLUNT."

Si quis alius locus est, ubi Livius Antipatrum secutus esse certissimo vestigio deprehendatur, hic profecto talem habemus. Sic enim ille l. XXIV. c. 49. (secundum Mureti et Cellarii lectionem *Numidis* delentium): „ Syphax cum paucis equitibus „ in Maurusios ex acie (extremi prope Oceanum adversus Gades colunt) refugit." Cernis utrumque *colunt* pro *habitant* dicere, cujus significationis aliquot exempla collegit *Graev. ad Flor.* l. III. c. 6. §. 6. Jam indicare vix opus sit hujus fragmenti cum cetera historia conjunctionem. Scipiones in Hispania bellum gerentes amicitiae foedus inierant cum Syphace Numidarum rege. Contra quem Karthaginienses sibi socium adjunxere Galam Masinissae patrem, Massylis imperantem. Proelio commisso Syphax devictus cum paucis equitibus in Maurusios refugit. Quod nomen alio sensu poëtae, alio usurpare videntur Historici. Illi Mauros universos *Maurusios* appellare amant, ut *Virg.* h. l. *Sil. Ital.* l. IX. vs. 620. vocem longitudine numerosam poëticaeque orationi aptissimam a Graecis mutuati, quibus non Μαύροι ea gens audit, sed Mau-

Μαυρουσίοι. Coelius autem et Livius, ut ex his locis effecerim, hoc nomen restringunt ad singularem Maurae gentis populum sive φυλὴν, Oceano proxima incolentem, qui *Livio* XXI. 22. dicuntur, „Mauri Oceani accolae." In quo Romanorum scriptorum, quos manibus terebat, morem secutus *Polyb.* l. III. c. 33. meminit „Μαυ„ρουσίων τῶν παρὰ τὸν 'Ωκεανόν." Conjicit vero *Glareanus ad Liv.* l. XXIX. c. 32. Maurusiorum nomen commune fuisse Mauris ac Masaesylis.

Fragm. 24.

Prisc. l. VIII. col. 792, 793: „Haec plerique deponentia esse confirmant, ideo „quia frequens usus eorum significationis est activae. Communia vero esse defendit „tum natura ipsius sensus, tum veterum non improbanda auctoritas. — *Lucius Coe„lius*: UBI SENATUS INTELLEXIT POPULUM DEPECULARI, ἀποσυλᾶσθαι."

Ex hoc exemplo aliisque a Prisciano additis efficitur, minus recte *Periz. ad Sanct. Min.* l. III. c. 2. p. 281. vitii vel imprudentiae Gellium accusare, qui l. XV. c. 13. tradat nonnulla verba, veluti *vereor*, *utor*, *hortor*, quae nunc active tantum usurpentur, antiquitus passivam quoque vim habuisse. Veteres hac in re secutus est *Sall. Jug.* c. 11. n. 8. „quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur." Cujus rei explicandae haec simplicissima ratio videtur, ut primis temporibus activa fuisse statuamus *uto*, *depeculo*, *contemplo* ceteraque omnia, quae nunc in *or* terminata deponentia dicuntur. Quorum e veteribus exempla multa Nonius habet c. 7. His in desuetudinem abeuntibus, eorum passiva praeter vim sibi propriam sensim activum usum adsciverint, qui postea solus remanserit. Itaque ab illo *depeculo* Coelius duxit passivum infinitivum *depeculari*, Plautus partic. pass. *depeculatus Epid.* act. III. sc. 4. vs. 82.

Probabile est hac parte narratam fuisse duorum publicanorum M. Postumii Pyrgensis et T. Pomponii Vejentani fraudem, de qua *Liv.* l. XXV. c. 3. Ab his *populus* sive populi aerarium *depeculabatur*, i. e. quasi furabantur illi pecuniam, quam naufragiis fallaciter aut mentiandis aut efficiendis sibi repetebant. Senatus, penes quem suprema fuit aerarii cura, hunc peculatum *intellexit* deferente M. Atilio praetore, nec tamen vindicare ausus est, publicanorum gratia in belli sumtus indigens.

Hoc loco ponendum sit fragm. 4. si correctio *Bomilcar* ibi recipiatur.

Fragm.

Fragm. 25.

Prisc. l. XIII. col. 960. post citatum Coelii locum e libro I. (*fragm.* 4.) proxime haec subjicit: „*Idem in* V: NULLIUS ALIUS REI, NISI AMICITIAE EORUM CAUSA." Pronomine *idem* id indicare Priscianum opinor, tantum abesse, ut regula modo a se tradita constanti perpetuoque usu servaretur, ut Coelius, qui l. I. *alii modi* scripsisset, idem l. V. scriberet *alius rei*; idque Caesaris et Fannii confirmat exemplis, ap. quos item *alius modi* legeretur. Unde rectum videtur *alius*, nec intelligo, qui locum hunc Priscianus adducere potuerit l. VI. p. 64. (*ed. Florent.*), ubi docet vetustissimos hujusmodi vocabulorum (*neuter*, *alius* etc.) genitivum ac dativum in feminino secundum primam declinationem in *ae* diphthongon proferre. Ibid. p. 72. haec ait: „*Alius* quoque tam *hujus alius* penultima circumflexa, quam *alii* genitivus „ invenitur apud veteres. *Coelius in* V: NULLIUS ALIUS — CAUSA: *aliae* pro *alius* „ dixit." Quod postremum additamentum maxime alienum est, forsan ab imperito librario intrusum. Altero tamen loco, nempe col. 717. Putsch. dedit *aliae*; nec diffiteor ita veteres dixisse, quod docent cum *Charis.* col. 132, 137. tum *Prisc.* l. VI. p. 58. sed Coelius in hoc fragm. scripsisse videtur *alius*. Quod ipse declarat Prisciani locus proxime citatus, ubi eam formam de industria tractans, haud dubie hoc e Coelio laudasset exemplum, si in eo fuisset *aliae*. Accedit, quod ib. p. 81. vetustissimos aliquando similem genitivum nominativo posuisse, sed accentu differre tradens et Caesaris illum locum adducit, et hunc Coelii: NULLIUS ALIUS etc. De accentibus, quibus suae linguae pronuntiationem modulati sunt Romani, cf. *Quintil.* l. I. c. 5. *Sanct. et Periz. Min.* l. I. c. 3.

Haec verba pertinere suspicor ad Siculi exercitus legationem, de qua *Liv.* l. XXV. c. 28. Marcellus cos. ut Epicydem et Hippocratem injusta dominatione pelleret, Syracusanos in pristinam fidem ac societatem populi Romani reduceret, urbem aggressus, ejus parte jam potitus erat. Achradinam et Nason hostes tenebant. c. 24, 25. Inter obsidionis initia Hippocrates partem copiarum Syracusis eduxerat, qui Punicis auxiliis conjuncti adversus Romanos bellarent. l. XXIV. c. 35. Hic exercitus pestilentia misere affectus, amisso duce, relictus a sociis, cum non amplius resisti posse Romanis videret, legatos in urbem ad suos mittit, qui deditionem suadeant. Quos id agentes Liv. inducit, ut civium animos metu liberent, quippe „Romanis causam op„ pugnandi Syracusas fuisse caritatem Syracusanorum, non odium:" quae fortasse verba sumta sunt e Coelianis hunc in modum supplendis: *Nullius alius rei, nisi amicitiae eorum (Syracusanorum) causa Romanos urbem oppugnasse.* Eumdem erga Syra-

racusanos animum prae se tulerat Marcellus XXIV. 33: „ non bellum se Syracusanis, „ sed opem, auxiliumque afferre."

Fragm 26.

Non. c. 3. n. 90. col. 599: „ *Finem masc.* genere dicimus. — *Fem.* — *Coelius Annal.* lib. V: AT ALIQUAM HUIC BELLO FINEM FACERE."

Finis primis temporibus feminino magis quam masculino genere usurpatum fuisse patet e dictionibus ellipticis *hactenus*, *quatenus*, *eatenus*, in quibus deest *fine*, quod aliquando additum invenitur. Vid. *Sanct. Min.* l. IV. c. 4. p. 578. Neque tamen illud genus intra vetustissimos scriptores mansit, sed a Virgilio, Cicerone, Livio, Gellio satis frequenti usu receptum est, quorum exempla congessit virorumque doctorum hac de re animadversiones laudavit *Drakenb. ad Liv.* l. IV. c. 2. §. 4. Pro *in*, quod est apud Gothofr. Cortius edidit *at*, quod urgendi vim habet in querelis et postulationibus. Puto enim verba esse plebis conquerentis belli Punici diuturnitatem apud *Liv.* l. XXVI. c. 26. Nisi referre malis ad Latinos ac socios, quos item belli per decennium tracti adeo pertaesum erat, ut inter se fremerent, auxilia Romanis neganda esse, quo tandem hi pacem cum Poenis facere cogerentur. *Liv.* l. XXVII. c. 9. Possis etiam cogitare de Q. Baebii Herennii tribuni pl. oratione apud *Liv.* l. XXII. c. 34. qua Terentium Varronem consulatum petentem commendavit: a patriciis imperandi cupidis bellum trahi: „ nec finem ante belli habituros, quam consulem vere plebejum, „ id est hominem novum fecissent." Duo illa priora cadunt in librum V, ultimum si recipiatur, substituendus erit l. II.

Fragm. 27.

Non. c. 2. n. 307. col. 544: „ *Exfundare*, *a fundo avertere. Coelius Annalium* „ lib. V: RES PUBLICA OMISSA EXFUNDATO PULCERRUMO OPPIDO."

Quod Non. explicandi causa addit, *a fundo avertere* idem valere videtur, quod ap. *Virgil. Aen.* l. X. vs. 88. „ vertere fundo," pro quo usitatior dictio est *funditus evertere.* Nonius haec e libro VII. citat eoque retulit Cortius. Verum inter Scipionis in Africa res gestas, quarum series isto libro continebatur, nullum *pulcerrumum oppidum* deletum video. Initio quidem cepit „ urbem proximam Afrorum satis „ opulentam," ut ait *Liv.* l. XXIX. c. 29. posteaque Laelius adjuvante Masinissa Numidiae urbes recepisse traditur l. XXX. c. 12. sed neque eas deletas esse constat,

 ne-

neque de iis tam magnifice Coelius locutus sit. Aptius haec laus conveniebat Syracusis, quam urbem Marcellus non quidem funditus everterat, adeo tamen hostiliter in eam saevierat, ut quererentur legati, „ praeter moenia et tecta exhausta urbis, „ et refracta ac spoliata Deûm delubra, Diis ipsis ornamentisque eorum ablatis, nihil „ relictum Syracusis esse." *Liv.* l. XXVI. c. 30. Legati enim Siculorum illum e provincia reversum in senatu accusarunt, eoque invidiam, qua flagrabat, aluerunt. Cf. c. 29. Itaque T. Manlii Torquati aliorumque multorum acerba fuit oratio, relata *Livio* ib. c. 32: „ Inter tyrannorum et ducis Romani certamina praemium victoris „ in medio positam *urbem pulcherrimam ac nobilissimam* periisse, horreum atque ae„ rarium quondam populi Romani: cujus munificentia ac donis multis tempestatibus, „ hoc denique ipso Punico bello, adjuta ornataque respublica esset." Additur, *haec taliaque* ad invidiam consulis miserationemque Siculorum dicta esse. In quibus haud immerito locum sibi vindicet hoc Coelii fragm. „ *Res publica*, i. e. utilitas ac dig„ nitas populi Romani, *omissa*, neglecta est, non e republica Marcellus fecit *exfun„ dato* (solet enim invidia res augere, asperisque verbis uti) *pulcerrumo* Syracusa„ rum *oppido*." Possit etiam intelligi similis querela de oppido, ad duodecimum lapidem ab Aquileja distante, quod *invito senatu* deletum a M. Claudio Marcello, L. Piso auctor est apud Plin. l. III. c. 19: quamquam hoc item an pulcherrimum fuerit, non liquet. Pro *omissa* Cortius edidit *amissa*, sed rectius illud videtur, quod in Gothofr. editione est, eoque verbo saepius utuntur pro *negligere*, *parum curare*. v. c. *Cic. de Off.* l. III. c. 10. „ Omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod „ utile videbatur, neque erat, assequi posset." Ejusdem confusionis exempla Drak. annotavit ad *Liv.* l. III. c. 38. l. XXI. c. 8.

Fragm. 28.

Serv. ad Virg. Aen. l. III. vs. 402: „ *Subnixa Petilia muro.* — Alii *subnixam* „ ideo accipiunt, quia IMPOSITA EST EXCELSO MURO, ut *Coelius Historicus* ait."

Ipsa videntur Coelii verba esse, nec tamen integra, sed vel a Servio vel a librario corrupta. Coeliusne enim, aut quisquam alius bene Latine scribentium ita scripserit: *urbs imposita muro* pro *muro cincta*, vehementer dubito. Veri simillimam correctionem, ut pro *muro* legatur *tumulo*, suggerit Livius, qui l. XXVII. c. 26. insidias ab Hannibale Marcello structas exponens haec ait: „ Ibi sub tumulo Petellae tria millia „ equitum, peditum duo in occulto locata." Nam eo commode referri possint Coelii verba, qui mox in eadem historia laudatur c. 27. in f.

E Libro VI.

Fragm. 29.

Non. c. 2. n. 681. col. 573: „*Paucies* pro *raro* dici veterum auctoritas docet. — „*Coelius Annalium* lib. VI: CONSULTO NON PAUCIES ARCESSITUM."

Hujus vocabuli usum Festus quoque consignavit col. 358. nisi quod apud eum est *pauciens*, quod antiquius videtur. Ejusdem generis est *pluries* pro *saepius*, quod habet *Caes. de B. civ.* l. I. c. 79. Ceterum haec verba Coelius dicentem facere potuit Scipionem (*Liv.* XXIX. 24.), cum legati Syphacis ad eum in Siciliam venissent, a pristina societate regem descivisse nuntiantes. Qua re in vulgus sparsa ne militum animi deprimerentur, falsam orationem habuit: Venisse legatos, qui se, ut propere in Africam trajiceret, adhortarentur. Prius Masinissam (c. 4.), nunc Syphacem id petere. *Consulto* se *non paucies arcessitum* ab utroque rege, vidente scilicet istud tempus junctis viribus Karthaginem aggrediendi maxime opportunum, suasque copias Romanis addere parato. Fateor, qui bis arcessitus sit, eum aegre dici posse *non paucies* arcessitum: sed etiam cum in Hispania esset Masinissa, Scipioni in Africam trajiciendi consilium suggesserat (*Liv.* l. XXVIII. c. 35.), saepiusque hic per literas aut legatos ejus rei admoneri potuit, quorum jam nulla apud scriptores mentio; forsan oratorie res augetur: certe nullus aptior huic fragmento locus succurrebat.

Fragm. 30.

Non. c. 2. n. 528. col. 561: „*Metari*, *parare*, unde et *metatores*. — *Coelius* „*Annalium* lib. VI: OMNES SIMUL TERRAM CUM CLASSI ACCEDUNT, NAVIBUS ATQUE „SCAPHIS EGREDIUNTUR, CASTRA METATI SIGNA STATUUNT."

Cum prius legeretur lib. III. Gothofr. hanc varietatem lectionis annotavit, quam a Cortio probatam ego quoque recepi. Siquis enim Livii contulerit l. XXIX. c. 27, 28. ei dubium esse nequit, ad Scipionis in Africam adventum haec verba pertinere. Nam et quae Coelium de illa tempestate, qua classis vexata fuerit, narrasse perhibet Livius, optime cum hoc fragmento conveniunt; et idem confirmat Liviana quorumdam verborum imitatio. *Scapharum* quidem in Coelio diserta fuit mentio, in quas milites se conjecissent, quippe *navibus prope* (nec tamen prorsus) *obrutis*. Tum illa: „omnes simul terram cum classi accedunt" haud obscure exprimunt ingentem tu-

tumultum ac terrorem, quo, navibus ordine appellere prohibitis, se quisque periculo subducere festinabant. Cui celeritati pingendae aptissima h. l. est copulae omissio; quamquam id Coelio familiare fuisse supra vidimus ad fragm. 14.

Scaphae secundum *Non.* c. 13. n. 11. col. 786. „ sunt naviculae, quae majores „ naves consequuntur." Minus accurate Non. *metari* exponit, cujus verbi propria vis haec esse videtur: *metis positis aliquod spatium dimetiri certisque finibus includere.* Hinc autem illa significatio fluxit, ut *metari agros*, *urbem*, *castra* dicerent pro *colere agros*, *urbem aedificare*, *castra ponere.* Cf. *Fest.* col. 317. et *Voss. Etym. V. meta.* Statim post castrorum metationem signa terrae infigi solita fuisse docet *Lipsius de Mil. Rom.* l. V. dial. 2. allata Vegetii auctoritate l. III. c. 8.

Fragm. 31.

Non. c. 1. n. 119. col. 499: „ *Pedetentim*, et *pedepressim* dictum est *caute*, quasi lenta et tarda itione. — *Coelius Annalibus:* IPSE CUM CETERA COPIA PEDETENTIM SEQUITUR."

Copia pro copiis militaribus non admodum frequens est; utuntur tamen et alii et *Sall. Cat.* c. 61. n. 5: „ ex omni copia neque in proelio, neque in fuga quisquam „ civis ingenuus est captus." *Ipsum* intelligo P. Scipionem, de quo bellum adversus Hasdrubalem ac Syphacem gerente duplice loco tale quid memoriae proditum est. Primum in Saleram urbem, quam Hasdr. occupaverat, Masinissâ cum Numidis equitibus praemisso, dein „ cum Romano equitatu secutus, tegentibus tumulis, qui per- „ opportune circa viae flexus oppositi erant, occultus processit," ut ait *Liv.* l. XXIX. c. 34. Malo etiam accipere de nocturna expeditione, quam narrans idem l. XXX. c. 5. illud omittit, quod Polybius iisdem fere verbis, quibus hoc Coelii fragm. continetur, exposuit, ut videri possit Polybium Coelius secutus esse. Sic enim ille *Excerpt.* l. XIV. p. 947: „ *αὐτὸς δὲ τὴν λοιπὴν στρατείαν ἀναλαβὼν ἐποιεῖτο τὴν ὁρμὴν* „ *ἐπὶ τὸν Ἀσδρούβαν· ἦν δὲ αὐτῷ συλλελογισμένον, μὴ πρότερον ἐγχειρεῖν, ἕως ἂν οἱ περὶ* „ *τὸν Λαίλιον πρῶτοι τὸ πῦρ ἐμβάλωσι τοῖς πολεμίοις. οὗτος μὲν τοίαυτας ἔχων ἐπινοίας* „ *βάδην ἐποιεῖτο τὴν πορείαν.*" Ubi Polybii *βάδην* Coelius vertit *pedetentim.*

E

E Libro VII.

Fragm. 32.

Non. c. 2. n. 156. col. 533: „ *Congenuclare* est *flecti genibus. Coelius Annal.* „ lib. VII: IPSE REGIS EMINUS EQUO FERIT PECTUS ADVORSUM, CONGENUCLAT PER- „ CUSSUS, DEJECIT DOMINUM."

E VI. Coelii libro Non. haec laudat; ego Cortium secutus, septimo inserui, quia procul dubio spectant ad Syphacem, qui a Romanis et Masinissa proelio superatus „ dum obequitat hostium turmis, si pudore, si periculo suo fugam sistere possit, „ equo graviter icto, effusus opprimitur capiturque," ut est apud Liv. l. XXX. c. 12. Quis autem, equo regio vulnerando, tantum et isti victoriae cumulum, et universi belli eventui momentum addiderit, Livius reticet: sciremus, si servata essent verba fragm. hoc praecedentia. — *Advorsum* verissima videtur emendatio pro eo, quod ante legebatur, *avorsum*, quae creberrime a librariis confundi monuerunt *Drak. ad Liv.* l. II. c. 31. et scriptores ab eo citati. Qui enim *pectus avorsum* feriatur, intelligi nequit: si quidem *aversa* dicuntur, quae in tergo sunt, *adversa*, quae in fronte, facie, pectore etc. Adversa vulnera in laude ponuntur, aversa dedecori sunt, de quo complura veterum loca notavit *Cort. ad Sall. Catil.* c. 61. n. 3. Pro *congenuclat Voss. Etym. V. genu* legit *congeniclat*, ut contractum e *congeniculat.* Idem valet cognatum *congenulare*, quod *Non.* c. 1. n. 283. col. 515. exponit, *genu replicato cadere*: si *complicato* dixisset, accuratius etiam vim praepositionis *con* expressisset. Ita „ *complicitus* in genua." *Apul. Metam.* l. I. p. 111. (*ed. Elmenh.*). — Ceterum in hac particula incitatum quoddam, nec injucundum narrandi genus conspicitur, et a praesenti ad perfectum grata negligentia transilit. Quod optimis quibusque scriptoribus frequens passim Drak. ad Livium et Cort. ad Sallustium observarunt. E multis unum exemplum afferam *Liv.* l. I. c. 41: „ Tanaquil inter tumultum claudi regiam jubet, arbitros ejecit."

Fragm. 33.

Non. c. 10. n. 35. col. 770: „ *Soluerit* pro *solitus sit. Coelius Annalium* lib. VII: „ DUOS ET SEPTUAGINTA LICTORIS DOMUM DEPORTAVISSE FASCIS, QUI DUCTORIBUS „ HOSTIUM ANTE SOLUERINT FERRI."

Hic item tripliciter Cortium secutus sum: primum in servanda veteri forma *lictoris* et

et *fascis*, de qua terminatione accusativi pluralis pro *eis* sive *es* erudite agit Vir. Cl. ad *Sall. Cat.* c. 44. n. 1. — Deinde cum apud Nonium legeretur *domum ante deportavisse*, Cortius illud *ante* in posteriorem sententiae partem transtulit: *ductoribus hostium ante soluerint ferri*. Solenne hac in re verbum est *praeferre*: dixit autem Tac. *Ann.* l. I. c. 8. l. III. c. 76. *legum vocabula* et *imagines anteferre*. Fortasse facilior etiam correctio sit, si legas: *domum ante se portavisse*, ut qui fasces alias humeris imponi solerent, eos jam Karthaginienses in pompa, quo facilius a populo conspicerentur, ante se gererent. Ita extremum *ferri* simplex positum sit pro composito *praeferri*. — Denique pro l. VIII. recte Cortius legisse videtur l. VII. si quidem hujus fragmenti locus non ita magno spatio a superiore distat.

Refert enim *Liv.* l. XXX. c. 28. cum Hannibal Italia excessisset, magnam curam ac metum hominum animos occupasse, et alia reputantium, et Scipioni decertandum esse cum Hannibale, qui „ duceret exercitum — perfusum millies cruore Romano; „ exuvias non militum tantum, sed etiam imperatorum portantem. — Non esse hodie „ tot fasces magistratibus populi Romani, quot captos e caede imperatorum praeferre „ posset Hannibal." Ultimam hanc sententiam Liv. e Coelio, qui simpliciter numerum ediderat, desumsit, suoque more ornavit comparando fascium numero, qui tunc magistratibus praeferebantur: qui re vera, quantum e c. 27. colligitur, illo minor fuit. Duodenos habuere consules (24), senos quatuor praetores (24), sex Villius propraetor orae Siciliae tutandae praepositus; omnino igitur 54. Duos autem et septuaginta secundum Coelium Poeni ceperant, qui numerus an verus sit, longe exploratu difficillimum. Complures enim Romanorum duces hoc bello perierunt, quorum an fasces, una caesis aut captis lictoribus, in hostium manus venerint, non temere quisquam affirmet. Incertum hoc de Scipione consule, qui ad Ticinum in extremo periculo versatus est, *Liv.* XXI. 46; de Flaminio consule, qui ad Thrasymenum occubuit, XXII. 6; de Centenio propraetore, qui in Umbria, c. 8; de Paulo et Varrone coss, quorum in pugna Cannensi alter in fugam datus, alter interfectus est, c. 49; de Cn. et P. Scipionibus procoss. in Hispania occisis, XXV. 34, 36; de Fulvio denique praetore, qui ad Herdoneam concidit, XXVII. 1. Gracchi quidem proconsulis insidiis circumventi duodecim fasces ad Hannibalem missos esse constat e l. XXV. c. 16. Marcelli et Crispini consulum simili fraude captorum lictores „ quinque vivi in hostium potes„ tatem venerunt; ceteri aut interfecti, aut cum consule effugerunt," ut habet *Liv.* l. XXVII. c. 27. Cf. *Plut. Marc.* c. 29. Jam hos fasces a totidem lictoribus domum deportatos scribit Coelius; quod *lictorum* nomen, aliaque suae civitatis propria saepe Romani scriptores de exteris gentibus usurpant, ut exemplorum copia docuit *Cort. ad Sall.*

Sall. Jug. c. 12. n. 3. Similiter Cato in Orig. *dictatorem* appellaverat Hannibalem. — De antiqua forma *soluerit* Grammaticorum loca collegit Cort. ad hoc *Sallustii fragm.* p. 959: „ Neque subsidiis, uti soluerat, compositis."

Fragm. 34.

Festus p. 160. col. 216: „ *Topper* significare ait Artorius *cito*, *fortasse*, *celeriter*, „ *temere.* — *Fortasse*: sic *Coelius* l. VII: ITA UTI SE QUISQUE VOBIS STUDEAT AE„ MULARI IN STATU FORTUNAE REIPUBLICAE, EADEM RE GESTA, TOPPER NIHILO MI„ NORE NEGOTIO ACTO, GRATIA MINOR ESSET."

Eumdem Festi locum Ant. Augustinus Pauli Diaconi Epitomae inseruit col. 467. ubi Coeliana cum unius verbi varietate leguntur; in principio enim pro *se* August. dedit *sese.* Totum fragm. miseris modis corruptum est, cui siquis probabilem medicinam attulerit, nae is

„ erit mihi magnus Apollo."

Ipsa vero caliginis hujus densitas corrigendi audaciam addit, si forte aliquem, qui ferri possit, sensum eruere liceat. Itaque primum suspicor illud *uti*, e superiori voce natum, delendum esse. Deinde pro *se quisque* substituas velim *siquis* vel *siquis e.* Non quo me offendat illa constructio *se studet aemulari*, quam et aliis veterum exemplis et hoc ipso confirmat *Cort. ad Sall. Cat.* c. 1. n. 1. Sed ad hujus loci sententiam requiri videtur *si*, quod ut facile abire potuit in *se*, ita librarii sequens vocabulum huic pronomini accommodare studentes *quis* mutaverint in *quisque.* Denique extremum *esset* mutandum arbitror in *est*, quae frequenter a librariis confundi monet *Drak. ad Liv.* l. XX. c. 36. §. 4. Unde totius particulae haec nascitur lectio: ITA SI QUIS VOBIS STUDEAT AEMULARI IN STATU FORTUNAE REIPUBL. EADEM RE GESTA, TOPPER NIHILO MINORE NEGOTIO ACTO, GRATIA MINOR EST. Videtur his verbis eorum castigari iniquitas, qui paribus meritis imparem gratiam tribuant. Quis autem, et ad quos dixerit, de eo dupliciter disputari potest pro inserta vel omissa vocula *e* ante *vobis.* Quae si absit, ipsis gratia merita defraudantibus coram exprobari videtur injuria. Sin legas *siquis e vobis*, jam habes orationem ad eorum animos, qui ceteris injuste posthabiti essent, indignitate rei inflammandos compositam. In praecedentibus apud Coelium exemplum aliquod, aliudve argumentum allatum fuisse suspicor e vocabulo *ita.* Obscurius est, quid illa sibi velint: *in statu fortunae reip.* Si modo haec quoque lectio proba est. Videtur quidem *status fortunae reip* prosperam ejus conditionem, potentiam ac dignitatem indicare, *in qua* (sc. augenda et stabi-

billenda) suum illi studium atque aemulationem ponere dicantur. *Studet aemulari* dixit etiam Horatius in notissimo carmine „ Pindarum quisquis" l. IV. od. 2. vs. 1. Verba *eadem re gesta* vel Fulvius Ursinus, qui Festum edidit, vel Gothofr. uncinis inclusit, credo quia tautologa viderentur cum sequentibus *nihilo minore negotio acto.* Suum tamen locum ita servare possint, si *nihilo minore* per litoten dictum existimetur pro *majore*, cujus figurae veteribus admodum frequentis plurima congesserunt exempla *Drak. ad Liv.* l. XXX. c. 45. ab eoque laudatus *Casaub. ad Polyb.* p. 1547. tum *Cort. ad Sall. Catil.* c. 3. n. 1. Sic Liv. l. XXXII. c. 22: „ inter magistratus „ gentis — certamen nihilo segnius, quam inter multitudinem esse," i. e. acrius, vehementius. Eoque ducit etiam adjectum *topper*, quod alioquin otiosum esset, nunc vero talem sensum efficit: *si quis eamdem, fortasse majorem etiam rem gesserit, tamen gratia minor est. Topper* inter vocabula „ ab ultimis et jam obliteratis repetita „ temporibus" recenset *Quintil.* l. I. c. 6. Alii scribunt *toper*, ut, quem *Voss. Etym.* V. *nuper* citat, *Scalig. de Poet.* l. VII. c. 1. p. 2. conflatum putans ex *toto opere*: „ Significat enim *Toper* cito et expedite, ita ut opera absoluta sit."

Jam verbis qualicunque tandem ratione explanatis quaeritur, ubi Coelius haec usurpaverit. Septimo quidem libro, qui belli Punici fine terminatus videtur, nullum omnino, in cetera belli historia unum locum invenio, quo, difficulter tamen, trahi possint. Refert *Liv.* l. XXVII. c. 9. Latinorum ac sociorum fremitus de suis civibus a Romanis in Siciliam ablegatis. In quorum concilio principum aliquis in hanc sententiam dicere potuit: „ vobis, licet virtute laboribusque ad rem Romanam augendam „ non minus, imo fortasse plus conferatis, quam ipsi Romani, minor habetur gra„ tia." Tum autem legendum est *e vobis.* Posset etiam cogitari de Campanorum oratione, postulantium, „ ut alter cos. Campanus fieret, si rem Romanam adjuvari vel„ lent," nisi Coelium id praetermisisse diserte traderet *Liv.* l. XXIII. c. 6. Quid, si libro VIII vel IX. scripta fuerint in narratione belli Macedonici Punicum proxime secuti? in quo Aetolos Romanorum socios ita cum Quintio Flaminino expostulantes facit *Liv.* l. XXXIII. c. 12: „ ut dura atque aspera belli Aetoli exhauserint, pacis „ gratiam et fructum Romanus in se vertat."

Fragm. 35.

Philargyrius ad Virg. Georg. l. II. vs. 345: „ Nove *indulgentia* dixit. Veteres „ enim *indulgitatem* dicebant, ut *Coelius in* VII: CONSUETUDINE UXORIS, INDULGI„ TATE LIBERUM."

Aliud

Aliud hujus antiquae vocis *indulgitas* exemplum e Sisenna laudat *Non.* c. 2. n. 439. col. 555: „ Bassus assiduitate, indulgitate victus." Similiter *indulgentiam* et *assiduitatem* conjungit Plancus in *Cic. ad div.* l. X. ep. 24. Quo Philargyrii confirmatur observatio, *indulgentiam* apud recentiores idem valuisse, quod apud veteres *indulgitatem.* Utrumque proprio quodam sensu de liberorum amore usurpari solet, hoc a Coelio, illud a *Cic. de Or.* l. II. c. 40: „ Si ferae partus suos dili- „ gunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?" *in Verr.* act. II. or. I. c. 44: „ non dubito, quin, ut mihi, cui filia maxime cordi est, unicuique „ vestrum, qui simili sensu, atque *indulgentia* filiarum commovemini, res haec acer- „ ba videatur atque indigna. Quid enim natura nobis jucundius, quid carius esse „ voluit? Quid est dignius, in quo omnis nostra diligentia *indulgentiaque* consuma- „ tur?" ubi vid. Ernestius.

Sin jam historica desideratur explicatio, equidem in toto bello Punico 2° neminem offendi, qui vel ob singularem in suos pietatem laudaretur, vel quem ista causa ab reipublicae bellique curis averteret, vel in quem alio quocunque modo conveniret hoc fragm. Cujus si posterior pars deesset, ad Syphacem referrem, quem inprimis Sophonisbae uxoris amor Karthaginiensium partibus devinctum tenuit: *Liv.* l. XXIX. c. 23. l. XXX. c. 3.

Incerta, quibus in Coelii libris exstiterint.

Fragm. 36.

Prisc. l. VIII. col. 792: „ Haec plerique deponentia esse confirmant, ideo, quia „ frequens usus eorum significationis est activae. Communia vero esse defendit tum „ natura ipsius sensus, tum veterum non improbanda auctoritas. *Coelius:* EX SCRIP- „ TIS EORUM, QUI VERI ARBITRANTUR, passive, ὑπολαμβάνονται."

De talium verborum forma dixi ad fragm. 24. et hunc locum in diligentiae, qua Coelius historiam scripsit, argumentum attuli p. 16.

Fragm. 37.

Charis. l. I. col. 112: „ *Nobiliore.* Comparativa Plinius *e* putat ablativo finiri. „ *Coelius* tamen ait per *i*: PUBLICATOS QUIPPE FASTOS OMNES ET LIBROS A FULVIO „ NOBILIORI SCRIPTA RETULISSE."

De hoc quoque Fragm. supra vidimus p. 16. De Fulvio Nobiliore Ciceronis locos

Ern. in Cl. attulit, quibus add. *Brut.* c. 20. et *Vell. Paterc.* l. I. c. 15. l. II. c. 38. Videtur apud antiquissimos non modo comparativorum, sed omnium tertiae declinationis nominum dativis et ablativis communis fuisse terminatio in *i*, quam in nonnullis retinuerunt posteri: ceterorum ablativus in *e* finiri coepit. Vid. *Periz. ad Sanct. Min.* l. I. c. 6. p. 36. *Sanct.* ipse l. II. c. 7. p. 197 — 200.

Fragm. 38.

Charis. l. I. col. 101: „ *Dii* pro *die* seu *diei* Lucani. Virgil. enim [*Georg.* I. „ 208.]:

„ Libra dii somnique pares ubi fecerit horas.

„ est . . . . ante iis, DIIQUE per *ii* semper legendum esse definit, idque in Coelii „ historia deprehendes."

Quo modo *Lucanis* Virgilius annumeretur, an illud gentis nomen librarii debeatur errori, quid in lacuna lateat; obscurae ista sunt indagationis, nec forsan hujus loci: nobis sufficit, in Coelii historia genitivum nominis *dies* scriptum inveniri *dii*. De quo classicus locus est *Gellii* l. IX. c. 14. ubi plerosque veteres in genitivo dixisse tradit *hujus facies*, neque tamen alteram formam *facii* „ abesse," inquit, „ a quadam „ consuetudine prisca existimavimus. Nam et ab eo, quod est *hic dies*, tam *hujus* „ *dii*, et ab eo, quod est *haec fames*, tam *hujus fami* dixerunt." Ejusque consuetudinis exempla cum e Catone, Lucilio, Sisenna, ceteris vetustioribus affert, tum in *Virg. Aen.* l. I. vs. 640. ubi vulgo legitur:

„ Munera laetitiamque Dei,"

substituendum putat *dii*, similiterque *pernicii* pro *perniciei* in *Cic. pro Rosc. Am.* c. 45. Ad Virgilii locum Servius quoque testatur veteres dixisse *famis*, *fami*, ubi pro *famis* legendum conjicio *fames*.

Fragm. 39.

Charis. l. II. col. 195: „ SUBINDE. Nepos de Illustribus viris lib. II. sed et Bru„ tus et *Coelius* frequenter eo usi sunt."

Fragm. 40.

Quintil. l. I. c. 6: „ Neque enim — jam in nobis quisquam ferat — PARRICIDA-„ TUM, quod in *Coelio* vix tolerabile videtur."

Hoc vocabulum fortasse derivatum est ab obsoleto verbo *parricidare*, veluti *peculatus* a *peculari*. Legitur autem in alio MSto *parrucidatim*, in alio *paricidatim*, ut ad h. l. notavit Burmannus.

Fragm. 41.

Quintil. l. VIII. c. 3: „ Et quae vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, et quae-„ dam in usu perquam recentia. — *Coelius* ac Sisenna: ALBENTI COELO.

Vulgo legitur *Caecilius ad Sisennam*, sed assentio Burmanno docenti, propter temporis intervallum, quod amborum aetatibus interjectum fuerit, Caecilium ad Sisennam scribere non potuisse, quare legendum putat *Caecilius ac Sisenna*. Mavult autem illius nomen in *Coelius* mutare „ quia in poëta nihil hoc miri esset, si is *albente* „ *coelo* dixisset:" tum quod Caesarem et Auctorem belli Africani, his verbis utentes, Historicos, quam poëtas secutos esse probabilius sit. Quibus argumentis unum addiderim, ex orationis apud Quintilianum nexu petitum. Ostendit ille, quosdam non adeo priscos scriptores, ut Messalam, Augustum, Ciceronem, Terentium, Hortensium aliqua verba nova primos usurpasse. A quorum aetate cum propius abfuerit Coelius quam Caecilius, ille Quintiliani consilio aptior videtur.

Fragm. 42.

Caper col. 2243: „ *Calva* κράνιον vocatur, licet *Coelius* et Varro CALVARIAM di-„ cant, nam *calvariae* plurale est calvae ossa, quae sunt et singulariter *calvaria*."

Calvaria *Voss. Etym.* V. *Calva* dictum putat quasi *Calva area*. Hoc vocabulo non tantum Celsus, Plinius, et Palladius usi sunt, sed etiam, qui Coelio paulo vetustior fuit, antiquus Historicus Gellius, e cujus libro XXXIII. *Charis.* col. 40, 112, haec laudat: „ Calvariaeque ejus ipsum ossum expurgarunt inauraruntque."

CAPUT TERTIUM.

LOCA SCRIPTORUM COELII SENTENTIAS SUIS VERBIS REFERENTIUM.

E Cicerone.

Orat. c. 69. §. 229. ubi numerum oratorium commendat: „ Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile „ faciamus; ne aut verba trajiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur ora- „ tio: quod se L. Coelius Antipater, in prooemio belli Punici, nisi necessario, fac- „ turum negat."

De his verbis a Vossio allatis pauca dixi p. 13. n. 16. indeque, septem prioribus Coelii libris singularem *belli Punici* titulum impositum fuisse, effeci p. 12. n. 12.

De Divin. l. I. c. 24. §. 48. ubi divinitus immissa somnia memorantur: „ Hannibalem Coelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Junonis Laci- „ niae, auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, „ perterebravisse: cumque solidam invenisset, statuissetque tollere, ei secundum quie- „ tem visam esse Junonem praedicere, ne id faceret, minarique, si fecisset, se „ curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret: idque ab homine „ acuto non esse neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam „ curasse faciendam, et eam in summa columna collocavisse."

Junonis templum in Lacinio promontorio non longe a Crotone distans, sanctitate divitiisque celeberrimum Liv. describit l. XXIV. c. 3. hujusque ipsius columnae meminit e magnis pecorum reditibus exstructae, quam diserto tradens *solidam* fuisse fortas-

tasse respexit ad hanc Coelii de Hannibale narrationem. Multis donariis hoc templum ornatum fuisse refert *Polyb. fragm.* l. V. p. 1505. cf. etiam *Valer. Max.* l. I. c. 1 ex. 20. Quem hic Junonis metum Hannibali Coelius tribuit, is non obstitit, quo minus idem in Africam rediturus hujus delubri sanctitatem violaret, „ multis Italici „ generis (quia in Africam secuturos abnuentes concesserant in Junonis Laciniae de„ lubrum, inviolatum ad eam diem) in templo ipso foede interfectis," ut est apud *Liv.* l. XXX. c. 20. Attamen *Liv.* l. XLII. c. 3. iterum opinor Coelii auctoritatem secutus, senatores Romanos dicentes facit, illud templum nec a Pyrrho, nec ab Hannibale violatum esse. In eo rerum gestarum commentarios aeneae tabulae inscriptos Hannibal reliquit, a Polybio memoratos l. III. c. 33, 56. Cf. *Liv.* l. XXVIII. c. 46.

De singulis verbis, admonitu vix opus est, *secundum quietem*, quod Cicero etiam c. 21. in f. usurpat, idem esse, quod *in quiete* c. 25. pro quo alibi fere dicit *in somnis.* Porro notissimum Hannibalem in Alpium trajectu altero oculo captum fuisse. *Polyb.* l. III. c. 79. *Liv.* l. XXII. c. 2. Minus recte sollicitare videtur Ern. verbum *praedicere*, quod vim habet monendi aut dissuadendi cum addita periculi denuntiatione, si monitum negligas. Ita *Liv.* l. XXI. c. 10: „ monuisse, praedixisse se, „ ne Hamilcaris progeniem ad exercitum mitterent." Inde vero ad simplicem monendi significationem traductum est. *Nep. Themist.* c. 7: „ eisque praedixit, ut ne prius „ Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus."

Ibid. §. 49. „ Hoc idem in Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est: „ is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est: Hannibalem, cum cepisset Sa„ guntum, visum esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari: quo cum venis„ set, Jovem imperasse, ut Italiae bellum inferret, ducemque ei unum e concilio da„ tum: quo illum utentem, cum exercitu progredi coepisse: tum ei ducem illum prae„ cepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cu„ piditate respexisse: tum visam beluam vastam et immanem, circumplicatam serpen„ tibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere, et eum ad„ miratum quaesisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum: et deum respondis„ se, vastitatem esse Italiae, praecepisseque ut pergeret protinus; quid retro, atque „ a tergo fieret, ne laboraret."

De Sileno vid. supra p. 15, 16. *Liv.* l. XXI. c. 22. hoc somnium ita narrat, ut ex eodem fonte, quo Ciceronem, hausisse appareat. Silet autem de concilio deorum, contraque adjicit, post illum serpentem visum esse „ insequi cum fragore coeli nim-

 „ bum."

„ bum." Alios scriptores citat Modius ad Livii locum. Silius pro duce Mercurium induxit. Observatur autem in Cicerone negligentius quoddam et jucundum narrandi genus, quod e Coelii lectione adhaerere potuit, v. c. in his verbis: „ illum autem „ id diutius facere non potuisse," scil. oculos cohibere, quod intelligitur e praecedente *ne respiceret*.

Ibid. c. 26. §. 55. in eodem argumento: „ Omnes hoc Historici, Fabii, Gellii, „ sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas „ ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. „ Qui antequam fierent, cumque jam populus consedisset, servus per circum, cum „ virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti „ visus est venire, qui diceret, praesulem sibi non placuisse ludis, idque ab eodem „ jussum esse eum senatui nuntiare: illum non esse ausum: iterum esse idem visum „ et monitum, ne vim suam experiri vellet: ne tum quidem esse ausum. Exin fi- „ lium ejus esse mortuum: eamdem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum il- „ lum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula „ in curiam esse delatum, cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis do- „ mum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instaura- „ tos, memoriae proditum est."

Ciceronem hic prae Fabiis et Gelliis Coelium inprimis secutum esse patet e verbis hunc locum excipientibus, „ ut scriptum apud *eumdem* Coelium est." Historiam tradit *Liv.* l. II. c. 36. ubi ad §. 2. Sabellicus aliorum loca citat. Secundum Livium rusticus ille consulibus rem nuntiare jussus est, secundum Coelium senatui, quem sequitur *Plut. Coriol.* c. 24. Quod Cicero dicit, *cum virgis caederetur*, id Graeci participio suo praesenti *μαστιγούμενος* exprimerent, quo cum careant Latini, Cicero ad hanc periphrasin, Liv. ad partic. praeteritum *caesum* confugit, quod tamen eodem modo intelligendum videtur.

Ibid. §. 56: „ C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eumdem Coe- „ lium est, sibi in somnis quaesturam petenti Ti. fratrem visum esse dicere, quam „ vellet, cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. „ Hoc antequam tribunus plebi C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Coe- „ lius, et dixisse multis."

In

In eodem somnio narrando Coelium auctorem laudat *Valer. Max.* l. I. c. 7. Rom. ex. 6: „ C. autem Graccho imminentis casus atrocitas palam atque aperte per quie„ tem denuntiata est: somno enim pressus Ti. Gracchi fratris effigiem vidit, dicen„ tis sibi: nulla ratione eum vitare posse, ut eo fato non periret, quo ipse propul„ sus e Capitolio occidisset. Id ex Graccho prius, quam tribunatum, in quo fra„ ternum exitum habuit, iniret, multi audiverunt. Coelius etiam certus Romanae „ historiae auctor sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scri„ bit." Quo loco Voss. ad aetatem Coelii definiendam usus est: vid. supra pag. 7. E Cicerone refert *Plut. C. Graccho* c. 1. additque ei omnem honorum ambitionem fugienti somnium illud obvenisse. Unde colligitur, verba *quaesturam petenti* jungenda esse cum antecedentibus *in somnis*, ut hoc quoque Gracchus somniaverit, se quaesturam petere. Clar. Bakius in Scholis ad h. l. ad verba *dixisse multis* annotavit: „ Accipiendum de Coelio, qui si reticuisset, nec nisi postea vulgasset, fingere visus „ esset: itaque non opus est, ut cum Hottingero legamus *dixisse multos*".

Ibid. c. 35. §. 77, 78. inter exempla prodigiorum: „ quid bello Punico secundo, „ nonne C. Flaminius iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade rei„ publicae? Qui exercitu lustrato, cum Arretium versus castra movisset, et contra „ Hannibalem legiones duceret, et ipse et equus ejus ante signum Jovis Statoris sine „ causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, objecto signo, ut peritis „ videbatur, ne committeret proelium. Idem cum tripudio auspicaretur, pullarius „ diem proelii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quaesivit, si ne postea „ quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Cum ille quiescendum respon„ disset, Flaminius: praeclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, „ saturis nihil geretur. Itaque signa convelli et se sequi jussit. Quo tempore cum „ signifer primi hastati signum non posset movere loco, nec quidquam proficere„ tur, plures cum accederent, Flaminius, re nuntiata, suo more neglexit. Itaque „ tribus horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, „ quod addidit Coelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum fieret proelium, tan„ tos terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque in Italia „ factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque „ desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare in„ fluxerit."

Priora quoque illa de Flaminii religionis negligentia et clade Ciceronem e Coelio sum-

sumsisse docet verbum *addidit*, quo posteriorem sententiae partem orditur, idemque diserto tradit *de Nat. Deor.* l. II. c. 3: „C. Flaminium Coelius religione neglecta ce„cidisse apud Thrasymenum scribit cum magno reip. vulnere." Historiam vide apud *Liv.* l. XXII. c. 3—6. *Flor.* l. II. c. 6. §. 24. *Valer. Max.* l. I. c. 6. *Plut. Fab.* c. 2. In *enumerandis* autem *signis rerum futurarum* variant auctores. Coelius tria memorat: ipsum consulem cum equo concidisse; pullarium diem proelli distulisse; denique signa convelli non potuisse. Quorum alterum de pullis, a Livio, Floro, Valerio praetermissum Coelius confundere potuit cum simili Claudii temeritate, de qua *Cic. de Nat. Deor.* l. c. Florus etiam primum illud de casu equi omittit aliudque refert prodigium, examen apum signis insedisse. Ceterum ex h. l. discimus, quod reliqui tacent Historici, in castris fuisse signum Jovis Statoris. Tres ferme horas pugnatum esse narrat etiam *Liv.* c. 6. Qui in terrae motu describendo Coelium secutus videtur; adeo singula conveniunt: addit autem prae pugnae ardore neminem id pugnantium sensisse, quod confirmant *Plut.* et *Plin.* l. II. c. 84. Ridicule Florus equitum virorumque discursum et mota vehementius arma σεισμοῦ illius causam fuisse suspicatur.

E Livio.

L. XXI. c. 38. de Hannibalis itinere per Alpes: „Id cum inter omnes constet, „eo magis miror ambigi, quanam Alpes transierit: et vulgo credere, Penino, atque „inde nomen ei jugo Alpium inditum, transgressum. Coelius per Cremonis jugum „dicit transiisse, qui ambo saltus eum non in Taurinos, sed per Salassos montanos „ad Libuos Gallos deduxissent."

Cremonis jugum cum nusquam apud scriptores occurrat, Sabellicus, Beroaldus, alii legunt *Centronis jugum*, qui Centrones Galliae populus fuerit, haud longe a Penino jugo incolens. *Grejonis* sive *Grajonis jugum* suspicatur Lipsius, de toto hoc Livii loco docte disserens *Ad Belgas Centur.* I epist. 93. Varias cum ipsorum veterum, tum recentiorum opiniones de via, qua Hannibal Alpes transierit, referre longum sit, dijudicare arduum. Novam sententiam, ipsis locis inspectis, proposuit J. A. de Luc in libro Gallico, qui inscribitur *Histoire du passage des Alpes par Annibal*, in quo Polybium diligenter scripsisse, sed a Livio mutilatum statuit.

Ibid.

Ibid. c. 46. de P. Scipione consule, quem in proelio ad Ticinum filius periculo eripuerit: „Servati consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat. Ma„lim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et fama obti„nuit."

Delegare tribuendi sensu positum plerumque dativo jungitur: dicit tamen Livius etiam l. X. c. 19: „Eo rem adductam, ut omne rei bene aut secus gestae in Etru„ria decus dedecusve ad L. Volumnium sit delegatum." Consulem a filio servatum scribunt auctores a Grutero citati et *Florus* l. II. c. 6. §. 10.

Ibid. c. 47. de Poenorum exercitu Padum trajiciente; „Coelius auctor est Mago„nem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse; ipsum Han„nibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis in ordinem ad susti„nendum impetum fluminis oppositis. Ea peritis amnis ejus vix fidem fecerint. Nam „neque equites, armis equisque salvis, tantam vim fluminis superasse verisimile est, „ut jam Hispanos omnes inflati transvexerint utres: et multorum dierum circuitu Pa„di vada petenda fuerant, qua exercitus gravis impedimentis traduci posset."

Quod Livius hic Coelium scripsisse tradit, de eo cum apud reliquos Historicos, tum apud Silium Italicum altum silentium est, quod suadet, ut Livio potius fidem habeamus. Padi magnitudinem ac vim, ut fugiendi obstaculum, paulo ante militibus ostenderat Hannibal c. 43.

L. XXII. c. 31. de Q. Fabio Maximo, dictator fuerit, an prodictator: „Omnium „prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt. Coe„lius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit. Sed et Coelium et „ceteros fugit, uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia ab„erat, jus fuisse dicendi dictatoris: quam moram quia exspectare territa jam clade „civitas non poterat, eo decursum esse, ut a populo crearetur, qui pro dictatore es„set: res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentes titulum imaginis poste„ros, ut qui pro dictatore, dictator diceretur, facile obtinuisse."

Post pugnam ad Thrasymenum proximeque secutam Centenii propraetoris cladem resp. dictatoris imperio indigere visa est. Verum „quia et cos. aberat, a quo uno

 di-

„ dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nun„ tium, aut literas mitti; nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante „ eam diem factum erat: prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum, et „ magistrum equitum M. Minucium Rufum," ut scripsit *Liv.* c. 8. Dictatorem tamen Fabium appellant *Polyb.* l. III. p. 331. *Nep. Hann.* c. 5. *Plut. Fab.* c. 4. *Sil. Ital.* l. VII. vs. 21, 269, 378. Plutarchus etiam illud verae dictaturae indicium ei tribuit, quod ipse magistrum equitum creaverit, secus ac Liv. a populo factum tradens. Hoc a Romanis religiosissime observatum esse, ut nemo, nisi cos. dictatorem diceret, alio memorabili confirmatur exemplo l. XXVII. c. 5. Dissensu senatum inter et Valerium consulem orto tribuni plebem rogarunt, eaque dictatorem non creavit, sed dici jussit Q. Fulvium: cujus plebisciti vim ut eluderet Valerius, urbe excessit; „ destitutique Patres literas ad M. Claudium [alterum consulem] mittendas „ censuerunt; ut desertae ab collega reipublicae subveniret, diceretque, quem populus „ jussisset, dictatorem." — De falsis imaginum titulis, qui multum in historia turbarunt, Livii loca citavit Strothius. Add. *Cic. Brut.* c. 16.

L. XXVI. c. 11. de Hannibalis e Campania Romam versus itinere: „ Hujus popu„ latio templi haud dubia inter scriptores est. Coelius Romam euntem ab Ereto „ divertisse eo Hannibalem tradit: iterque ejus ab Reate Cutiliisque, et ab Amiterno „ orditur. Ex Campania in Samnium, inde in Pelignos pervenisse; praeterque oppi„ dum Sulmonem in Marrucinos transiisse, inde Albensi agro in Marsos, hinc Ami„ ternum, Forulosque vicum venisse."

Ereto: debetur haec lectio Sabellico, cum ante esset *freto;* correxit idem paulo post *Marrucinos* pro *Martianos.* Quae repugnantia Coelii narrationi inesse videri possit, eam explicatione sua sustulit Sigonius. De hoc loco pauca monui p. 18.

L. XXVII. c. 27. de variis circa Marcelli mortem scriptorum sententiis: „ Ut „ omittam alios, L. Coelius triplicem rei gestae ordinem edit, unam traditam fama; „ alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuerit; tertiam, quam ipse pro „ inquisita ac sibi comperta affert."

De his item verbis, ubi pro *L. Coelius* alii *C. Laelius* habent, agendi locus fuit pag. 17. *Laudationem* et *laudare* passim de oratione funebri dici, multis exemplis do-

docent *Interpr. ad Liv.* l. II. c. 47, 61. Institutum hoc alendo gloriae studio utilissimum Polybius persequitur l. VI. p. 689.

L. XXVIII. c. 46. de Poenorum navibus ab Octavio captis: „Eisdem diebus naves „onerarias Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciae „praeerat, captas, Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, „Valerius praedam Etruscam Ligurumque montanorum captivos Karthaginem perportantes, tradit."

De frumenti inopia, qua Hannibal premebatur, ipsius Coelii verba vidimus fragm. 17. Idem declarat *Liv.* ib. c. 12: „nam ad cetera id quoque accesserat, ut „ne alendi quidem exercitus, nisi ex Bruttio agro, spes esset; qui, ut omnis cole„retur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat."

L. XXIX. c. 25. de numero militum, quos Scipio in Africam trajecerit: „Coe„lius ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Volucres „ad terram delapsas clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse na„ves, ut nemo mortalium, aut in Italia, aut in Sicilia, relinqui videretur."

Multitudinis species id esse videtur, quo multitudo nostros oculos et animos advertit. Hanc Coelius *ad immensum auget*, i. e. talia narrat, quae immensae multitudinis cogitationem injiciant. Quorum primum, volucres ad terram delapsas esse, conferri potest cum *Plutarcho Flamin.* c. 10. scribente, ludis Isthmicis, cum Graeciae libertas voce praeconis pronuntiata esset, tantum exstitisse laetantium clamorem, ut corvi, forte supervolantes, in stadium deciderent; ejusque rei varias addit physicas rationes. Alterum Liv. mox in simili re usurpat c. 28: „ut relinqui subito „Africam diceres."

Ibid. c. 27. de Romanae classis in Africam navigatione: „Prosperam navigatio„nem sine terrore ac tumultu fuisse, permultis Graecis Latinisque auctoribus credidi: „Coelius unus, praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnes coe„lestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad „insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum exponit: et prope obrutis navibus,

,, bus, injussu imperatoris, scaphis, haud secus quam naufragos, milites sine armis ,, cum ingenti tumultu in terram evasisse."

Conf. Coelii fragm. 30. *Coelestes maritimosque terrores* ita distinxerim, ut illi sint procellae, imbres, fulmina, veluti *Liv.* l. IV. c. 30. pluviam *coelestes aquas* appellat; hi ad ipsorum fluctuum motum pertineant. Aegimuri insulae situs definitur l. XXX. c. 24.

Ibid. c. 35. de scriptorum dissensu, duone an unus Hanno interfectus sit: ,, Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt."

Incertum, uter Hanno intelligatur, quem modo Liv. ad Saleram equestri proelio caesum dixerat, an, quem supra c. 29. De quorum confusione vid. *Interpr. ad Eutrop.* l. III. c. 20.

E Valerio Maximo.

L. I. c. 7. Rom. ex. 6. Gracchi somnium e Coelio refertur, quem locum pag. 55. cum Ciceroniana ejusdem rei narratione conjunxi.

E Plinio.

Hist. Nat. l. II. c. 67. de Oceani navigatione: ,, Nepos Corn. auctor est, Eu- ,, doxum quemdam sua aetate, cum Lathyrum regem fugeret, Arabico sinu egres- ,, sum Gades usque pervectum, multoque ante eum Coelius Antipater, vidisse se, ,, qui navigasset ex Hispania in Aethiopiam commercii gratia."

Marcianus Capella *Philol.* l. VI. de rotunditate terrae agens, hoc Plinii caput maximam partem secutus est suoque more ornare studuit. Hunc locum sic expressit: ,, Coelius Antip. se hominem vidisse affirmat, qui negotiationis ardore in Aethiopiam ,, ex Hispania navigasset." Ubi notandum est, inferiore Latinitate *commercium* et *negotiatio* pro *mercatura* dici. Nam quae Ciceronis et Livii loca citari solent, illius in *Verr.* act. II. l. III. c. 40. hujus l. IV. c. 52. ibi *commercium* non esse videtur ipsa mercatura, sed mercandi potestas ac venia, quo sensu ponunt etiam *Cic.* ib. l. IV. c. 59. *Liv.* l. XLV. c. 29. Sallustii vero verba *Jug.* c. 18. n. 6: ,, ma-

„ mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant," ita explicuerim: ea obstabant, quo minus utriusque regionis incolae ad se mutuo possent accedere, aut quidquam ab alteris ad alteros commodi pervenire, quo tamen etiam continetur mercatura. Cujus rei studio ad ignotas regiones exquirendas homines duci, alibi quoque Plin. observat l. VI. c. 29: „ Hinc in ora Aethiopiae sinus incognitus, quod admiremur, cum ulteriora mercatores scrutentur." De veterum navigatione per Oceanum illum meridionalem vid. *Salmas. ad Nep. Fragm.* p. 417. Clar. *Bakius Posid.* p. 101 — 103.

L. III. c. 19. de Alpium longitudine: „ Alpes in longitudinem X. millia passuum „ patere a Supero mari ad Inferum, Coelius tradit: Timagines XXII. millia passuum „ deductis."

Hic locus quomodo vel interpretandus vel corrigendus sit, Geographi viderint. Passuum enim numerus cum a Coelio, tum a Timagine proditus immane quantum discrepat a *Polybio Fragm.* l. VII. p. 1504. Alpium longitudinem statuente 2,200. stadiorum, i. e. 264,000. passuum. cf. l. II. p. 142 sq.

L. XXXI. c. 2. de mirabili quarumdam aquarum natura: „ Ctesias tradit Siden vocari stagnum in Indis, in quo nihil innatet, omnia mergantur. Coelius apud nos in Averno ait etiam folia subsidere."

Avernum et Lucrinum in Campania lacus Augustus portu Julio ducto cum mari conjunxit, ut in ejus vita tradit *Suet.* c. 16. quod carmine celebrat *Virgil. Georg.* l. II. vs. 161 — 164. Locus erat calidis aquis refertus, eoque ipso levissimis, ut in iis folia subsiderent. Vid. *Freinsh. Suppl. Liv.* l. CXXVIII. c. 30. Contraria exempla aquarum, in quibus ob gravitatem omnia fluitarent, hunc Plinii locum proxime sequuntur, eamque rem physice explicat *Seneca Nat. Quaest.* l. III. c. 25. ubi vid. Lips. Suspicor Coelium, cum libro V. Hannibalem Puteolos tentandi causa se ad Averni lacum contulisse narraret (de quo *Liv.* XXIV. 12.), hoc de mira istius aquae levitate inseruisse. Amabat enim physica et geographica Coelius historicis inspergere, quod inprimis e Plinii locis apparet.

E Marciano Capella.

Hujus locum de meridionalis Oceani navigatione, e Plinio expressum, paulo ante attuli.

Atque ita, cujus absolvendae exigua spes ab initio fuit, hanc de Coelio scriptionem ad finem perduxisse mihi videor, quae si forte, quod item sperare vix audeo, Viris Celeberrimis hujus certaminis βραβευταῖς haud omnino displicuerit, suavissimum invenero laboris exhausti fructum.

„ *Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas*
„ *Omnia destruitis.*"

OVIDIUS.

GUILIELMI GROEN VAN PRINSTERER,

EX PAGO VOORBURG HOLLANDI,

LIT. HUM. IN ACAD. LUGD. BAT. CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM,

A NOBILISSIMA FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM A. MDCCCXX. PROPOSITAM:

Disputatio de L. Coelio Antipatro historico belli Punici Secundi, *in qua colligantur loca Scriptorum, qui ejus vel sententias, vel ipsa verba referunt, praeterea eorum, qui eandem historiae partem explicantes, tacite ejus auctoritatem sequi videantur: singulaque illustrentur adhibita interpretatione, cum historica, tum grammatica.*

PRAEMIO ORNATA D. VIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXI.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

PRAEFATIO.

De veterum Literarum utilitate nemo, nisi qui aut plane rudis sit earum, aut hebetiori ingenio praeditus dubitaverit: amoenitatem agnoscent omnes, qui pulchri amore imbuti, ipsis vere studuerint. Quarum ambitus in plures distribuitur partes, quae singulae proprios adferunt fructus, propriasque voluptates; nec infimus locus tribuendus est Historiae Literariae, quae scriptorum non opera tantum indicat, verum vitam quoque exponit atque illustrat. Haec et cognitu jucundissima est, et ad intelligendas antiquitatis reliquias plurimum adfert emolumenti. Quamobrem, haud ingrata existimetur aut inutilis opera eorum, qui in hac doctrina elaborant; praesertim si iis latissimi campi locis lucem afferre conantur, qui caligine offusi sunt. Ut enim parum attinet, quae sexcenties jam explicata fuerunt, rursus enarrare, ita multum refert inquirere in eos, quorum et opera perierunt et nomina turpi oblivione obruta jacent. Nam ita demum patebit, quibus ab initiis profectae artes doctrinaeque qua ratione ad majorem praestantiam pervenerint.

Quae quum intelligerem, haud mirum est, si quaestio de *L. Coelio Antipatro historico belli Punici Secundi* mihi arriserit: sed fateor, quo minus rem susciperem, saepius me difficultate ejus fuisse deterritum. Videbam enim, si propositae quaestioni ex omni parte satisfacere vellem, non tantum vitam Coelii exponendam esse, sed *locos* etiam *colligendos scriptorum, qui ejus vel sententias, vel ipsa verba referunt: praeterea eorum, qui eandem historiae partem explicantes tacite ejus auctoritatem sequi videantur*; et ne

hoc quidem sufficere, nisi *singula illustrarentur adhibita interpretatione cum historica, tum grammatica:* magnam veterum historicorum partem accurate cognoscendam esse et haud exiguum grammaticorum commentatorumque numerum evolvendum. Verum dubitationem sustulit haec ipsa legendi, annotandi, excerpendi necessitas, quum laboris hujus molestia ad Romanae historiae Latinaeque linguae peritiam proficere possem. Denique vehementer me adliciebat ipsius Coelii persona, non ignobilis alicujus homunculi, sed ejus, qui variis doctrinae generibus aequales longe longeque superavit. Quamobrem opus animo quidem alacri adgressus sum; quonam eventu, alii judicent. Equidem valde requiri puto legentium indulgentiam, quam quum doctissimi quoque viri petere soleant, tironi negatum non iri confido (*).

De ratione opusculi non est cur plura dicam, cum dederim ejus conspectum. Fontes ex notis cognoscentur: quod si unum alterumve ex recentioribus comparare mihi non potuerim, eorum desiderium non ita aegre feram; quum iidem ipsis, qui mihi, auctores, unde sua sumerent, adfuerint. Restat, ut venia petatur, si nimius videar in testibus excitandis, aut in conjiciendo audacior. Neque enim ambitiose citavi, ut aliquot pagellis augerem libellum, sed potius, quod putabam, in scriptione, quae ad illustrandas veteris aevi reliquias pertineat, et in qua veritas non solis ingenii ratiocinationibus, sed testium etiam pondere dijudicetur, omnia, quoad ejus fieri potest, veterum auctoritate esse firmanda: neque enim a legentibus esse postulandum, ut temere scriptori fidem habeant. Quod ad alterum attinet, temeritatis culpam levabit argumenti natura, in quo quum multos locos invenirem vacuos, aliquo certe modo eos explere cupiebam. Nec tamen eo processi impudentiae ut, etiamsi nulla adesset probabilis conjiciendi ratio, quidquid in buccam veniret, continuo in chartam conjicerem, sed operam dedi ut opiniones indiciis, quamvis non semper firmissimis, at indiciis tamen, commendarem: quod in nemine reprehensum iri puto, modo ne aut conjecturas esse reticeat; aut eas, modestia, quae praecipue juvenes decet, omissa, veras certasque esse contendat. A tam turpi arrogantia alienus semper fui, et, spero me semper alienum fore; a dissentientibus peto, Horatium secutus, ut si quid rectius noverint, id mihi impertiant, sin minus meis mecum utantur.

PARS

(*) Hanc indulgentiam etiam jure quodam meo mihi petere videor: cum enim amici mei B. A. Nautae commentatio pari, ac mea, honore fuerit dignata, neque igitur amplificandi opusculi atque ornandi facultas concedi potuerit, eorum, quae missa ad Academiae Actuarium disputatione collegissem, nullus mihi fuit usus.

PARS PRIMA.

DE VITA LUCII COELII ANTIPATRI EORUMQUE QUAE SCRIPSIT RATIONE.

CAPUT PRIMUM.

DE VITA L. COELII ANTIPATRI.

L. Coelius Antipater Romanus (1) juris scientia, dicendi arte, historia inprimis scribenda nobilitatus est. De ejus vita parum memoriae proditum est; quamobrem hoc capite brevis esse cogar. De nomine ejus primum videamus, tum de aetate; denique ea, quae de rebus ab illo gestis mihi innotuerunt, et accurate exponere, et quantum fieri poterit, conjectura etiam supplere conabor.

§. 1.

Notum est ex antiquitatibus Romanis, jam diu ante belli Punici Secundi tempora in more positum fuisse, ut tria quatuorve nomina singulis imponerentur, quorum primum Praenomen vocabatur, alterum nomen Gentilitium, tertium Cognomen, cujus locum saepius Agnomen occupabat; quin etiam nonnumquam utrumque dabatur. Quod ad Coelii nomina attinet, *Lucii* duplex origo a Grammaticis refertur; alii a Lucumonibus Etruscis vocem illam deducunt, quoniam Lucumo Tarquiniensis

(1) Cum Coelia Gens Romae semper habitâsse videatur, L. Coelium Antipatrum ibi natum esse valde probabile est, quamquam id demonstrari non posse fateor; jus civitatis procul dubio habuit, quamobrem recte eum *Romanum* dici, nemo negaverit.

sis se Lucium Tarquinium appellavit (2); alii praenomen ejus fuisse contendunt, qui *luce* oriente natus esset (3). Nomen gentilitium *Coelius* omnium consensu item Etrusco debetur, Coelio Vibennae (4), qui regnanti Romulo opem tulisse dicitur (5). In hujus nominis scriptura multiplices commissi errores sunt. Primum saepissime *Caelius* invenitur, licet auctoritate nummorum argenteorum et Manuscriptorum *Coelius* scribi debeat (6): tum frequentissime nomen illud in similia aliorum nomina abiit, de qua vocum confusione dicendi locus postea dabitur. Tertium nomen *Antipater* utrum cognomen dici debeat an agnomen, non audeo statuere; licet hoc probabilius videatur. Cum enim nomen apud Graecos usitatissimum fuerit, haud mirer, si ex necessitudine quadam repetendum sit, quam sive ipse Coelius, sive majores illius cum Graeca domo habuerint. Caeterum de nominum Romanorum ratione vid. Car. Sigonii liber proprius in Gothofredi Auctoribus L. Lat. et ii quos citat Cl. Bakius in Posidonio pag. 170. i. f.

§. 2.

Sequitur ut Coelii aetatem, quoad ejus fieri possit, definiam. Quo natus sit anno, quove decesserit, nemo tradidit; quod tamen non est cur magnopere doleamus, quum ad nostrum quidem propositum constare sufficiat, quibus *fere* temporibus vixerit; id autem ex veterum locis effici potest. Apparet enim ex Valerio Maximo L. 1. c. 7. Rom. n. 6, Coelium Caji Gracchi rempublicam agitantis fuisse aequalem; qui quum quaesturam a. u. c. 626. adeptus esset, a. 633 oppressus est. Coelium jam tum adolescentia excessisse consequens est ei, quod Vellejus Paterculus tradit; qui posteaquam scripserat l. 2. c. 9. §. 5., Sisennam bello Numantino juvenem fuisse, mox §. 6, addit vetustiorem Sisenna fuisse Coelium; capta autem est Numantia a. u. c. 621. Minime vero vox *vetustior* indicat Coelium, cum Sisenna nasceretur, mortuum jam fuisse; sed tantum significat aliquanto Sisenna prius natum Coelium fuisse. Patet igitur Coelium ab exeunte saeculo sexto urbis conditae ad medium usque septimi vitam egisse (7). Quod aliis etiam locis confirmatur ex.

gr.

(2) Vid. Gothofredi Auctores L. L. p. 1406.

(3) Vid. Varro de L. Lat. l. 5. c. 2 et l. 8. c. 38. item Festus in voce.

(4) Vid. Varro de L. Lat. l. 4. c. 8. et Festus in voce.

(5) Conf. Dionysius Halicarn. p. 104. edit. Sylburgii.

(6) Vid. Sigonius ad Livii l. 28. c. 46.

(7) Quamobrem et Pighio Coelium in Annalibus ad a. u. 616 referenti adsentior et Cl. Saxio

gr. Cic. de Leg. l. 1. c. 2, ubi Antipater Fannii aetate dicitur conjunctus (8), qui a. u. 614. quaesturam gessit. Item de Orat. l. 2. c. 12. et Brut. c. 26, ex quibus probabile fit eum etiam L. Crasso, qui a. u. 667. jam aetate provectus diem obiit, majorem fuisse, quippe cujus non *familiaris* modo, verum etiam *magister* fuisse dicatur. Addatur quoque Pomponius, qui in Enchiridio (9) eum aequalem fuisse scribit P. Rutilii Rufi, qui Consulis munere functus est a. u. c. 648, quamquam hoc etiam fuit antiquior, teste Vell. Paterc. l. c. praeterea A Virginii (10). Q. Tuberonis (11), et Sexti Pompeji qui Consul fuit a. u. 665 (12). Quae loca quum in sententiam meam optime quadrent omnia, neque, quantum scio, ullum inveniatur testimonium, quod adversetur illi, probabilem eam haud temere quis dixerit.

§. 3.

L. Coelius Antipater eo igitur tempore natus est, nec admodum splendido, ut videtur, nec etiam humili loco. Coelium Vibennam generis auctorem forte habuit; quem de Romulo optime meritum in amplissimum reipublicae ordinem cöoptatum esse credibile est, ita ut Coelium Patriciis esse annumerandum negare non auderem. Sed quidquid hujus rei sit, constat latuisse diu Coeliam gentem antequam clara gestis honoribus exsisteret; si quidem C. Coelius Caldus, qui a. u. c. 660. con-

xio in Onomastico ad a. 624 mentionem ejus facienti; modo neuter alterutro illorum annorum *natum* ipsum esse contenderit, quod Velleji sententiae plane repugnat.

(8) *Alicujus aetate conjunctum esse*, quum a Cicerone profectum esse mihi vix persuadere possem, suspicabar *aetati* legendum esse, simili ratione qua in Bruto c. 26. P. Crassi et Ser. Galbae *aetatibus adjuncti* duo C. Fannii dicuntur; quae tamen literae *i* repetitio quum auribus admodum ingrata accidat, ut vitaret eam, Ciceronem dicamus *aetate* scripsisse; nisi forte in Fannio vitium lateat et pro Genitivo Dativus sit reponendus.

(9) Vid. L. 2. §. 40. ff. de O. J.

(10) Legitur apud Pomponium *Paulus* Virginius, pro quo ponendum censuit Ernestus *Aulum* Virginium (vid. Clavis Cic. in voce) eumque secutus Bachius in hist. jur. p. 255, a quo tamen dissentit editor Stockman. Certe probabilior videtur conjectura Ernesti, quam opinio Gul. Grotii in vitis Tripartitis JCtorum veterum l. 1. c. 7. §. 2, qui *M. Vigellium* legendum esse putabat.

(11) Hunc Consulem fuisse Pomponius l. c. scribit, sed, ut videtur, perperam vid. Bach. in hist. jur. l. cit. Pighius tamen ad a. u. 615. ita monet; „Quod si Consul fuerit, suffectus certe de„buit fuisse, cum in ordinariorum consulum catalogo eum non reperiamus." Attamen ne suffectum quidem esse puto ob locum Ciceronis in Bruto cap. 31.

(12) De hoc caeterisque, quos memoravi, JCtis praeter commentarios ad Pomponii lo-

consulatum gessit, *novus homo* dicatur (13), i. e, is, qui nulla majorum commendatione ad magistratus curules pervenisset (14). Quod autem nego ignobili illum stirpe ortum, nitor Corn. Nepotis auctoritate, qui Fragment. cap. 6. n. 2. tradit historiam ante L. Otacilium Pilitum, qui Cn. Pompeji Magni vixit temporibus, non nisi ab *honestissimo* quoque scribi solitam fuisse (15). Cum igitur dubium non sit quin a parentibus tutoribusve liberaliter fuerit educatus, doctrinarum elementa in ludo, ut solebant nobiliorum Romanorum liberi, percepisse illum suspicari licet, et deinde, sumta toga virili, in forum esse deductum. Regnabat tunc in illo M. Cato, quem vulgus Demosthenem Romanorum vocabat, teste Plutarcho in Catone Maj. cap. 4; cujus quidem aliorumque oratorum fama fieri non poterat, quin generosa juvenis indole ad ejusdem laudis studium incenderetur. Ad causas igitur dicendas sese contulit, quod non tantum ex Pomponio (16) apparet, qui operam illum eloquentiae dedisse scribit, verum multo etiam manifestius est ex Cic. de orat. lib. 2. cap. 13. Ibi quum in Coelio Catulus quaedam reprehendisset, „ Minime mirum" inquit Antonius," si ista res (historia) adhuc nostra lingua illustrata non „ est. Nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque „ in foro eluceat" (17). Qua sententia Coelium quoque contineri ex loci constitutione apertum est. Quin etiam valuisse dicendo videtur, quum a Cicerone (18) in oratorum Romanorum numerum relatus fuerit. — Sed eorum impudentiam segnitiemque

locum cit. conff. Ernesti Clavis Cic. Bachius in hist. jur., et inprimis etiam Glandorpii onomasticon Historiae Romanae ac Vitae Trip. vet. JCtorum, Bern. c. 21 seqq. et Gul. Grotii l. 1. c. 7.

(13) Vid. Cic. in Verrem Act. II. l. 3. c. 70. et pro Murena cap. 8.

(14) Vid. Sigonius in Gothofredi Auctor. L. L. p. 1448.

(15) Hujus testimonii veritatem, qui Cicer. de Leg. l. 1. c. 2. cum Bruto contulerit, aut primum Vossii librum de historicis Latinis perlegerit, agnoscet; nam antiquissimi illi historici omnes belli pacisve artibus conspicui fuerunt.

(16) Vid. L. 2. §. 40. ff. de O. J.

(17) Aliter fieri non potuit apud populum qui tanta eloquentiae praemia proponebat. At, dicat quis, Graeci et praecipue Athenienses eadem eloquentibus tribuebant, nec sane optimis historicis caruerunt. Verum quidem est, sed apud eos caeteris item artibus doctrinisque suus constabat honos; cogitetur modo ludorum frequentia eorumque qui vicerant per totum fere terrarum orbem gloria sempiterna. Id apud Romanos secus erat, quorum exemplo rursus probatur jacere plerumque studia, quae apud quosque laude carent.

(18) Vid. Cic. in Bruto cap. 26.

que imitari noluit, qui juris civilis imperiti toto foro volitabant; ita procul dubio judicans dicendi facultati, quae accurata rerum, de quibus agitur, cognitione non innitatur, loquacitatis potius quam eloquentiae nomen esse tribuendum. Juri igitur discendo dedit operam, quo in studio quantos fecerit progressus Pomponius l. cit. indicat, qui mentionem ejus cum summorum JCtorum commemoratione conjunxit; luculentum autem accedit Ciceronis testimonium, qui in Bruto l. cit. juris eum valde peritum fuisse dicit, multorum etiam, ut L. Crassi (19) magistrum. Quae vox *magistri*, si ad verborum nexum attendamus, ad juris institutionem spectat; et ostendit tantam fuisse in Coelio jurisprudentiae existimationem, ut in foro quum esset, juvenum corona jus ex responsis ejus discere cupientium cingeretur. Ita enim Romanorum JCti, ut ait Cic. Orat. c. 42, eodem tempore et discentibus satisfaciebant et consulentibus, eaque res pulcherrima habebatur: universe juris cognitio plurimum adferebat honoris, gratiae, dignitatis (20). Nec parum laudis Coelio adfert illa L. Crassi institutio, summi in paucis viri (21), qui quum Muciorum etiam praeceptis, qui in jure civili principatum tenebant, uteretur (22) Coelium tamen minime sibi negligendum esse duxerit; quem quidem discipulum ita Coelius sibi devinxit, ut postea perpetua ejus familiaritate usus fuisse videatur (23). Locum vero Cic. de Orat. l. 1. c. 55. quo Mucius dicit studii juridici et hortatorem Crasso et magistrum fuisse domi, ad Coelium non puto pertinere: quippe quum tale munus personae ejus, quem in luce et foro plerumque versatum esse arbitror, vix conveniat. Praeterea magnopere fallatur, si quis existimet eloquentiae praecepta nostrum tradidisse: qui enim ad dicendum acueret, aut adjuvaret in eo juventutem, vituperabatur (24); ne dicam

(19) Zasii errorem *P. Crassum Mucianum* legentis jam indicavit B. Rutilius in vitis tripart. vet. JCtorum cap. 25, quae lectio et ob Manuscriptorum auctoritatem et ob temporum rationem repudianda esset, etiamsi non plane refelleretur Cic. de Orat. lib. 2. cap. 12. quo loco quum Crassus simpliciter ponatur, quem alium intelligamus, praeter eum, qui sermoni aderat, Lucium Crassum?

(20) Vid. Cic. de Orat. 2. 45.

(21) De ejus laudibus vid. Cic. de Oratore passim, inprimis, L. 3. c. 1 et 2, et in Bruto cap. 38—45 et 50.

(22) Vid. de Orat. l. 1. cap. 10 et 55.

(23) Conf. Cic. de Orat. l. 2. c. 12.

(24) Hujus rei causam exponit Cicero Orat. cap. 41 sq. Cui accedebat Graeculorum, qui dicendi artem Romae tradebant, puerilis docendi ratio, quum paucissimis praeceptis ambitum eloquentiae circumscribere vellent (vid. Cic. in libris de Orat. passim). Praeterea incredibili plerique erant arrogantia, ut Antonius significat apud Cic. de Orat. l. 2. c. 19.

cam ex Cic. de. Orat. l. 3. cap. 24 constare Crassum jam admodum aetate provectum fuisse, quum Latini dicendi magistri Romae exstiterunt, quos tamen ipse Censor edicto sustulit.

Qui autem et eloquentia tantopere excelluit et scientia juris, idem quin uberrimum utriusque fontem philosophiam esse senserit, nemo, opinor, dubitabit: quum praesertim in pueritiam ejus adolescentiamve inciderit nobilissima Atheniensium legatio, quae Romanorum, praecipue juniorum, animos cum literarum Graecarum amore, tum omnis sapientiae replevit (25). Quod si ob teneram aetatem ipsum Carneadem ejusque comites audire non potuerit; attamen, quum juvenis factus esset, flagrabant adhuc plurimi philosophandi ardore, quo etiam Coelium abreptum fuisse admodum probabile videtur: argumentum ex eo etiam peti posset, quod C. Laelio familiariter utens (26) Panaetii audiendi opportunitates habuerit, quo hospite Laelii domus aliquot per annos floruit (27). A cujus elegantissima institutione si fuerit profectus, dubium non est, quin Stoicam Philosophiam ad orationem ornandam, juris principia percipienda, vitam denique bene instituendam retulerit.

Vidimus Coelium et egregium JCtum fuisse et oratorem probabilem et verisimiliter philosophiae etiam peritum, quippe qua orationi copiam atque ubertatem comparari perspiciebat et quid justum esset, quid injustum, optime, duce natura, tradi. Restat ut de Coelio historiae scriptore dicam: sed quum alterum primae partis caput huic rei destinaverim, hoc loco attigisse eam sufficiat, ne materiem mihi ipse praeripiam. Scripsit igitur historias belli Punici secundi aetate, ut opinor, jam provectus. Praeterquam enim quod fontibus et indagandis et cognoscendis haud exiguum temporis spatium consumi necessario debuerit; credibile est illum rem saepius in aliud tempus rejecisse, quo majore cum rerum usu, tum doctrinae praestantia instructus tantum opus adgrederetur. Cui suspicioni meae egregie favet Cic. de Divinat. l. 1. cap. 26. §. 56; quoniam ea quae ex Coelio refert, ostendunt non nisi post C. Gracchi mortem operi finem impositam fuisse, hic autem a. u. c. 633, id est, Coelio jam quadragesimum certe aetatis annum agente (28) interfectus est. Quid autem a viro exspectari possit, qui et maximam sibi rerum copiam comparaverat et dicendi arte excellebat, unusquisque facile sentit. Cui quidem

(25) Vid. Nob. Lyndeni Dissertatio de Panaetio p. 27. seqq.
(26) Vid. Diss. nostrae P. 2. C. 1. S. 1. §. 2.
(27) Vid. Diss. Lynd. part. 1. §. 11.
(28) Vid. hujus capit. §. 2.

dem spei atque opinioni, quae sequenti capite dicturus sum, abunde, opinor, satisfacient.

Plurima possunt praeterea de Coelio quaeri: quibusdam potest etiam probabiliter responderi: verum, ut in cunctis rebus, ita in conjiciendo meminisse debemus certos esse fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Itaque me ipse reprimam conclusionem hujusce capitis, si duo antea memoraverim, facturus. Alterum est, de quo mihi quidem persuasum est, Coelium Graecam linguam non cognovisse modo, sed etiam calluisse. Ut enim concedam non eam Romanis, Coelio puero, Graecorum notitiam fuisse, ut in ludo Graecae linguae principia tradita ipsi fuisse probabile sit; quis tamen dubitet illum, qui doctissimorum hominum C. Laelii, L. Crassi amicitiis floruerit, Graece legendi, scribendi, dicendi facultatem sibi comparavisse, cum praesertim ea facultas futuro historico utilissima esset? Vidit enim profecto non modo eos, qui vere historici dici possent, Graece scripsisse omnes, sed eorum ipsorum, qui bellum Hannibalicum memoriae mandavissent, multos esse, qui Graecam in scriptis linguam adhibuerant (29). Alterum hoc est; non videri Coelio in tanta bellorum turbarumque civilium frequentia, quiete placideque semper vitam agere licuisse. Quod si alterutras in republica partes fuerit secutus, Senatus illum causa voluisse, quippe qui optimatium familiaritatibus implicatus teneretur, suspicari licet. Et habebat profecto C. Gracchi petulantia, quod improbaretur, qui in plebe defendenda fratris et prudentiam omisit et moderationem. Attamen Coelium, quum publicae saluti nullos, omnes vero dominandi studio deditos esse perspiceret, a republica capessenda abstinuisse opinor. Quod si enim gratia uti voluisset, quam adferebat ipsi eloquentia et scientia juris, quarum illi primas, huic secundas in Romanorum republica partes Cicero adsignat (30), ad summos procul dubio honores pervenisset. Verum otium cum dignitate negotio praetulit non periculoso tantum, sed ex quo nec sibi nec patriae utilitatis quidquam exstiturum provideret; maluitque scriptis nominis memoriam propagare, quam domesticis sese discordiis immiscere. Sed haec probabilitate nituntur; id vero, quod constat, ultimo loco addam

(29) Graece etiam Romani historiam scripserunt, quos contra Ciceronem aliosque defendit Vossius de Historicis Graecis l. 1. c. 20. — Caeterum quae de Coelio Graecae linguae perito dixi probantur ex Cicerone de Div. I. 24. ubi auctorem Graecum Silenum secutus dicitur. Neque enim (licet quis Claudianam Acifiani operis translationem adferat) multorum probabile est scriptorum versiones jam tum fieri coepisse, aut Coelium ex versionibus sapere voluisse.

(30) Conf. Orat. 41.

dam, ita vixisse Coelium ut *optimus homo* vocari posset (31): quae sane non est minima laus; eo praesertim tempore quo jam invaserat rempublicam illa luxuriae pestis, qua corrupti civium mores gloriae Romanorum interitum attulerunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE RATIONE EORUM, QUAE L. COELIUS ANTIPATER SCRIPSIT.

Qui de historiae scriptore accuratam laturus sit sententiam, ei ante omnia in materiem inquirendum est, quam sibi historicus elegerit. Requiritur enim ut ea exponantur, quae cognitu non prorsus indigna sint: quod si nullius plane momenti res narrentur, talis scriptor quomodo vocari debeat, nescio; historici certe nomen illi est abjudicandum. Alterum quod postulatur est ut, quae traduntur, vere tradantur; quamobrem quo meliores rerum cognoscendarum opportunitates habuerit scriptor, quoque diligentius iis fuerit usus, eo rectius nominis sui tuebitur dignitatem. Haec igitur praemitti debent, priusquam ad formae judicium accedatur. Quam viam secutus, primo loco quasnam res sibi Coelius enarrandas sumserit, videbo; tum quibus ex fontibus quomodo hauserit, porro qua scribendi ratione materiem sibi propositam explicuerit. Denique ostendam, quanta fuerit apud veteres Coeliani operis auctoritas, ut meis laudibus majus inde pondus majorque accedat probabilitatis commendatio.

SECTIO I.

DE COELIANI OPERIS ARGUMENTO.

Argumentum, in quo Coelius versatus est, fuisse historiam belli Punici secundi docet locus Ciceronis in Orat. c. 69. ubi dicit eum in proöemio belli Punici

(31) Vid. Cic. de Orat. l. 2. c. 13.

ci (1) negare se verba nisi necessario esse trajecturum. Prooëmium illud non operis parti fuisse praepositum, sed belli Punici historia totum Coelii opus contineri, ex eodem loco patet, si quidem illa, de qua agitur, excusatio hujus illiusve libri particulae propria esse non possit, sed in toto scriptionis cursu aeque valere debuerit. — Neque tamen infitior esse, quae in eam opinionem inducere possint, non hoc unum argumentum a Coelio tractatum fuisse. Dicat enim aliquis, at plerique Romanorum historici non partem rerum Romanarum tractare solebant, sed a Remo et Romulo (2) profecti, ad sua usque tempora res a civibus gestas persequebantur, quin etiam plurimi vitae suae commentarios conficiebant, ut Rutilius Rufus, ut Sylla, ut multi alii; quid igitur impedit quominus Coelius et integrum de bello Punico secundo opus confecerit, et praeter hoc alia item scripta reliquerit, cum praesertim apud Cic. de Divinat. l. 1. cap. 26. ea ex Coelio adferantur, quae partim ad a. u. c. 262 (3) pertineant, partim ad C. Gracchi historiam debeant referri? Quae quidem facile, ut mihi quidem videtur, refutantur. Primum ex eo Ciceronis loco nullum peti debet argumentum, quum notum sit multa a veteribus non secus quam a recentioribus in transitu, ut ita dicam, commemorata fuisse. Praeterea qui temporis sui memoriam literis mandabant, viri erant, qui rerum illarum partem semet ipsos fuisse cum viderent, facta sua aut augere, aut excusare cupiebant: verum Coelii vidimus eam fuisse vivendi rationem, quae ad publicam notitiam non adeo pertineret. Quod autem omnium maximum est, quidnam causae fuisse putemus, cur, si alia quoque scripserit, tamen fragmenta ejus fere omnia ad bellum Punicum secundum aptissime referantur? cur Livius, qui eum inde ab initio illius belli usque ad finem saepius citat, in reliquis operis sui partibus nullam faciat Coelii mentionem, cum praesertim ad historiam scribendam aequalium inprimis opera plurimum soleant prodesse. Itaque adduci non possum, ut Coelius praeter bellum Punicum secundum alia quoque ediderit. Forte tempus defuit ipsi; forte noluit civiles aequalium discordias exponere, quarum quot habeat cautiones enarratio quis nescit? Quidquid autem hujus rei sit, argumentum nostri dignissimum profecto historico est. Quod enim hocce bello audacius unquam coeptum est acriusve gestum? Cujus belli aut magis varia fortuna fuit, aut mirabilior exitus omniumque magis oppositus exspectationi? Quid de Hannibale dicam, quem belli ducem vix ullus unquam superaverit, de Romanorum fortitudine, constantia Senatus, omnium ordinum ad rempublicam servandam

(1) *Secundum* significari ex fragmentis Coelii apertum est.

(2) Quod etiam in proverbium abiit. vid. Cic. de Legg. l. 1. c. 3.

(3) Vid. Livius l. 2. c. 34. in. juncto cap. 36.

dam et mira quadam alacritate et incredibili consensu? Neque erat haec de nescio cujus regionis finibus constituendis contentio, sed de orbis terrarum imperio inter duas potentissimas gentes certabatur, quarum utra vicisset, caeteros omnes populos superatura videretur: ita ut, id quod a Livio factum videmus, Coelius potuerit vere omnino profiteri se bellum maxime memorabile omnium quae unquam gesta essent scripturum.

SECTIO II.

DE OPPORTUNITATIBUS, QUAS COELIUS HABUIT AD RES, DE QUIBUS SCRIPSIT, BENE COGNOSCENDAS.

Indicata materie, quam Coelius sibi elaborandam sumsit, sequitur ut fontes ex quibus hauserit explorem; ita ut primum videam, quibusnam *potuerit uti*, tum quibusnam *revera* illum *usum esse* vel constet, vel verisimile videatur.

Hoc igitur omnium primum animadvertendum est Coelium tempore locoque maxime opportuno natum fuisse. In ea urbe vivebat, quam paucos ante annos bellum, de quo scripturus erat, terrore atque luctu repleverat, et in qua, juvene ipso, plures adhuc erant, qui calamitatibus istis ipsi interfuerant. Praeterea honesto loco natus, et in principum virorum familiaritatem receptus, potuit procul dubio acta monumentaque publica, in his tabulas, quibus foedera inscripta essent (4), inspicere, neque minus illi cum sua ipsius, tum amicorum gratia ad privatorum aedes aditus patebat, in quibus plurima scripta nec edita nec edenda servabantur, quorum maxima pars ex laudationibus constabat ad publicam recitationem compositis. Sed praecipuum Coelio adjumentum historicorum opera adferre debuerunt, qui easdem res jam explicuerant, quorum magnum fuisse numerum non est quod miremur, quoniam bellum illud Hannibalicum gravitate sua cum omnium populorum sermone celebraretur, plurimos ad enarrationem sui compellere debuerit. Primum sibi locum hujus belli dux et auc-

(4) De quibus Polybius (qui eas ipse inspexit l. 3. 22. seqq.) l. 3. c. 26. Τηρουμένων τῶν ὑνθηκῶν ἔτι νῦν ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν Καπιτωλῖνον, ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμιείῳ.

auctor Hannibal jure meritoque vindicat: haud facile enim mihi persuadebitur eum, quum, ut Nepos in ejus vita cap. 10. narrat, nonnihil temporis tribuerit literis et de Cn. Manlii Vulsonis rebus gestis libros confecerit, tanto majora sua ipsius facinora memoriae non mandavisse, quod tamen opus Romanis non fuisse cognitum, silentium Nepotis ostendit, praesertim quum auctorum ibi faciat mentionem qui bella ab Hannibale gesta conscripserunt. Neque etiam aut hujus, aut aliorum Carthaginiensium de bello Punico secundo scripta ad Coelii notitiam pervenisse credibile est, quibus legendis multarum rerum veritatem a Romanis turpiter immutatam discere potuisset. Habuit tamen, qui Hannibalici operis desiderium aliquatenus certe levarent, Silenum Sosilumque, qui, ut Nepos loco modo laudato ait „ cum eo in castris fuerunt simulque vixerunt quamdiu fortuna passa est." Chaereas (5) an nostro fuerit notus pronuntiare non ausim, multo minus aliquid de Eumachio (6) et de Xenophonte (7) statuere, quum eorum sola fere nomina veteres tradiderint. His igitur omissis ad Romanos veniamus: gravissimum enim e Graecis auctorem Polybium a Coelio lectum esse non arbitror, quoniam Polybius fere a. u. c. 556 natus ac a. 638 mortuus (8) nostrum non multum aetate antecesserit atque historiae suae jam senex et in patriam reversus, nisi initium, certe finem fecisse videatur; quamquam non absurde conjiciat aliquis Coelium Polybii consuetudine usum fuisse, quum hic per 17 annos Romae cum summis viris Cajoque inprimis Laelio fuerit versatus (9); tanti autem viri praeceptis monitisque quantum futurus historicus potuerit proficere, unusquisque intelligit. Romanos historicos Coelius procul dubio comparare sibi potuit omnes: quos hic enumerare supervacaneum esset, cum mox de iis paulo accuratius erit agendum. Monendum tamen est de Gelliis mihi quidem dubium esse an Coelio juniores antiquioresve fuerint: quum illud probari videatur ex Cic. de Divin. l. 1. cap. 26. qui, „ Omnes hoc," inquit „ historici, Fabii, Gellii, sed *proxime* Coelius"; hoc vero ex summi viri G. Vossii emendatione ad Cic. de Legg.

(5) Vid. Polyb. lib. 3. c. 20.

(6) Hic, teste Athenaeo scripsit ἱστορίας τῶν περὶ Ἀννίβαν. Vid. Vossius de Historicis Graecis lib. 3. in voce.

(7) Hic, teste Diogene Laërtio, Hannibalis historiam conscripsit.

(8) Vid. Lucianus cit. in Diss. Cl. Viri Goudoever de historicis Polybii laudibus Cap. 1. §. 1. pag. 4. not. (a).

(9) Vid. Diss. laud. Cap. 1. §. 2. et 3.

Legg. I. 2. sequatur (10): loca haec concilianda Criticis relinquo.

Fontibus igitur notatis, ex quibus probabile videtur Coelio operis sui materiem petere licuisse, nunc, quantum quidem in re tam obscura fieri potest, ratio exponenda est, qua ad commodum suum illa cognitionis instrumenta converterit: qua in disquisitione vel loca afferam, quibus hunc vel illum auctorem adhibuisse legitur, vel conjecturae probabilitate nitar, cujus quidem conjecturae fundamentum in minore majoreve fontium quos indicavi, pondere atque momento positum est. Neque enim tanta sive inertia, sive stupiditate Coelium fuisse putemus, ut quaecunque de bello Punico secundo legeret, audiret, quocunque modo cognosceret, nullo delectu, nullo judicio in suam historiam conferret; sed prout alio aliud plus auctoritatis ipsi habere videretur, ita existememus illum id aut secutum, aut, dubitandi rationibus additis memoravisse, aut plane silentio praeteriisse. Quis v. c. dubitet quin plurimum momenti eorum sermonibus inesse senserit, qui bello Punico secundo ipsi interfuerant; quin in his conveniendis iterumque iterumque interrogandis diligenter fuerit versatus meminerítque non eandem cunctis fidem esse tribuendam? Neque etiam aut monumenta, quae ad factorum veritatem probandam plurimum saepissime valent, aut privatorum libros neglexerit. Quod me haud temere suspicari indicat Livius l. 27. cap. 27. ubi Coelius ejus quoque de morte Marcelli opinionis mentionem fecisse dicitur, quam in laudatione filius protulerat. Ex quo loco patet etiam Coelium non omnia quae ejusmodo scriptis continebantur continuo pro veris habuisse (11), si quidem Marcelli filio minime adsenserit. Quod autem ad belli Hannibalici historicos attinet, constat ex Cic. de Divinat. l. 1. c. 24. §. 49. illius, qui Hannibalem comitatus est, Sileni auctoritatem Coelium interdum secutum esse; quod quidem mirabitur qui solum Dionysii Halicarnassensis locum de Antiquit. l. 1. legerit, quo Sile-

(10) Nimirum, cum ibi legeretur: „ Ecce autem huic (Coelio) successerunt belli, Clodius, „ Asellio," Vossius, quem etiam Ernestus secutus est; pro *belli* legendum censet *Gellii*. Nec potest profecto locus emendatione carere, cum ironice intelligi τὸ *belli* vix possit, quoniam in eadem periodo sequitur: „ Nihil ad Coelium sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam" Praeterea Vossio favet Dionys. Halicarnassensis locus ab eo citatus. Vid. ipse Vossius de Hist. Lat. L. 1. c. 8.

(11) Et recte quidem, quum multa in iis scriberentur, quae facta non essent, teste Cic. in Bruto c. 16, qui his laudationibus dicit historiam rerum Romanarum factam esse mendosiorem. Sed totus locus omnino legatur.

lenum accusat, non debita cura ac diligentia, ut ait, sed ex fortuitis rumoribus historiam componentem: sed, ut commemorationem Nepotis l. laud. omittam, quae profecto Sileno honorifica est, Cicero de Divin. l. c. testatur eum *diligentissime res Hannibalis persecutum esse.* Dionysii ergo reprehensionem vel ad alios ejus libros, vel ad ea facta pertinere arbitror, quae non ipse Hannibal peregit. Cur enim ad fortuitos rumores confugisset in rebus quibus interfuerat ipse, vel quas ex belli duce cognoscere poterat? Quamobrem tantum abest, ut Coelium hac in re culpandum esse existimem, ut contra prudenter illum fecisse contendam, qui testis oculati scripta diligenter evolverit; cum praeterea opere Sileni legendo multum procul dubio adjuvari debuerit ad partium studium, quod ex patriae amore ortum historicorum judicium saepius impedit, deponendum. Neque equidem mirer, si Sosili (12) item scripta noster adhibuerit, quamquam minor ejus fuerit usus: ut enim Polybii quoque reprehensionem l. 3. c. 20. non adeo ad ipsius res gestas Hannibalis referam, nulla tamen ejus in historiae scriptione diligentia fuisse videtur. Idem de Chaerea dicendum; quem ut eadem constat incuria (13) fuisse, ita eandem cognoscendarum rerum occasionem habuisse non constat. Hunc igitur similesque praeterire praestat et ad Romanos auctores accedere. In his Q. Fabius et L. Cincius Alimenta non modo belli Punici secundi temporibus vixerunt; sed Fabius cum senatoris munere tum etiam legatione functus est (14); Cincius praeturam gessit (15): quod si de utriusque fide quaeratur, non est Fabius contemtu dignus, verum incurrit nonnumquam in levitatis reprehensionem (16) et saepius nimis civibus suis favet (17). De Cincio nil tale proditum est: praeterea cum captivus Hannibalis esset, accuratam sibi multarum rerum factorumque cognitionem potuit comparare (18). Ex paucis igitur hisce in- di-

(12) Sosilus alter comes Hannibalis τὰ περὶ Ἀννίβαν septem libris comprehendit, teste Diodoro Siculo Ecl. l. 26. c. 3.

(13) Πρὸς μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων, οἷα γράφει Χαιρέας καὶ Σώσιλος, οὐδὲν ἂν δέοι πλέον λέγειν· οὐ γὰρ ἱστορίας, ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς, ἐμοί γε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν. vid. Polyb. loc. cit.

(14) Vid. Polyb. l. 3. c. 9. et Livius l. 22. cap. 57.

(15) Livius l. 26. cap. 28.

(16) Polyb. l. 3. c. 9.

(17) Polyb. l. 1. cap. 14.

(18) Possem hic Livii loco uti l. 21. c. 38: ibi nonnulli Codd. habent „L. Cincius Alimenta — *maximus auctor* moveret me," sed pro *maximus* legendum esse *maxime* multi exi-

sti-

diciis si sententia ferenda est, minorem Fabio fidem quam Cincio Coelius tribuerit. Minorem etiam Ennii poëmatibus, cum Annalibus, tum illi libro, qui Scipio inscribitur (19); poëtae enim delectationis studio, nisi tollant veritatem, ornamentis certe illam obruere solent. Ad graviora venio; scripta scilicet historica M. Catonis, qui bello Punico secundo militavit; summa in Rep. munera, Consulatum atque Censuram gessit (20); quem Originum quinto libro bellum Punicum secundum complexum esse Nepos in Cat. cap. 3. testatur. Tanti igitur viri auctoritate Coelium saepius se duci passum fuisse, quis sibi non persuasum haberet, etiamsi ejus exemplum non praeberet Gellius Noct. l. 10. cap. 24? Libonis Annales et Postumii Albini (21) quum incertum sit an bellum Hannibalicum comprehenderint, praetermitto. De Acilii historia id dubium vix videtur, quum a Livio in illius belli narratione citetur (22); cui Cicero accedit de Off. l. 3. c. 32; constat item de Pisone (23) et de ejus aequali L. Cassio Hemina (24); sed de horum trium fide atque auctoritate parum aut nihil cognitum est. Fannius autem quum Coelii aequalis fuerit, eos sese mutuis consiliis adjuvisse credibile est. Denique Gelliorum uti aetatem definire non potui, ita de ipsorum in historia judicio atque diligentia certi quid praedicari nequit.

His exponendis conatus sum efficere, Coelio argumenti sui penitus cognoscendi occasionem adfuisse eumque sibi in hac occasione utenda minime defuisse. Antequam autem ad formam operis Coeliani accedam, attingenda res est, quae ad historiae formam a nonnullis, sed, ut videtur, perperam refertur, quippe quae ad materiem procul dubio pertineat (25). Fingendarum orationum morem intelligo, quam Graecorum consuetudinem Coelium imitatum esse indicari opinor apud Festum in voce *topper*. Qua in re, licet primam historiae legem, ne quid falsi dica-

stimārunt. Et sane Livium in laudibus decernendis prodigum non fuisse notum est vel ex l. 30. c. 45.

(19) De illis cf. Cic. in Bruto cap. 19. de hoc. Gell. l. 4. c. 7. citati cum aliis a Voss. de Hist. Latin. l. 1. c. 2.

(20) Cf. ejus vita cum a Corn. Nepote tum a Plutarcho conscripta.

(21) De iis vid. Voss. de Hist. Latin. l. 1. cap. 6.

(22) Vid. Livius l. 25. c. 39.

(23) Vid. Liv. l. 25. c. 39.

(24) Vid. Voss. de Hist. Lat. l. 1. c. 7.

(25) Conf. Clar. Borger in Commentatione de fictis in historia orationibus pag. 20—28.

catur (26), neglexerit, est tamen, si quis alius, magna culpae parte liberandus, cum et aetatis suae ignorantia excusari possit, qua historicae artis leges atque termini nondum erant constituti (27), et vero forma atque constitutione Romanae Reipublicae, in qua cum vitae factorumque laude arcte erat eloquentia copulata (28).

SECTIO III.

DE FORMA OPERIS COELIANI.

Quum igitur materiei, in qua Coelii opera versata est, et ambitum definiverim, et fontes indicârim, tertium est, ut de forma, quam illi tribuit, videam. Deprecor autem ne Coelius cum optimis Graecorum Romanorumque historicis comparetur, quibus illum postponi debere ipse sentio. Quod si enim ineptiae reprehensionem cupimus effugere, temporum locorumque rationem habeamus; neque quod Coelius aut Thucydidis gravitate, aut Livii elegantia, aut multis multorum in historia conscribenda virtutibus caruerit, eam ob rem aut vituperio eum, aut minore quam illos, laude dignum putemus. Quid enim? num opera illius, qui in maxima sui aevi ignorantia cumque vix ullus esset, qui historiae aut gravitate moveri, aut jucunditate delectari, aut utilitate allici posset, probabilem certe sese historicum praestitit; num, inquam, hujus opera non tanti aestimanda est, quanti eorum, qui in populo artibus doctrinisque dedito majoribus elegantiae, gravitatis suavitatisque dotibus excelluerunt? Paucis igitur in conditionem historiae apud Romanos ante Coelium inquiram, ut cum ostenderim, quid ab ipso exspectari potuerit, deinde quomodo illam exspectationem aut fefellerit, aut impleverit appareat.

Antiquitus historia apud Romanos nihil aliud erat, nisi annalium publica auctoritate confectio (29), quibus quae singulis annis memorabilia accidissent, literis mandaban-

(26) Conf. laud. Clar. Borger Comm. p. 29.

(27) Conf. Cl. Borger in l. Comm. p. 93. qui Herodoti culpam multum levari dicit, si cogitemus *quis fuerit* et *quosnam auditores habuerit.*

(28) Ut ait Cl. Borger l. Comm. p. 100. vid. etiam pag. seq. et in primis pag. 101 nota *b.*

(29) Vid. Cic. de Orat. l. 2. 12.

bantur; postea poëtarum etiam carminibus res gestae celebrari coeperunt, haud aliter ac apud Graecos factum videmus, quorum historiam ex poësi ortam esse notum est. Continuis bellis civilibusque discordiis districtos Romanos non est quod miremur de literis doctrinisque parum cogitâsse; et non nisi medio saeculo sexto ab urbe condita exstitisse, qui soluta oratione historiam scriberet. Hic autem Fabius Pictor, quique cum secuti sunt Piso et Cato, „ quum neque tenerent quibus rebus or„ naretur oratio, — et dum intelligeretur, quid dicerent, unam dicendi laudem pu„ tarent esse brevitatem; sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, homi„ num, locorum gestarumque rerum reliquerunt:" ut ait Antonius apud Cic. de Orat. l. 2. c. 12. De Catone tamen dubitari posset, quoniam Cicero in Bruto cap. 16. „ Origines Catonis", ait, „ quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent"? et ibid. c. 87. dicit nihil ipsi nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. Verum tantis laudibus ornatum fuisse Catonem puto, ut Cicero opinionem suam, aut quam certe suam esse simulabat, firmaret; Graecos nulla in re Romanis magnopere antecelluisse. Praeterea oppono Antonii auctoritatem, cujus de Catone judicium modo memoravi; Bruti (30), qui vocat eum hominem Tusculanum, nondum suspicantem quale esset copiose et ornate dicere; qui aegre laudis profusionem illam fert et hoc inprimis indignatur, quod cum summis historicis Thucydide atque Philisto Cicero eum comparavisset; Attici exilem ipsum judicantis (31); ipsius denique Ciceronis opinionem, historiam ut Atticus l. cit. testatur, existimantis a literis Romanis abesse. Quamobrem Cato minime quidem eloquentia destitutus fuisse videtur, attamen horrido quodam duroque, prout viri indoles erat, scribendi genere usus praeterea verborum compositionem neglexisse vel potius ne cogitâsse quidem de numeri oratorii in soluta oratione utilitate. — Quum igitur et Cato et caeteri antiquissimi Romanorum historici rudes plane fuerint omnique orationis elegantia, ubertate, ornatu destituti; si quis in Coelio omnes summorum historicorum virtutes requirat, merito explodatur. Ut enim in rerum natura omnia videmus ab exiguis initiis profecta sensim sensimque ad perfectissimam conditionem pervenire; ita in artium doctrinarumque regno, sola forte poësi excepta, nihil, ut Ciceronis verbis utar (32), simul et inventum est et perfectum: et eodem jure quis mirari posset Ennio Virgilii elegantiam sermonisque castitatem defuisse, aut Hippocra-

(30) Vid. Cic. Brutus c. 85.
(31) Cic. de Legg. lib. 1. c. 2.
(32) Vid. Cic. in Bruto cap. 18, qui id de poësi etiam valere indicare videtur.

cratem Cōum contemnere, quod hodie Medicinae ars certior perfectiorque evaserit. Rectius, opinor, faciam, si veterum de Coeliana scribendi ratione judiciis expositis, ejus viri merita cum iis comparavero, qui sive cum eo, sive ante aut paulo post eum Romae vixerunt, ut si illis omnibus par aut etiam superior fuerit, justis ipsum laudibus afficiam.

Cum autem scriptionis historicae forma quatuor rebus censeatur, primum stilo, tum rerum memorabilium delectu, porro earum copulatione, denique hominum rerumque judicatione (33); haec ultima qualis in Coelio fuerit ex nullo, quod sciam, indicio effici potest, de tribus reliquis breviter dicam.

Et ad stilum quidem Coelii quod attinet, liceat apponere locum Ciceronis de Orat. l. 2. c. 12. sq. ubi cum Antonius Catonis aliorumque mentionem fecisset; „ Paullulum se erexit," inquit, „ et addidit historiae majorem sonum vocis (34) vir „ optimus, Crassi familiaris, Antipater: caeteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. Est, inquit Catulus, ut dicis; sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam varietate locorum (35); neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus; sed ut homo neque doctus (36), neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit (37): vicit tamen, ut dicis, superiores." Addatur de Legibus l. 1. c. 2. quo loco Atticus, Fan-

(33) Haec verba sunt Cl. Borger in Comm. de fict. in hist. orat. pag. 22.

(34) Haud scio an melius procedat oratio, si *vocis* deleverimus, quod equidem ab inepto Glossatore profectum esse suspicor; tum magis etiam, opinor, conveniet cum eo, quod Atticus dicit de Legg. l. 1. c. 2. *Paulo inflavit vehementius:* sed tironis opinionem doctorum virorum judicio submitto.

(35) Ernestus ad hunc locum correctionem adfert, ut scilicet pro *locorum* legatur *rerum:* posse tamen *locorum* explicari, genere argumentorum, quae narrentur. An igitur Antonius forte significavit Coelio non satis curae fuisse rerum compositionem; quae legentium animos nunc apto ab alia re ad aliam transitu delectat, nunc magni eventus exspectatione suspensos tenet, nunc inexspectato casu terret aut rapit in admirationem?

(36) Doctrinam hic Coelio negari non puto, juris, ut vidimus, peritissimo, et in Graecis Latinisque versato; sed *doctus* ad praecepta artis oratoriae referatur, ita ut Coelius dicatur neque dicendi regulas tenuisse, neque natura sua ad dicendum maxime aptus fuisse. Ad orationis enim ornatum doctrina non necessario requiritur.

(37) Elegans est verborum *perpolire* et *dolare* oppositio, cujus vim explicavit J. Bertrand. in vitis Tripart. vet. JCtorum l. 2. cap. 50.

Fannio, Pisone, Catone, Vennonio commemoratis „ Antipater", inquit, „ paulo in-„ flavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas sine nitore, „ ac palaestra (38); sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent." Porro Cic. in Orat. c. 69. Coelium ait et nimis aperta verborum trajectione uti et nihilo tamen aptius explere et concludere sententias. Denique eum poëticis verbis nonnumquam usum fuisse Crassus indicat de Orat. l. 3. c. 38. Patet igitur ex his locis Coelium non omnibus verborum sententiarumque ornamentis orationem distinxisse, neque facilitatem et aequabilitatem in dicendo esse consecutum; attamen res elegantia stili exornare conatum esse; qua re effecit, ut licet multa eorum quae secutus est, adsequi non potuerit, limatior nihilominus oratio et legentibus gratior existeret.

Usus igitur est stilo, nisi optimo, at probabili tamen, eo certe quo Romanos aetatis suae historicos facile superaret. De rerum memorabilium delectu, quam alteram dixi formae esse partem, in tam exiguo fragmentorum numero nil dicendum habeo praeter hoc unum, Coelium scilicet videri multum fuisse in portentis commemorandis, somniis etiam omnibusque quae ad divinationem pertinerent (39). Cujus rei varias fuisse causas suspicor, vel quod ipse fidem rebus illis haberet, neque superstitione vacaret; vel quod Patriciorum interesset stabilem certamque haberi haruspicum et augurum disciplinam, quo facilius populi motus metu Deorum gubernare possent (40). Fortasse etiam ipse harum rerum vanitatem perspiciens tamen operi suo commendationis aliquid accessurum putavit, si legentium animi religioso quodam sensu atque horrore perfunderentur.

Tertium ad quod in historicae scriptionis forma attendatur, est rerum conjunctio. Et sane quisque intelligit, hic non de Chronologico rerum ordine agi aut de ratione, qua opus suum scriptor diviserit: de ea enim in ipsa fragmentorum illustratione videndum erit, sed il-

(38) Spectat hoc, ut opinor, ad aptam verborum compositionem numerumque oratorium, siquidem Cic. in Orat. cap. 68. conferat orationem eorum, qui non claudunt numeris sententias, motui τῶν ἀπαλαίστων, i. e., eorum qui in certaminibus quid aut petentes deceat aut cedentes, non intelligunt.

(39) Vid. Cic. de Nat. Deor. l. 2. c. 3. de Divinat. l. 1. c. 24, 26.

(40) Ex hoc inprimis intelligitur cur Livius aliique, quos tanti ingenii viros superstitione imbutos fuisse vix nobis persuadere possumus, maxima semper reverentia de omnibus loquantur, quae ad divinandi artem pertineant. De religionis apud Romanos in republica administranda usu vel potius abusu vid. *Montesquieu sur la politique des Romains dans la religion.* Quod opusculum adjici solet ejus operi *sur la grandeur et la décadence des Romains.*

illum nexum significo, quo saepe duae res colligantur, licet vinculum imperitos lateat (41). Cum autem Coelii non nisi fragmenta supersint, per se patet de hac re nihil cognitum esse posse.

Quamquam igitur me, quominus de Coeliani operis forma accurate agerem, et virium tenuitas impedivit et monumentorum penuria, manifestum tamen est Coelium minime exilibus istis atque jejunis annalium scriptoribus, ne Catoni quidem ipsi conferendum esse. Poëtarum morem imitari nolui, herôis sui adversarios extollentium, ut superatis illis, major ipsi gloria oriatur: sed licet Ciceronis laudationi non magnopere credere me dixerim, nemo tamen negârit Catonem fuisse eum, quem vicisse Coelio in laude ponatur. Hunc non secus quam Fabium, Pisonem aliosque a Coelio longe post se relictos esse et Antonius testatur (42); et Atticus (43); hic eos etiam qui Coelio successere, Gellium, Clodium, Asellionem cum ipso comparari non posse significat. Ipsius quoque Ciceronis auctoritate nitor, qui (44) *luculentum* ipsum, *ut temporibus illis*, *scriptorem* vocavit. Ex quibus omnibus patet Coelium in historia praestitisse ea, quae in tanta aequalium ignorantia praestari potuisse mirum omnino videatur.

S E C T I O IV.

DE AUCTORITATE OPERIS COELIANI APUD ROMANOS.

Quid de Coelii sive historica fide sive orationis virtutibus vitiisve sentiam, priore hujus capitis parte exposui. Satis autem indicavi Coelium mihi cum ob historicam fidem, ob orationis tum dotes a Romanis diligenter lectum videri. Reliquum est, ut hoc non meram conjecturam esse ostendam, sed veterum testimoniis comprobari.

Et quod ad fidem quidem attinet, quae ipsi tributa est, accuratam hujus rei expo-

(41) Conf. Borger in Diss. laud. pag. 23.
(42) Cic. de Orat. l. 2. 13.
(43) Cic. de Legg. l. 1. 2.
(44) Vid. Cic. in Bruto cap. 26.

positionem in eam scriptiunculae partem rejicio, in qua de scriptoribus auctoritatem Coelii secutis, erit agendum. Hic monuisse sufficiat Livium scriptis ejus multum fuisse usum; illum a Valerio Max. l. 1. c. 7. ex. int. 6. *certum* historiae Romanae auctorem appellari, i. e., eum de cujus fide non est dubitandum; M. vero Brutum, in quo omnia summa fuissent, si indolis duritiem paulum mitigâsset, ea, quae Coelius fuse dixerat atque ornate, omnia attingendo tantum ad summam redegisse brevitatem, i. e., ut ait Cic. Epp. ad Att. l. 13. ep. 8. Coelianorum Epitomen fecisse (45). Hac autem Epitome et Atticum et Ciceronem usum fuisse ex eodem loco apparet, quippe quo hic ab illo petit, ut eam sibi mittat. At dicat quis, quid ejusmodi Epitome indigebant, cum opus ipsum adhibere potuissent? Suspicari licet, illam aut indicis loco ipsis fuisse, aut qua legenda quae apud Coelium fusius exposita erant, celeriter in memoriam revocarent. Hoc autem utcunque sit, Brutum certe non tantam Coelii scriptis operam daturum fuisse arbitror, si admodum inculta ejus oratio et horrida fuisset, cum praesertim in Polybii scriptis bellum Hannibalicum accurate expositum inveniret.

Hinc alterum de quo videndum erat, ex eodem loco probari existimo; dictionem Coelii multis placuisse. Quod ex Aelio Spartiano quoque manifestum est qui in Hadriani vita cap. 16. tradit hunc Imperatorem Sallustio Coelium praeposuisse. Quod quantum sit, judicabit, cui notum est Sallustium a Romanis etiam eloquentissimo Livio anteferri, ita ut historici hunc deserentes ad Sallustii imitationem sese certatim contulerint et Martialis *primum* illum in Romana historia vocaverit (46). Ne tamen hujus laudis magnitudine decipiamur, observandum est Hadrianum

(45) Vossius de Histor. Latin. l. 1. c. 8. dicit Paulum Manutium in notis ad Cic. Epp. ad Att. l. 12. ep. 5. perperam intelligere librum de illustribus in Coelia familia viris. Commentarium P. Manutii inspexi, nil tale inveni; contra Ciceronis verba ita explicat: „ epitome quam Brutus „ confecit historiae a L. Coelio Antipatro conscriptae." Puto igitur Vossii reprehensionem ad Corradum pertinere, qui ad illum locum conf. Et sane haec opinio veri est dissimillima. Neque enim Bruti persona dignum erat, ut in familiarum stirpibus propaginibusque recensendis bonas horas consumeret: eumque hoc negotium Attico potius reliquisse, qui principibus viris gratificari studebat (qua de re vid. Clar. Bakius in Posidonio p. 174) patet ex Nep. in Att. cap. 17. Praeter ea locus obstat Cic. in Epp. ad Att. l. 12. ep. 5. ubi dicit „ conturbat me epitome Bruti Fanniana an Bruti epitome Fannianorum?" Quod de epitome Fannianae historiae accipiendum videtur. Accedit quod etiam Polybii epitomen a Bruto factam esse narrat Plutarchus in ejus vita cap. 4. inf.

(46) Conf. Cel. Ruhnkenius in Praefat. ad Vellej. Paterc.

num amavisse genus dicendi vetustum, et, quod in opinionem haud sane magnificam de viri caeteroquin doctissimi judicio pulchrique sensu adducit, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium anteposuisse eademque *jactatione*, ut aptissimo Spartiani verbo utar, de Homero et Platone judicâsse. Sed quamvis multum de hac laude detrahendum opinor, tamen haud parvam fuisse Coeliani operis apud Romanos existimationem contendo. Cujus rei indicio quoque sit, quod a Commentatoribus et Grammaticis, qui non solent nullius aut parvae auctoritatis scriptores citare, Coelii verba saepius referuntur. Quod fecisse Quinctilianum, Festum, Nonium aliosque multos, tum abunde probabitur, quum Coelii fragmenta, quo loco inveniantur, indicabo.

Laudabile igitur laudatumque fuisse Coelii opus declarâsse mihi videor. Duo certe confido concessum iri ab omnibus: primum, magnam in eo jacturam fecisse eruditorum civitatem, et magnopere esse dolendum, quod cum tot egregiis antiquitatis monumentis, quorum desiderium, qui humanitatis sensu non carent, aegre ferunt omnes, medii aevi barbarie fuerit obrutum. Alterum hoc est, eum, qui et probabilis orator fuit, et egregius Jurisconsultus, et historia scribenda ita excelluit, ut solus sua aetate apud Romanos historicus videretur, dignissimum esse cujus vita et reliquiae propria commentatione illustrentur.



PARS SECUNDA.

RELIQUIARUM VESTIGIORUMQUE L. COELII ANTIPATRI ILLUSTRATIO.

Alteram disputatiunculae partem adgredior, quae iis explicandis continetur, quae ex L. Coelii Antipatri scriptis supersunt aut superesse videntur. Loca enim, quibus illustrandis dabo operam, partim sententias Coelii aut ipsa verba referunt, partim ad ejus auctoritatem accommodata videntur. Hinc ea oritur divisio, ut primo capite loca colligantur, in quibus Coelius citatur, altero autem ea, in quibus Coelium scriptores secutos esse probabiliter efficitur. Igitur altero capite *reliquias* Coelii, altero *vestigia* complectar. Neque alienum ab argumento meo duxi tertium adjicere caput, sive quis malit, totius opusculi, ut ita dicam, Appendicem, quo recensebo eos, qui vel *idem* quod Coelius nomen, vel *simile* habuerunt, ut cum eo vel revera fuerint confusi, vel certe confundi potuerint. Quorum ex cognitione duplex percipietur fructus: ut Coelio non tribuantur, quae ad alium quemdam pertinent, et ipsi vindicentur, quae ad alios perperam referuntur. Res est enim in omni antiquitatis historia notissima, nominum similitudinem gravissimos saepe errores peperisse.

CAPUT PRIMUM.

RELIQUIARUM L. COELII ANTIPATRI ILLUSTRATIO.

Integrum Coelii opus fortunae invidia hominumque ignorantia periisse vidimus, et nihil ex ipso reliquum esse praeter fragmenta quaedam in scriptis veterum disseminata. Quo-

Quorum fragmentorum duo genera sunt: altero *rerum gestarum veritas*, altero *bonitas vocabulorum* probatur; illud in Historicorum, hoc in Grammaticorum operibus servatur; illud historicam in primis interpretationem; hoc vero praecipue grammaticam requirit. Quod quum dico, non ita intelligatur, quasi non saepius utramque conjungendam existimem: hoc tantum dico, non utriusque in utroque fragmentorum genere easdem esse partes. Quum enim ab historicis Coelius plerumque ita citetur, ut appareat, tantum *quid*, non *quibus verbis* scripserit, ejusmodi loca in primis historice illustrare conabor, grammatice autem quantum ad Coelianae sententiae intelligentiam juvabit: neque enim a me postulatur ut Livium, Ciceronem aliosque, sed ut Coelium interpreter. Contra a Grammaticis saepe duo triave verba referuntur, quae quorsum pertineant, plerumque est difficillimum statuere, interdum statui nullo modo potest; ita ut historicae explicationi non detur locus.

Sed etiam alia est horum fragmentorum divisio: vel enim ad operis Coeliani partem certo aut probabiliter possunt referri, vel certus in eo locus iis adsignari nequit. Priore Sectione de illis, altera de his agam.

SECTIO I.

DE FRAGMENTIS, QUIBUS IN OPERE COELIANO LOCUS CERTO VEL PROBABILITER ADSIGNARI POTEST.

§. 1.

Initium fieri par est ab operis inscriptione, quam hanc fuisse verisimile est.

„L. Coelii Antipatri Annalium sive Historiarum belli Punici secundi libri septem."

Quae me rationes adducant, ut Coelium non nisi de Bello Punico Secundo scripsisse existimem, supra exposui (1). Opus in libros fuisse divisum plurimis locis probatur. *Septem* autem libros fuisse conjicio, quod nec pauciores esse potuerint (sep-

(1) Vid. supra Part. I. cap. 2. Sect. 1.

(septimus enim liber quinquies citatur) nec plures requiri videantur. Quid enim? quum constet secundo libro jam ad pugnam Cannensem fuisse perventum (2), reliqua belli facta nonne quinque libris apte comprehendi potuerunt? quaenam autem, si quis plures fuisse putet, horum librorum fuit infelicitas, ut ipsorum mentio a nemine fieret? Quod autem *Annalium* nomine Coelii opus nonnumquam, in primis a Grammaticis, insigniri videmus; noluerunt profecto indicare eum exili jejunoque dicendi genere fuisse usum. Licet enim antiquitus talem ejus vocabuli vim fuisse fatear (3), cujus rei causa ex Cic. de Orat. l. 2. c. 12 manifesta est, tamen illud de Coelii scriptis ita accipi neque necesse est; quum plerique Grammatici aliam huic voci significationem tribuerint (4); neque etiam accipi debet, si quidem Coelium exilibus istis jejunisque historicis annumerandum non esse vidimus (5), quin iis etiam opponi cum ab Antonio Cicer. l. c., tum ab Attico de Legg. l. 1. cap. 2.

§. 2.

Sequitur ut de operis Prooemio videamus, quod scriptum fuit vel, ut nonnulli putant, ad L. Aelium Stilonem (6) vel, quae aliorum est sententia, ad Laelium (7). Ut scriptores libros dedicarent, tunc jam usitatum fuisse, Lucilii exemplum ostendit, qui

(2) Vid. Gell. Noct. Att. l. 10. cap. 24.

(3) Conf. Sempronii Asellionis opinio servata a Gellio Noct. Att. l. 5. c. 18. qui, licet Coelii in historia scribenda praestantiam minime sit adsecutus, ut testatur Atticus apud Cic. de Legg. l. 1. cap. 2. tamen Annalium scriptorem vocari valde recusat.

(4) Sive Verrii Flacci opinionem admittamus, quae a Gellio traditur in Noct. Att. l. 5. c. 18. quamque sequitur Isidorus in Origin. lib. 1. cap. ult. apud Gothofr. in Auct. L. L. p. 856. sive quae mihi magis placet, ipsius Gellii l. c. nihil minus honorificum *Annalium* verbo inesse apparet; quum Verrius Flaccus *Annales* intelligeret *rerum gestarum commemorationem, quibus ipse scriptor non interfuerat:*" Gellius autem „*res gestas plurium annorum, observato cujusque anni ordine, deinceps compositas.*" Utrumque de Coelio valet: certe ab ordine Chronologico antiquissimi historici ne latum quidem unguem discessisse videntur. Conf. quae dixi ad locum Cic. de Orat. l. 2. c. 13. pag. 12. (35).

(5) Conf. Part. I. cap. 2.

(6) Vid. v. gr. Ausonius Popma in Fragm. Historicorum.

(7) Hoc mihi probabilius videtur: non enim Ernestus ad Cic. Orat. c. 69. nullam illius lectionis mentionem fecisset, nisi magno MSS. consensu repudiaretur, et non credo alium locum ad probandam opinionem adferri.

qui poëma eidem L. Aelio inscripsit (8); et postea frequentissimum fuisse Ciceronis aliorumque prooemia declarant. Caeterum utra probanda lectio sit, ad Coelii laudem parum interest, quum utriusque amicitia vere potuerit gloriari. Nam L. Aelius Stilo „ fuit vir egregius et eques Romanus cum primis honestus idemque eru„ ditissimus et Graecis literis, et Latinis: antiquitatisque Romanae et in inventis „ rebus, et in actis, scriptorumque veterum literate peritus", ut ait Cicero in Bruto cap. 56 (9); ex quo capite apparet, et M. illum Varronem plurimum debuisse ejus institutioni et ab ipso Cicerone perstudiose eum auditum fuisse. Quamvis igitur magnum sit L. Aelii, majus etiam judico C. Laelii familiaritate usum esse, quem virum constat et honoribus gestis, et Scipionis amicitia, et praeclaris ingenii animique dotibus clarum exstitisse (10).

Hoc igitur prooemio et quasi vestibulo operis sui Coelium exposuisse puto, quam materiem, quibus ex fontibus haustam, quomodo esset enarraturus: ut mihi quidem dolendum videatur semel tantum illud memorari. Quae commemoratio a Cicerone fit in Orat. c. 69. qui in pulcherrima de numero oratorio disputatione, quum aptam verborum compositionem commendâsset, cavendumque dixisset ab aperta verborum trajectione, qua melius aut caderet aut volveretur oratio, ita pergit. „ Trajecturum se verba aperte L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici, nisi „ necessario, negat. O virum simplicem, qui nos nihil celet: sapientem, qui ser„ viendum necessitati putet! Sed hic omnino rudis. Nobis autem in scribendo, at„ que in dicendo necessitatis excusatio non probatur: nihil est enim necesse: et, si „ quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. Et hic quidem qui hanc a Lae„ lio, *ad quem scripsit* (11), cui se purgat, veniam petit, et utitur ea trajectione „ ver-

(8) Vid. Auctor ad Herenn. l. 4. cap. 12.

(9) Hoc testimonium memorâsse sufficiat, quum longum sit loca, quibus laudatur, enumerare. Observandum autem est, sive *L. Aelius* legatur, sive *Laelius*, confirmari quod dixi pag. 11. „ Coelium optimatium familiaritatibus implicatum fuisse." Nam Laelius quas partes in rep. fuerit secutus constat, vel ex Cic. de Amicit. cap. 11 et 12. L. autem Aelius Quintum Metellum Numidicum in exilium comitatus est, teste Sueton. de Illustr. Grammat. §. 3. Neque, si quis *L. Aelium* legere malit, ideo putet minus probabile fieri quod conjeci pag. 10. Coelium Stoicae philosophiae fuisse peritum: ut enim testatur Cic. in Bruto c. 56. Aelius plurimam Stoicorum doctrinae operam dedit.

(10) Vid. loca quae adfert Ernestus in Clav. Cic. in voce.

(11) Haec tria verba mihi insititia videntur: primum enim Ciceronis aetate id satis notum erat.

„ verborum, et nihilo tamen aptius explet, concluditque sententias." Meminerimus loqui eum, qui eloquentiae apud Romanos tenuit principatum; praeterea numerum illum in oratione tenere difficillimum esse: neque ego is sum qui perfectam in Coelio Historici speciem agnosci velim, sed perquam durum, ut supra dixi, et iniquum puto, ea ab ipso flagitare, quae quominus adsequeretur, temporum ratio impedivit; et potius ea, quae ipsi desunt, requirere, quam justa laude, quae adsunt," adficere.

§. 3.

Venio igitur ad primum librum, in quo, ut item in caeteris, hanc tenebo rationem; ut primum quae ex eo citantur, explicare coner, tum libri ambitum definire: eum aut fragmenta indicabunt, aut ut conjectura constituam, operam dabo; id semper tenens quod dubitari nequit, Coelium singulorum librorum cum initium, tum finem a memorabili quodam eventu fecisse. Denique videbo an ratio annorum doceat, quaedam eorum quae veteres ex Coelio, numerum libri omittentes, memorant, ad eum referenda esse aut certe referri posse. Caeterum monere vix opus est, quemadmodum multa sunt, quibus suus liber adsignari nequeat, pari modo rem in singulis libris sese habere, ita ut non pauca eo ordine memoraturus sim, quo forte fortuna occurrant.

N°. 1. Primus igitur locus fragmento concedatur, quod servavit Priscianus l. 13. pag. 960. edit. Putschii. (12).

„ Neque ipsi eos alii modo esse atque Amilcar (13) dixit, ostendere possunt aliter."

Fuerunt plures Hamilcares, qui bellicis praecipue artibus inclaruerunt (14). Attamen

et ipsa re indicabatur; tum admodum ingrata est ea Pronominis repetitio, *qui — ad quem — cui*; certe indigna quam a Cicerone profectam dicamus. Denique hoc etiam manum Glossatoris arguit, quod ut Ernestus ad h. l. miratur, diversa tempora *scripsit*, *purgat*, temere adhibentur.

(12) Putschianam grammaticorum collectionem non nisi scripta jam dissertatiuncula, mihi potui comparare; quare si quae in illa ad argumentum meum pertinentia fugerint me; temporis, per quod illa usus sum, brevitati id tribui velim.

(13) *Hamilcar* legitur in Edit. Florentina a. 1553.

(14) Recensentur a Glandorpio in Onomastico, in Appendice de regibus et ducibus Carthaginiensium.

men hoc loco debet procul dubio intelligi Hamilcar cognomine Barcas pater Hannibalis; is enim cum sibi ex bello Siciliensi fortiter prudenterque gesto magnam famam comparavisset, perpetuo erga Romanos odio maxime concitâsse videtur secundum bellum Punicum (15): quamobrem non est quod miremur si in Coeliani operis initio memoratur (16). Caeterum haec verba a Prisciano referuntur, ut exemplo, quod dixerat, confirmaret; nomen *alius* nonnumquam in genitivo sequi regulam nominum secundae Declinationis.

N°. 2. Vidimus Hamilcarem cognomen Barcae habuisse, quod quamquam toti ipsius familiae fuerit commune (17); tamen, quae modo dixi, me adducunt, ut ad illum fragmentum referam quod invenitur apud eundem Grammaticum eodem loco.

„ Antequam Barcha perierat, alii rei causa in Africam est missus."

Observandum est, pro *Barcha* in edit. Veneta a. 1476 (18) legi *Bartha*. Hujus mutationis, ut etiam lectionis *Barcha* pro *Barca*, aliud exemplum vid. in nota Stavereni cit. Porro non tantum in ea editione, sed etiam in antiqua editione Meerm. voces *in* et *est* desiderantur. Altera omissio per Ellipsin ferri potest: altera plane contraria est notissimae regulae, quae a Charisio quoque refertur Instit. Gramm. l. 2. p. 183. ed. Putschii; *praepositiones gentium regionumque nominibus addendas esse.* Priscianus Coelium ideo citavit, ut ostenderet, id quod mirum esse dicit, nominis *alius* genitivum foeminini etiam generis a quibusdam in *i* prolatum fuisse. Hamilcar autem periit, ut Corn.

(15) Haec sunt verba Nepotis in vita Hamilcaris cap. 4. Idemque adfirmat Polyb. l. 3. c. 9. *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦ γε Ῥωμαίων καὶ Καρχηδονίων πολέμου νομιστέον πρώτην μὲν αἰτίαν γεγονέναι τὸν Ἀμίλκου θυμὸν, τοῦ Βάρκα μὲν ἐπικαλουμένου, πατρὸς δὲ κατὰ φύσιν Ἀννίβου γεγονότος.* Nec aliter Livius qui l. 21. cap. 2. indicat Hamilcarem inprimis hoc indignatum fuisse, quod Sicilia Sardiniaque Carthaginiensibus ablatae essent.

(16) Dicat quis hoc fragmentum contentionis alicujus indicium continere, fortasse Hamilcarem inter et Hannonem ejus in rep. administranda adversarium: sed de hoc aliquid statuere et temerarium esset et vero inutile.

(17) Vid. accurata de hoc cognomine variisque ejus scribendi modis nota Stavereni ad Nep. in Hamilc. c. 1.

(18) Scilicet in exemplo Grammaticorum Putschii quo usus sum, doctus vir varias duarum Prisciani editionum lectiones notavit. Altera est antiquissima in Fol. sine ullo anni vel loci indicio, altera est editio Veneta a. 1476. in Fol. utramque se debere dicit Ampl. Meermanno.

Corn. Nepos in ejus vita cap. 4. ait; „ quum in Italiam bellum inferre meditare„ tur, nono anno postquam in Hispaniam venerat (19) in proelio pugnans adversus „ Vettones." Quis fuerit ille, qui in Africam missus esse dicitur, iis indagandum relinquo, qui in ejus rei inquisitione operae se pretium facturos esse existiment.

N°. 3. Sequatur tertius Prisciani locus l. 8. p. 800. edit. Putsch. quo haec ex Coelii primo citantur.

„ Qui intelligunt, qui faciunt, dissentiuntur."

Utraque editio Meerm. habet *fiant* pro *faciunt;* sed ne ex hac lectione quidem probabilem sensum eruere possum. Quare historica interpretatione hic cogor supersedere. Patet ex loco Prisciani duplicis rei haec verba indicio esse: primum enim declarant pro *dissentio* etiam *dissentior*, usurpatum fuisse, quod tamen rarissimum est; tum etiam Grammatici observationem confirmant, verba composita saepius simplicis verbi, a quo descendunt, significationem mutare.

N°. 4. Apud eundem Priscianum l. 8. p. 886. ed. Putschii haec inveniuntur ex Coelii primo libro relata.

„ Qui cum iis ita foedus icitis."

Sed et in utraque ed. Meermann. et in ed. Florentina a. 1453 legitur *icistis*, quae lectio videtur praeferenda, quoniam alioquin nullo exemplo Grammaticus confirmaret, quod monuerat. „ *Ico* penultimam producit in praeterito perfecto et mutat *o* „ finale in *i: ico*, *ici*, unde *ici*, *ictus*." Videtur hoc fragmentum ex oratione desumtum, fortasse ex ea, quam habuit in senatu Carthaginiensium legatus Romanorum, P. Valerius (20), in qua foederis illius mentionem fecit, quo cum Hasdrubale icto Carthaginienses nec Saguntinos laederent nec Iberum trajicerent (21), ita ut tunc voce *iis* intelligerentur duces Romanorum in Hispania. Ad Fabium enim legatum Coelii verba non pertinent; si quidem, ut indicat Polyb. l. 3. cap. 20. §. 8. et Livius l. 21. cap. 18. disertis verbis ait; hic nihil percunctatus est, quam quod mandatum erat; „ Publicone consilio Hannibal Saguntum obpugnâsset?" Sed nolo hanc opinionem urgere, quoniam negari nequit etiam ad alias legatorum sive Carthaginiensium, sive Romanorum orationes pertinere haec posse, ne dicam ad ducem quoque

(19) I. e. a. u. c. 526. novem ante Sagunti expugnationem annis.

(20) De hac legatione vid. Polyb. l. 3. c. 15. §. 2 et 12, ac Livius l. 21. c. 6 et 10.

(21) Vid. Polyb. loco cit. §. 5. Ῥωμαῖοι μὲν οὖν διεμαρτύροντο Ζακανθαίων ἀπέχεσθαι, καὶ τὸν Ἴβηρα ποταμὸν μὴ διαβαίνειν κατὰ τὰς ἐπ' Ἀσδρούβου γενομένας ὁμολογίας.

que hostium perfidia milites suos incitantem referri posse.

N°. 5. Ultimum quod ex primo Coelii libro fragmentum Prisciano debetur, reperitur in l. 3. pag. 607. edit. Putsch.

„ Dextimos in dextris scuta jubet habere."

Scilicet *dextimum* pro *dexterum* (huic enim rei probandae illa verba inserviunt), veteres nonnumquam dixerunt (22). Hoc jussum fortasse dedit Romanorum Imperator, ut ita pedites irruentis in dextrum latus equitatus impetum excipere et sustinere possent. Certe Numidae equites a Romanis summopere metuebantur; eorumque inprimis cum fortitudine, tum vero incredibili velocitate factum est, ut Hannibal Romanos tam saepe devincere potuerit.

N. 6. Veniamus nunc ad ea quae Nonius Marcellus retulit; et primum quidem ad illud fragmentum, quod legimus cap. 4. n. 121. in Gothofr. Auct. L. L. p. 643 (23).

„ Legati, quo missi sunt, veniunt, dedicant mandata."

Ostenditur verbum *dedicare* nonnumquam pro verbo *dicere* usurpari. Et omnino videtur haec primaria esse ejus vocis significatio. Praeter loca a Nonio citata, in Lexicis inveniuntur exempla ex Lucretio, Apulejo aliisque desumta. Ad utram autem legationem haec verba referri debeant earum, quibus mittendis Romani tempus imprudenter triverunt (24) quis, quaeso, dicat?

N°. 7. Alter locus est cap. 10. n. 33. pag. 770.

„ Cum jure sine periculo bello (25) geri poteratur."

Qui adfertur indicio antiquitus pro *poterat* dictum fuisse *poteratur*, quod tamen plane abiit in desuetudinem; nec aliud, quod sciam, exemplum exstat, quam ex C. Gracchi oratione relatum a Festo in voce *potestur*. Similiter antiqui pro *posset* dixerunt *possetur* (26), pro *potest* etiam *potestur* (27) et omnino multum Passiva vel Depo-

(22) Vid. v. c. Sallust. Jug. 100. et Festus in voce.
(23) In locis Nonii citandis paginas hujus editionis notabo.
(24) Vid. Liv. l. 21. cap. 11. et ibid. cap. 18.
(25) Plures editiones rectius *bellum* habent.
(26) Vid. Non. c. 10. n. 30.
(27) Vid. Non. cap. 10. n. 34. item Festus in voce.

ponentis terminatione usi videntur. Animadvertatur etiam, quod bellum *cum* jure geri dicitur, quam praepositionem, nisi fallor, Cicero et plerique optimae notae scriptores omisissent.

N°. 8. Tertium a Nonio citatum est cap. 2. n. 820. pag. 583.

„ Primum malo publico gratias singulatim nomina."

Singulatim et *sigillatim*, ut ait Grammaticus, qui hujus observationis occasione haec verba adfert, a *singulis* descendunt. Utriusque vocis adhibitae exempla in Lexicis reperiuntur. Scribitur etiam *singillatim*. Quid sibi haec verba velint nescio; videntur corrupta, neque tamen verisimilem medendi rationem invenio.

N°. 9. Porro apud Nonium cap. 2. n. 466. p. 558. haec legimus:

„ *Illatebrare* a latebris honestissime dictum, Coelius Annal. lib. 1. Arma plerique „ abjiciunt atque inermes in latebras se *illatebrant*."

Cum auctoritate motus Gellii N. Att. l. 17. c. 8. verba *in latebras* ab inepto quodam Glossatore adjecta putem, tum vero quod plane inutilia sunt. Eundem Gellium secutus *se* in *sese* mutari velim atque pro *inermes* scribi *inermi*. Antiquitus enim non *inermis*, *e*, sed *inermus a*, *um* erat in usu (28). Gellius autem l. c. „ *illatebrare*" inquit „ verbum poëticum visum est, sed non absurdum, neque asperum." Ejusmodi verba Crassus apud Cic. de Orat. l. 3. c. 38. narrat a Coelio interdum adhibita esse; neque ipsa improbat, sed contra nonnunquam habere dicit in oratione dignitatem. Historicae interpretationis ad hunc locum nihil habeo, nisi, ad pugnam initio belli Punici secundi gestam haec verba esse referenda.

N°. 10. Etiam apud Nonium cap. 4. n. 452. p. 713. legimus:

„ *Subnixum*, *sublime*, hoc est *sursum nixum*. Coelius Annal. l. 1. Et Latini *sub*„ *nixo* animo ex (29) victoria inerti consilium ineunt."

In Gellio N. Att. l. 17. cap. 2. ita scriptum est ex Q. Claudii primo Annali „ *Ea* „ *dum fiunt*, Latini subnixo animo." Puto ita Nonii locum esse restituendum, cujus opinionis rationes mox expositurus sum. „ *Iners victoria*", ut ait Aus. „ Pop-

(28) Vid. Sisenna cit. apud Nonium cap. 1. n. 285; idem et Sallustius apud Nonium cap. 8. n. 75.
(29) Ita plures Intpp. secutus reposui pro *et*, quod erat apud Gothofredum.

Popma in Scholiis ad fragm. historic. p. 155, „ est, quae sine magna conflictatione „ obvenit." Sensus igitur non absurdus effici potest; ut dicantur Latini, quum majus ex victoria gaudium cepissent quam pro cladis magnitudine, consilium iniisse. Minime recipiendam opinor lectionem (30) *victoriae incerti*; non quod negare ausim *incertus* ita cum Genitivo posse construi; sed quoniam, si pugnae dubius adhuc fuisset eventus, non tam elato animo Latini fuissent. Caeterum quae de hac τοῦ *subnixi* significatione (31) Nonius annotat, manifesto desumta sunt ex Gellii loco cit. qui „ *sub-* „ *nixo*" inquit „ quasi *sublimi* et *supra nixo*, verbum bene significans, et non for- „ tuitum (32), demonstratque animi altitudinem fiduciamque: quoniam, quibus inni- „ timur, iis quasi erigimur attollimurque (33)." In historica interpretatione rursus haereo, quum nulla victoria mihi cognita sit a Latinis initio belli Punici secundi reportata.

N°. 11. Idem Nonius cap. 2. n. 342. p. 547. ita scripsit:

Fruisci pro frui, Coelius l. 1. Domus suas quemque ire jubet, et sua omnia *fruisci*."

Hoc verbum *fruisci* vel *frunisci*, teste Gellio l. 17. cap. 2. „ rarius quidem fuit in „ aetate M. Tullii Ciceronis ac deinde infra rarissimum; dubitatumque est ab imperi- „ tis antiquitatis an Latinum foret: non modo autem Latinum, sed jucundius amoe- „ niusque etiam verbum est *fruniscor*, quam *fruor*; et ut *fatiscor* a *fateor*; ita *fru-* „ *niscor* factum est a *fruor*." Deinde Gellius adfert exempla ex Q. Metello Numidico et Novio sumta; quibus addatur Lucilius apud Nonium h. l. et Festus de Verbor. Signific. in voce, ubi vid. Scaligeri et Dacierii notae. Facile esset de re conjecturas proferre, ad quam hoc fragmentum referatur. Possem v. c. hic memorare, Hannibalem, antequam in Italiam proficisceretur, Hispanis militibus potestatem visendi domos dedisse, ut renovarentur corpora animique ad omnia de integro patienda (34). Vel ad illum Hannibalis morem pertinere ea verba contendere possem; quo, ut fama clementiae in principio colligeretur, et ad defectionem populi sollicitarentur (35), ple-

(30) Vid. Dion. Gothofr. ad h. l. Nonii.

(31) Aliae ibidem significationes indicantur pro *subdito* aut *enixo*; attamen illa, quam apud Coelium invenimus multo usitatior fuit, ut ex Lexicis apparet.

(32) I. e. tale verbum, quod non usu et sola hominum conventione temere fictum, sed secundum analogiam formatum est.

(33) Ita Livius l. 26. cap. 13. „ Victoria insolenti *subnixos*."

(34) Vid. Livius l. 21. c. 21.

(35) Ita Livius tradit l. 21. c. 48. et facile credo hanc fuisse illius lenitatis causam.

plerosque Italici generis captivos domum mittebat iisque, ut suis omnibus libere fruerentur, permittebat. Sed melius erit, opinor, et nunc et in posterum ab istiusmodi conjecturis temperare.

N°. 12. Quod ultimo loco fragmentum primi Coeliani libri ex Nonio referendum habeo, est cap. 2. n. 141. p. 532.

„ Armis et magno commeatu praedaque ingenti copiantur."

Monet Nonius τὸ *copiantur* a *copia* honeste positum esse, ut *lignantur* et *pabulantur* et *aquantur:* quod scribens habuit profecto ante oculos locum Gellii N. Att. l. 17. cap. 2. „ *Copiari* verbum castrense est, nec facile id reperias apud civilium „ causarum oratores: ex eademque figura est, qua *lignantur* et *pabulantur*, et *aquan-* „ *tur*." Horum trium verborum multa in Lexicis exempla occurrunt; *copiari* autem rarissime invenitur (36).

Hoc quoque fragmentum ad rem initio belli Hannibalici gestam referre conarer, nisi me plures eaeque, ut opinor, gravissimae rationes persuaderent, ut et haec verba et tria quae proxime antecedunt fragmenta, i. e. N. 9. 10. 11. Coelio abjudicanda censerem: cujus opinionis fundamentum in loco Gellii positum est Noct. Att. lib. 17. c. 2. ubi hae quatuor sententiae, si unam alteramque terminationis differentiam excipias, plane eaedem reperiuntur; sed ex primo Q. Claudii Quadrigarii Annali desumtae. Quod quum videret Ausonius Popma in Scholiis ad Fragm. historic. p. 155. sibi Claudium videri dixit haec e Coelio desumsisse eodem modo, quo et ipse Coelius et Cassius Hemina quaedam ex Catonis Originibus in suos libros retulerunt. Cui opinioni ut assentiar non possum adduci. Ut enim omittam neque Coelium neque Heminam ipsis Catonis verbis usum fuisse; quid commune habet primus Q. Claudii liber, in quo de bello Gallico (37) agebatur, cum Coelianae historiae principio, in quo belli Punici secundi initia tradebantur? Praeterea Q. Claudium adeone verborum inopia laborâsse putemus tantaque impudentia fuisse, ut iisdem plane, quibus Coelius, verbis uteretur? Nonne mirum etiam esset, neque Nonium de Claudii im[illegible]ione vel potius furto monuisse, licet annotationes suas ex Gellii loco procul dubio hauserit; neque Gellium l. c. annotâsse Coelio has sententias deberi, cum praesertim in simili re id non ne-

(36) Quod ad verbum *copior* attinet, conf. etiam Eutychis Grammat. de discernendis conjugationibus l. 2. pag. 2182. edit. Grammat. Putsch.

(37) Illud bellum Gallicum, ut videtur, quo Romanorum respublica maxime periclitata est; de quo vid. Livius l. 5. Florus l. 1. cap. 13. Eutropius l. 1. cap. 20. aliique.

neglexerit (38)? Igitur fragmenta illa quatuor aut Coelio vindicari debent, aut Claudio; et vel in Gellio error librariorum est, vel in Nonio. Hoc autem multo probabilius est, quandoquidem ea, quae in capite Gellii cit. sequuntur, belli Gallici narrationi optime, minime vero historiae belli Punici secundi conveniunt.

N°. 13. Accedamus nunc ad Charisium, in cujus Institutionibus Artis Grammaticae primum Coelii librum quatuor locis citatum invenimus. Primus locus est l. 1. p. 115. edit. Putsch.

„ *Saguntinorum* Coelius, *Saguntium*, Sallustius, ut Paulus in Coelii historia libro „ primo notat."

Utrumque igitur recte dici Charisius ostendit, siquidem utrum melius sit non monuerit. Attamen cum Coelio faciunt, quantum quidem sciam, omnes (39) et magis convenire videtur *Saguntinus* quam *Saguns* cum Graeco Ζακανθαῖος (40). Quis autem Paulus fuerit qui ad Coelii historiam notas sive commentarium scripsisse dicitur, nescire me fateor.

N°. 14. Hic Coelii commentator rursus citatur apud Charisium l. 2. pag. 193. Putsch. quo loco haec leguntur:

„ Item *satis* pro *aequo* est (41). Coelius Histor. primo. Commodum esse *satis* vide„ tur. Nec enim pro sufficienti, inquit Paulus, accipi debet, sed pro pari et aequo."

Satis accipitur etiam pro *intente*, ut Charisius monet h. l. Verrius Flaccus absurdas de eo verbo opiniones recitavit, teste Festo in Fragm. p. 74. edit. Dacierii (42), qui eas silentio praetermittendas esse putavit.

N°. 15. In eodem Charisii libro pag. 183. Putsch. tertius locus occurrit:

„ Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit, visere locum ubi exercitum ex„ ponat."

Qui-

(38) Vid. Gell. Noct. Attic. l. 10. cap. 24.

(39) Vid. Livius l. 21. cap. 5. et passim. Sil. Ital. l. 1. v. 271. Florus l. 2. c. 6. §. 8. Val. Max. l. 6. cap. 6. ext. n. 1. Eutropius l. 3. c. 7.

(40) Vid. Polyb. l. 3. c. 14. et passim.

(41) In ed. Charisii quae Basileae a. 1551 prodiit, est. „ Item satis per accusativum est," quae lectio plane absurda mihi videtur.

(42) Hanc editionem in Festo citando semper adhibui.

Quibus verbis Grammaticus regulam probat: „ Praepositiones civitatibus denegantur, „ gentibus serviunt." i. e. Praepositiones ante urbium nomina omitti, ante regionum nomina adhiberi solent. Animadvertatur Infinitivi usus *visere*, pro quo Latini frequentius ita scribunt; *ad visendum*, *ut viseret*, *quae viseret*. *Celox* quid sit docet Schefferus II. de Militia Navali. 2.

Qui hoc loco memoratur Sempronius, est Tiberius Sempronius Longus Consul a. u. c. 356, quem Romani cum terrestribus maritimisque copiis in Siciliam miserant, ita in Africam transmissurum, si ad arcendum Italia Poenum Consul alter satis esset (43). Lilybaeum se contulerat, quae urbs mille tantum stadiis distabat a promontoriis, quae apud Carthaginem sunt, et ad classem recipiendam aptissima erat quippe egregio instructa portu (44). Fecerat ibi tantos apparatus, quasi primo appulsu ipsam Carthaginem esset oppressurus (45); quamobrem non est quod miremur si jam unam ex celocibus (46) miserit, quae locorum situm exploraret (47). Spem autem optimi viri fefellit audacissimi ducis celeritas, qua factum est, ut quam primum non in Africam, sed in Italiam transmitteret et ab oppugnanda Carthagine ad defendendam Romam cogitationes referret.

N°. 16. Denique in libro secundo Charisii p. 128. Putsch. legitur ex Coelio historiarum primo:

„ Duodecies centena millia passuum longe.

Ut probetur *longe* etiam pro *longitudine* reperiri. Cujus significationis exempla cum in Lexicis reperiantur, hic memorare nihil attinet. *Longe* Charisius h. l. monet etiam pro *praecipue*, *maxime* adhiberi. Vid. idem Charisius p. 138. ed. Putsch. De spatio, quod Coelii verbis significatur, nolo conjecturas temere proferre.

N°. 17. Ad primum Coelii librum solent etiam referri verba, quae Gellii amicus scripserat ei a Coelio adhibita fuisse, *tertio* aut *quarto Consul* (48), quo teste citando opinionem suam confirmare se putabat non esse scribendum *tertium* aut *quartum Consul*. Sed Gel-

(43) Vid. Liv. l. 21. cap. 17. (44) Vid. Polyb. l. 1. cap. 42.

(45) Vid. Polyb. lib. 3. cap. 41. (46) Vid. Livius l. 21. cap. 17.

(47) Non igitur mirum, si Romanorum classes in Africam trajecturae Lilybaeo semper profectae sint. Vid. v. gr. Livius l. 23. cap. 41. item l. 29. c. 26. Caeterum de Lilybaeo cf. Cellarius in Geogr. antiq. P. 1. lib. 2. cap. 2. p. 636.

(48) Vid. Gell. Noct. Att. l. 10. cap. 1.

Gellius Coelii auctoritati auctoritatem M. Varronis opponit, hominis ut ait, quam fuit Claudius (hujus quoque loco amicus nitebatur), cum Coelio doctioris (49). Varro autem scripserat; „ Aliud est quarto Praetorem fieri et quartum: quod *quarto* lo„ cum adsignificat ac tres ante factos; *quartum* tempus adsignificat et ter ante factum." Quod si erraverit hac in re Coelius, facile in eo potest hic error excusari, quum non modo Pompejus, sed ipse etiam Cicero de hac terminatione dubitare se dixerit (50). Sed, mea quidem opinione, haec Coelii verba non recte ad primum ejus librum referuntur; verum puto apud Gellium libri numerum excidisse, cum ibi legatur „ idque in principio *li*„ *bri* Coelium scripsisse." Cum autem Coelii historia in *libros* divideretur, non possumus Gellium tam parum diligentem fuisse suspicari, ut ipsum opus etiam *libri* nomine insigniret; quod facile confusionem parere potuisset: et tamen Interpretes eo sensu vocem *libri* accepisse videntur. Praeterea hoc quoque confirmatur opinio mea; quod nemo primis belli Punici annis Romae fuit, qui tres quatuorve Consulatus gesserat.

Haec igitur quum pro viribus meis illustraverim, sequitur ut primi hujusce libri argumentum constituam; quam ad rem peragendam ipsa illa fragmenta, quum tam brevia sint et non nisi ad Grammaticam pertineant, parum me adjuvabunt. Quoniam autem est verisimile Coelium, antequam ipsam belli Punici secundi narrationem aggrederetur, quaedam in antecessum exposuisse; et notum sit secundo ejus libro Cannense jam proelium fuisse relatum; probabiliter certe huic primae operis parti terminos ponam. Videtur itaque Coelius in illa primum Carthaginiensium Romanorumque bellum leviter attigisse, item foedera inter illos icta, tum remotiores belli Hannibalici causas indicâsse, ad quas etiam bella in Hispania ab Hamilcare, Hasdrubale ipsoque Hannibale gesta referri potuerunt: porro Sagunti obsidionem excidiumque exposuisse, et consilium exercitus in Italiam mittendi: denique Hannibalis iter et superatas Alpes. Ibi aptus erat insistendi locus, ut maximarum rerum exspectatione legentium animi suspensi tenerentur. Itaque primus Coelii liber desinit in a. 536. ab u. c.

Nunc de iis fragmentis agendum est, quae licet numerus libri additus non fuerit, tamen ad hunc Coelii librum referenda videntur. Qualia tria existimo.

N°.

(49) Hoc Gellii effatum ne putemus Coelio valde dedecori esse, siquidem M. Terentium Varronem nemo umquam Romanorum, ne ipso quidem Cicerone excepto, copia doctrinae et ambitu superâsse videatur. Cf. inprimis Cic. in Acad. Quaest. l. 1. cap. 3.

(50) Vid. Gell. l. c.

N°. 18. Primum a Nonio citatur cap. 1. n. 96. pag. 529:

„ Tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus."

ad rariorem usum vocis *bellosum* pro *bellicosum* probandum; cujus usus nullum, quod sciam, aliud exemplum exstat. Possunt haec verba exclamationem continere Romani cujusdam (quominus enim ipsius Coelii dicam, impedit Praesens verbi *conari* tempus) temeritatem Carthaginiensium admirantis, qui mercaturae atque lucri tantum cupiditati dediti Romanos perpetuis bellis exercitatos aggredi auderent. Quum autem de bello *suscitando* itaque de belli initiis sermo sit, probabilius ad primum Coelii librum, quam ad ullum alium ea referri existimo.

N°. 19. Alterum Coelianum, quod procul dubio huc pertinet, a Cicerone refertur de Divin. l. 1. cap. 24.

„ Hoc idem (51) in Sileni, quem Coelius sequitur (52) Graeca historia est: is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est: Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis (53) a Jove in Deorum concilium vocari: quo cum venisset, Jovem imperâsse, ut Italiae bellum inferret ducemque ei unum e concilio datum: quo illum utentem, cum exercitu progredi coepisse: tum ei ducem illum praecepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse: tum visam beluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere: et eum admiratum quaesisse de Deo, quodnam illud esset tale monstrum: et Deum respondisse, vastitatem esse Italiae, praecepisseque, ut pergeret protinus: quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret." Nemo erit, opinor, qui credat se hic aut Sileni versionem, aut ipsa Coelii verba legere, ac non potius utriusque narrationem Ciceronis ubertate et elegantia exornatam. — Rem commemorârunt omnes, qui de rebus Hannibalicis scripserunt, et omnes fere eodem modo. Quod si parvae quaedam differentiae intersint, non opus est, ut in iis diligenter enumerandis strenuam, ut Horatius ait, inertiam probem. Quamobrem ip-

(51) Haud scio an legendum sit *item*, et tunc non ad praecedentia, sed ad sequentia sit referendum.

(52) Ea verba satis indicant etiam hanc narratiunculam a Coelio in opus suum receptam fuisse; quae etiamsi abessent, tamen non putarem Coelium, cum mirabilium adeo fuerit studiosus, tam memorabile somnium praetermisisse.

(53) Ita Cicero in libris de Divinatione scribere solet, non *in somniis*.

ipsis auctorum locis citandis defungar. Vid. igitur Livius l. 21. cap. 22. Sil. Ital. l. 3. v. 168—214. Val. Max. l. 1. c. 7. ext. n. 1. Zonaras Annal. l. 8. cap. 22. Paulus Diaconus Hist. Misc. l. 3. c. 5. Equidem adsentior potius uni Polybio, qui hanc narratiunculam ridet et existimat Hannibalem, cum in Italiam iter suscepturus esset, eam viarum peritiam sibi comparâsse, qua fretus ejusmodi duce facile careret (54).

N°. 19. Ultimum fragmentum, quod ob Alpes in eo memoratas ad primum Coelii librum pertinere puto, est apud Plinium in Hist. Natur. l. 3. cap. 19.

„ Alpes in longitudinem $\overline{\text{X}}$ (55) pass. patere a supero mari ad inferum Coelius „ tradit." Sequuntur haec. „ Timagenes XXII M pass. deductis: in latitudinem autem Cornelius Nepos centum M., T. Livius tria M. stadiorum: uterque diversis in „ locis."

Dissensus igitur Nepotis et Livii explicatur, quod alter alteram tractus partem intellexerit: et simili quoque modo ratio reddenda est, cur etiam Coelius et Timagenes non eundem passuum numerum scripserint. *Supero* mari Hadriaticum, *infero* Tyrrhenum significari notissima res est, de qua cf. Cellarius in Notit. Orbis Antiqui Part. 1. l. 2. cap. 9. pag. 403, seq. Timagenes autem, qui h. l. citatur, est, ut videtur, Timagenes ille Syrus, qui res Gallicas prodidit, incertae auctor aetatis, de quo vid. Voss. de Hist. Graecis l. 3. p. 191.

§. 4.

Pervenimus igitur ad alterum operis Coeliani librum, cujus unum modo fragmentum disertis verbis citatur et quidem apud Gellium Noct. Att. l. 10. cap. 24.

N°. 1. „ *Suppetit* etiam *Coelianum illud ex libro historiarum secundo*: Si vis mi„ hi equitatum dare, et ipse cum caetero exercitu me sequi; die quinti Romae in Capi„ tolium curabo tibi coena sit cocta."

Quae eadem reperiuntur apud Macrob. Saturn. l. 1. cap. 4., et ita quidem ut appareat Macrobium non ex ipso Coelio, sed ex Gellii loco cit. sua hausisse. Ita enim apud eum legitur „ *Suppetit Coelianum illud ex libro historiarum secundo*: Si vis etc." Quod

(54) Vid. Polybius lib. 3. cap. 47.

(55) Id est, decies centena millia, monente Harduino ad. h. l.

Quod magis etiam probabitur, si ea quoque conferuntur, quae apud utrumque proxime sequuntur. Ita enim Gellius. „ Et *historiam* autem *et verbum* hoc sumsit Coelius „ ex Origine M. Catonis in quo (56) ita scriptum est : Igitur (57) dictatorem Car- „ thaginiensium magister equitum monuit, Mitte mecum Romam equitatum; die „ quinti in Capitolium tibi coena cocta erit." Apud Macrobium autem ita legimus. „ Hic Symmachus: Coelius tuus, inquit et *historiam et verbum* ex Originibus M. Ca- „ tonis accepit, apud quem ita scriptum est: Igitur dictatorem etc." Quamobrem, nisi singulari fortunae lusu hanc verborum convenientiam exstitisse statuamus, videtur Macrobius ipsius Gellii caput formae Dialogorum accommodâsse.

Uterque haec Coelii Catonisque verba attulit, ut ostenderet antiquitus non *die quarto* et die *quinto*, (Graeci εἰς τετάρτην καὶ εἰς πέμπτην dicunt) in usu fuisse, sed die *quarti* et *quinti*. Scribebatur etiam *die quarte* et *quinte*. Utriusque terminationis apud Gellium l. c. plura exempla reperiuntur. Animadvertatur quoque *in Capitolium* legi, cum tamen nulla de loco in locum translatio indicetur, itaque Ablativus proprie requiratur: cujus tamen regulae multae reperiuntur exceptiones (58). Denique observetur Coelium non omnia verbo tenus ex Catonis Origine in suum opus retulisse.

Audax consilium Romam proficiscendi quod Hannibali post pugnam Cannensem datum est, ab omnibus fere eorum temporum historicis commemoratur; ita tamen ut in nomine ejus, qui illius consilii fuit auctor, multum varietur. Livius quidem tribuit id Maharbali praefecto equitum l. 22. cap. 51. uti etiam Val. Max. l. 9. cap. 5. extern. n. 3. Zonaras Annal. l. 9. cap. 2. et Paulus Diac. Hist. Misc. l. 3. cap. 9. qui Maharbalem, nescio an librarii culpa, *Lacedaemonium* vocat. Silius Italicus Magonem fratrem Hannibalis ea dixisse tradit l. 10. v. 376. Florus l. 2. c. 6. §. 19, Adherbalem quemdam Bomilcaris nominat; Plutarchus denique Barcam, gente Barcina, uti nomen indicare videtur, oriundum, igitur ipsius ducis propinquum. Sed licet in nomine tam sint diversi, conveniunt tamen in re et videntur Hannibalem vehe-

(56) Legendum suspicor in *qua* i. e. Origine, quod mihi h. l. potius requiri videtur quam in *quo* i. e. Catone. Quod idem Macrobius l. c. censuisse videtur, et eam ob rem, cum etiam legeret *in quo*, scribere maluisse *apud quem*.

(57) Ita Romani scriptores aliorum populorum Deos, magistratus aliaque solebant suorum nominibus appellare, quibuscum maxime convenire viderentur. Quam rem multis erroribus ansam dedisse cum per se nemo dubitat, tum vero confirmavit experientia.

(58) De Ellipsi conjunctionis *ut* post verbum *curo* vix est quod moneam: „ *Curabo tibi coena sit cocta.*"

hementer reprehendere et existimare, si Hannibal consilium illud secutus esset, toti bello finem mox imponi potuisse. Et sane si fortissimi Carthaginiensium equites ante cladis nuncium Romam pervenissent, quis tam inopinati adventus sequelas definiet? Non igitur nego consilium illud fuisse ejusmodi ut ex eo magni fructus percipi potuissent; sed contendo temerarium fuisse ideoque a bono Imperatore repudiandum. Roma enim non erat vacua urbs et aperta; sed et bene munita et satis valido praesidio defensa; siquidem ad unum omnes qui in ea remanserant, eam defensuri fuissent; cum patriae amore liberi, tum spe libertatis adipiscendae servi, quorum magnus ibi numerus erat. Nec sane ad desperationem adducti erant ii, qui in Italia, Hispania, Sardinia bellum bene gerere potuerunt; captivos redimere, pacem non durissimis oblatam conditionibus accipere recusârunt et brevi post gravissimam cum Philippo Macedoniae rege contentionem susceperunt. Sed hoc in primis tenendum est; Hannibali, si rem male gessisset, multo plus damni oriturum fuisse, quam si bene, commodi: ut enim Romam primo impetu occupatam fuisse ponam, non tamen continuo sequitur tunc de Romanis Romanorumque imperio actum fuisse; potuissent enim iterum in Capitolii arcem confugere seque ibi tutari, donec copiae, quas in Italia adhuc minime contemnendas habebant, advenissent (59). Neque obliviscamur Hannibalem et magnam exercitus partem itinere proeliisque amisisse, et non facile Carthagine auxilia accepisse. Contra Numidis amissis Hannibal procul dubio Romanis multo inferior fuisset; et videbat praeterea vir sagacissimus, quam levibus mobilibusque praeësset hominibus; quorum partim praedae cupiditate, ut Galli, eum sequebantur; partim vi coacti, ut Hispani (60); caeteri mercede conducti, quam si aut nullam aut minimam sibi dari vidissent, ampliora pollicentium partes facile amplexi fuissent. — Quibus rationibus fretus non puto Hannibalem unquam tam imprudens consilium probavisse; quod tamen Cato narrat apud Gell. N. Att. l. 2. c. 19. et poenituisse eum, quod tam egregia Romae capiundae occasione non esset usus, ita ut in se et suum ipsius caput exsecraretur, quod non cruentum a Cannensi victoria militem Romam duxisset (61) et saepius exclamaret, O Cannae, Cannae (62)! Omnino cavendum est a

(59) Cf. omnino *Montesquieu Grandeur et Déc. des Romains.* chap. 4.

(60) Hi jam ante pugnam Cannensem inopia pressi defectionem meditati fuerant. vid. Liv. l. 22. c. 40.

(61) Liv. l. 30. cap. 20.

(62) Zonaras Ann. l. 9. cap. 2. Conf. omnino Montesquieu in op. modo cit. cap. 5. „*Je m'imagine qu'Annibal disoit très peu de bons mots. — J'ai du regret de voir Tite-Live jetter ses fleurs sur ces énormes colosses de l'antiquité. — Encore faudroit il que les discours qu'on fait tenir à Annibal fussent sensés.*"

a Phormionis imitatione, qui quum nunquam hostem, numquam castra vidisset, Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certâsset, praecepta de re militari dare volebat; ut ait Cicero de Orat. l. 2. c. 18.

Apparet ex hoc fragmento Coelium in secundo libro victorias Hannibalis apud Trebiam Thrasymenumque memoriae prodidisse, item Fabii calliditate elusam Poenorum audaciam, tum temeritatem Varronis, qua Romanorum vires admodum fractae et immunitae essent. Qui sane locus idoneus erat, quo novi libri initium fieret; si quidem ab illo inde tempore rerum conditio sensim sensimque mutata est et fortuna Romanorum armis minus adversari coepit. Pertinere igitur puto hunc librum ab a. u. c. 536 usque ad a. 538. Possunt ad eum plura fragmenta satis certo referri, quorum primum invenitur

N°. 2. apud Livium l. 21. cap. 38; quo loco quaeritur, ubinam Alpes Poenus transierit; qua de re triplex ibi profertur opinio. Prima, quam multi amplectebantur, Penino eum transgressum: altera Coelii;

„ Coelius per Cremonis jugum dicit transisse."

tertia ipsius Livii, qui illa parte Carthaginienses iter fecisse putat, quae Taurinam gentem spectat: quae opinio duas priores probabilitate vincit: Hannibalem enim Alpibus degressum apud Taurinos statim venisse, constat inter omnes: sed duo illi saltus ipsum per Salassos montanos ad Libuos Gallos duxissent; cum praeterea non verisimile sit ea tum ad Galliam patuisse itinera. *Cremonis* jugum cum hoc tantum loco memoretur, Lipsius in Epist. ad Belg. Cent. 1. ep. 93. legendum suspicabatur *Grejonis* vel *Grajonis* jugum; alii *Centronis* jugum conjiciunt (63), quae corrigendi rationes non carent verisimilitudine. Lipsius ad h. l. monet ex Coelii sententia Hannibalem superâsse montem minorem S. Bernardi, uti hodie appellatur; ipse autem censet per Taurinos saltus eum transgressum esse, sive per Alpes, quae postea Coctiae dictae sunt; sed itinere parum commodo et per fraudes vel errores aspero, ita ut frustra hodie quaeras et suo nomine designes. Exstat de hoc Alpium transitu proprius liber *The course of Hannibal over the Alps ascertained by J. Whitaker*, cujus auctor demonstrare conatur per montem majorem S. Bernardi Carthaginienses transgressos esse. Doleo me librum non nisi ex mentione ejus ab Heerenio facta cognovisse in opere *Handbuch der Geschichte der Staaten des Alt.* p. 440.

N°.

(63) Vid. Intpp. ad h. l. Livii.

N°. 3. Livius quum l. 21. cap. 46. narrâsset, quomodo Romanorum Imperator Scipio fortitudine filii ingenti periculo ereptus esset, haec addit.

„ Servati Consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat: malim equidem „ de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit."

Et sane si ex testium numero ad rei veritatem concludere liceret, de hoc Scipionis postea Africani facinore non esset dubitandum. Nam et Silius Ital. l. 4. v. 456 — 481. l. 6. v. 710. l. 15. v. 183. rem memorat; et Florus l. 2. c. 6. §. 10. et Zonar. Annal. l. 8. c. 23. Attamen horum omnium opiniones nondum me poterant adducere, ut Coelio hac in re fidem non tribuerem. Quum enim non essem nescius, quantis laudibus a Romanorum historicis Scipionum gens afficeretur; facilius intelligebam cur multi in Scipione Africano verae gloriae falsam adjecissent, quam cur quis servum nescio quem Ligurem immerito laudavisset. Sed fregit opinionem meam dubitationemque fere totam sustulit Polybii locus l. 10. v. 3. ubi tradit Laelium, qui per totam Scipionis vitam omnium quae fecit, fuit particeps, sibi narrâsse hoc primum fuisse memorabile Scipionis factum quod patrem turba hostium cinctum liberavisset: deinde fusius historia exponitur. Non autem aut Polybii fide aut Laelii integritate mendacium dignum est; neque ita veris ornamentis destitutus fuit Scipio, ut ab iis qui ejus magnitudinem perspiciebant, etiam falsis ornandus esset.

N°. 4. Sequenti capite Livius Padi post devictum Scipionem transitum narrat, qua de re Coelii sententia ita exponitur:

„ Coelius auctor est, Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus extemplo trans„ nâsse; ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis in „ ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis."

cui tantum abest ut Livius adsentiatur, ut potius ea omnia evertere conetur „ Ea" inquit „ peritis amnis ejus vix fidem fecerint. Nam neque equites armis equisque „ salvis tantam vim fluminis superâsse, verisimile est; ut jam Hispanos omnes inflati „ transvexerint utres: et multorum dierum circuitu Padi vada petenda fuerant; qua „ exercitus gravis impedimentis traduci posset. Potiores apud me auctores sunt, qui „ biduo vix locum rate jungendo flumini inventum tradunt; ea cum Magone equites „ Hispanorum expeditos praemissos; dum Hannibal citra flumen legationibus Gallorum „ audiendis moratus, trajicit gravius peditum agmen, interim Mago equitesque ab „ transitu fluminis diei unius itinere Placentiam ad hostes contendunt." — Quod autem legitur *potiores apud me auctores sunt*, id non ita est intelligendum, quasi dixisset Livius sibi scriptores cognitos esse, qui multo majoris auctoritatis et ma-

gis fide digni essent, quam Coelius; et qui traderent etc. Hoc tantum dicit, testimonium eorum scriptorum, qui diversa a Coelii sententia tradebant, *hac in re* sibi probabilius videri. Quos inter fuit etiam Polybius l. 3. c. 66. ex quo Livium sua hausisse existimo, quod quidem facilius mihi persuaderet Coelium erravisse, quam omnia quae collegit Livius argumenta. Nam primum ipse concedit Hispanos utribus uti potuisse, eodem modo ac l. 21. c. 27. traditur: deinde cur exercitus, quamvis gravis impedimentis Padum sine ponte non trajecisset, quum et Rhodanum (64) et Druentiam (65) superasset? At magnum Padi impetum fuisse Livius h. l. significat. An igitur oblitus erat eorum, quae ipse de Druentia scripserat? (cap. 31) „ Longe „ omnium Galliae fluminum difficillimus transitu est: nam quum aquae vim vehat in„ gentem, non tamen navium patiens est; quia nullis coërcitus ripis, pluribus si„ mul, neque iisdem alveis fluens, nova semper vada novosque gurgites faciens (et „ ob eadem pediti quoque incerta via est) ad haec saxa glomerosa volvens, nihil „ stabile nec tutum ingredienti praebet; et tum forte imbribus auctus ingentem trans„ gredientibus tumultum fecit, quum super caetera trepidatione ipsi sua atque incer„ tis clamoribus turbarentur" (66). Sed perfecerunt tamen Carthaginienses Druentiae transitum tot tantisque difficultatibus impeditum. Quae, opinor, reputans Zonaras Annal. l. 8. cap. 2. gravissimis auctoribus Polybio Livioque neglectis, ad Coelii auctoritatem sese contulit; quem locum, quoniam cum Coelii sententia tam accurate convenit, operae pretium est hic apponere. Τὸν μὲν ἀδελφὸν Μαγῶνα σὺν τοῖς ἱππεῦσι διανήξασθαι, καὶ ἐπιδιῶξαι τοῖς Ῥωμαίοις ἐκέλευσεν· αὐτὸς δὲ ἄνω πρὸς τὰς πηγὰς χωρήσας τοῦ ποταμοῦ, τοὺς ἐλέφαντας κατὰ τὸν ἐπίῤῥουν διαβῆναι προσέταξε. Καὶ οὕτω τοῦ ὕδατος περὶ τοῖς ὄγκοις τῶν ζώων ἐμποδιζομένου καὶ σκεδαννυμένου ῥᾷον κάτω σφῶν διεπεραιώθη. In tanta igitur auctorum discrepantia nihil possum statuere praeter hoc, Coelium falso a nonnullis accusatum videri, quasi ea tradidisset quae per rei naturam fieri non potuerint.

N°. 5. Eorum quae Coelius de pugna apud Trebiam Thrasymenumque scripserat, nihil, quod sciam, citatur; praeter nonnulla, quae ad Flaminii ante praelium committendum temeritatem pertinent; de qua multa ex Coeliano opere desumta habet Cicero et quidem primum de Nat. Deor. l. 2. c. 3. §. 8.

„ C. Flaminium Coelius religione neglecta cecidisse apud Thrasymenum scribit cum „ magno reipublicae vulnere."

C.

(64) Vid. Liv. l. 21. c. 27. (65) Vid. Liv. l. 21. c. 31.

(66) Cf. Sil. Ital. l. 3. v. 468. seqq. qui hunc Livii locum versibus expressit.

C. Flaminius vehementi praeditus indole neque magna forsitan prudentia, nobilium animos, cum tribunatu suo leges ipsorum commodis oppositas tulisset, valde a se abalienaverat; caeteroquin vir, ut mihi quidem videtur, minime contemnendus. Populo quidem carissimus erat, duos gesserat consulatus, alterum a. 530. magna cum laude, siquidem in eo de Gallis triumphavit (67); valebat dicendo (68); fortissimus erat miles (69); optimum belli ducem eum vocare non ausim: profecto hujus rei indicium non est, quod auspiciis cum Romae, tum in exercitu negligendis militum suorum animos violatae religionis terrore repleverit. Ducem enim et ipsum superstitione vacare decet et aliorum opinionibus sapienter uti, potius quam eas ut corrigat, operam dare.

Nº. 6. Hic Ciceronis locus satis ostenderet ea, quae apud ipsum de Divinat. l. 1. c. 35. §. 77. narrantur, Coelio deberi, etiamsi hoc non ex illis appareret, quae ibi proxime sequuntur. „ Magnum etiam illud est, quod *addidit* Coelius." Quandoquidem ibi mutatis verbis ea traduntur, quae Coelius in historia sua scripserat; facere non possum, quin locum quamvis paulo longiorem hic apponam.

„ Quid? bello Punico secundo, nonne C. Flaminius Consul iterum, neglexit signa „ rerum futurarum magna cum clade reipublicae? Qui exercitu lustrato, cum Arre„ tium versus castra movisset, et contra Hannibalem legiones duceret: et ipse et equus „ ejus ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit „ religioni, objecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret proelium. Idem cum „ tripudio auspicaretur, pullarius diem praelii committendi differebat. Tum Flaminius „ ex eo quaesivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. „ Cum ille quiescendum respondisset: Flaminius, Praeclara vero (70) auspicia, si „ esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa convelli et „ se sequi jussit. Quo tempore, cum signifer primi hastati (71) signum non posset „ mo-

(67) Vid. Plut. in Marcello cap. 7. (68) Cic. in Bruto cap. 14.

(69) Id testatur Plut. in Fabio Max. cap. 3. αὐτὸς μὲν οὖν ὁ Φλαμίνιος πολλὰ καὶ τόλμης ἔργα καὶ ῥώμης ἐπιδεικνύμενος ἔπεσε, et non diffitetur Livius l. 22. c. 6. caeteroquin Flaminio non admodum favens. (Conf. l. 21. c. 63.) Omnino multi in historiam Romanam errores irrepsisse videntur, quod plerique historici erant fautores nobilitatis. Id etiam in historica Ciceronis fide judicanda diligenter tenendum est.

(70) Ironica τοῦ *vero* vis satis cognita est. Conf. v. c. Cic. de Divinat. l. 2. c. 58. de Fin. l. 1. c. 17. in. De simili locutione vid. Clar. Bakius in Posidonio pag. 46. et Wyttenbachius ibi citatus.

(71) Scilicet ordinis sive manipuli

„ movere loco, nec quidquam proficeretur, plures cum accederent; Flaminius re nuntiata, suo more neglexit. Itaque tribus horis concisus exercitus atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Coelius, eo tempore ipso cum hoc calamitosum fieret praelium, tantos terrae motus, in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint (72), fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit."

Itaque hic portenta quatuor memorantur; primum est casus inopinatus equi; alterum inusitata signi evellendi difficultas. Primi meminit Plut. in Fabio Max. cap. 3: secundi Florus l. 2. cap. 6. §. 14: utriusque Livius l. 22. c. 3. Val. Max. l. 1. cap. 6. int. n. 6. Silius Italicus l. 5. v. 66. sqq. De pullis edere recusantibus, quod tertium imminentis calamitatis signum dicebatur fuisse, caeteris scriptoribus silentium est. *Tripudio auspicari* quid sit, fuse exposuit Cicero de Divinat. l. 2. c. 34 et 35. Cui divinandi rationi, quum et antea magno in honore fuisset, multum ponderis addidit Consulum Claudii et Junii casus, de quo vid Cic. de Nat. Deor. l. 2. c. 3. Denique ingens fuisse narratur terrae motus; quem, licet fuerit tantus, ut etiam urbes multae everterentur, tamen prae dimicandi ardore nemo pugnantium senserit. Cf. de eo Livius l. 22. c. 5. Silius Ital. l. 5. v. 622. sqq. Plut. in Fab. Max. cap. 3. Florus l. 2. cap. 6. §. 14. et Zonaras Annal. l. 8. cap. 25.

N°. 7. Nunc temporum ordo postulat ut rursus Livii reprehensionem memorem, in quam Coelius incurrit quaeque legitur in Liv. l. 22. c. 31.

„ Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt, Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit. Sed et Coelium et caeteros fugit, uni Consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, jus fuisse dicendi dictatoris: quam moram quia exspectare territa jam clade civitas non poterat, eo decursum esse, ut a populo crearetur, qui pro dictatore esset: res inde gestas, gloriamque insignem ducis, et augentes titulum imaginis posteros, ut qui pro dictatore esset dictator diceretur, facile obtinuisse." Quae Livius procul dubio vere dixit et ideo etiam l. 22. c. 8. scripsit. — „ *Prodictatorem* populus creavit Q. Fabium Maximum: — non enim dictatorem populus creare poterat, quod numquam ante eum diem factum erat." Locuples autem hac in re testis Plutarchus, qui in Marcello cap. 24. tradit jus dicendi dictatoris non nisi penes consu-

su-

(72) Haec etiam junguntur a Cicerone de Divin. l. 1. c. 43. unde apparet tunc *labem fieri* dici, cum oriuntur cavitates in terra ad quandam altitudinem.

sulem Praetoremve fuisse (73). Attamen haud scio an Livius hac in re molestus quibusdam videatur et putidus; siquidem Prodictator ille plane eandem habuerit, quam Dictator ipse potestatem (74): saltem Fabium *Dictatorem* appellaverunt Nepos in Hannib. cap. 5. Sil. Ital. l. 7. v. 21 et v. 378. Plutarchus (75), Zonaras (76) aliique. Quin etiam ipse Livius tribuit illud nomen ei, qui tamen non usitato more dictus fuerat (77); imo eidem quoque Fabio (78). Itaque si Coelius hac in re debeat reprehendi, fuit sane error parvi momenti multisque ei cum scriptoribus communis.

§. 5.

Ad tertium accedimus Coelii librum, cujus fragmentum apud Nonium superest cap. 2. n. 231. p. 539.

N°. 1. „ Imperator conclamat de medio, ut velites e sinistro cornu removean„ tur, et Gallis non dubitatim immittantur."

Est profecto usus vocis *dubitatim* pro *dubitanter*, cujus exemplum Nonius affert, rarissimus; neque praeter Sisennam a Nonio citatum scriptorem possim nominare, apud quem hoc vocabulum occurrat. Constat Hannibalem Gallorum peditum equitumque opera, quamdiu rem feliciter gessit, multum esse usum (79). Quamobrem quum admodum verisimile sit eos Carthaginiensium auxiliarios hoc loco spectari; sententiam ejusmodi fuisse suspicor; ut Romanorum dux speraverit fore ut, si Gallos, qui in laeva hostilis aciei parte collocati erant, terruisset; totam aciem cingeret et a tergo aggrederetur; et jusserit igitur velites e sinistro cornu remotos ad dexterum arcessi et Gallos magno cum impetu invadere.

N°. 2. Alterum fragmentum in Servii commentario ad Virg. Georg. l. 1. 77. invenitur.

„ Coelius seri avenam ostendit."

Ni-

(73) Ὁ γὰρ δικτάτωρ οὐκ ἔστιν ὑπὸ τοῦ πλήθους, οὐδὲ τῆς βουλῆς αἱρετὸς, ἀλλὰ τῶν ὑπάτων τις, ἢ τῶν στρατηγῶν, προελθὼν εἰς τὸν δῆμον, ὃν αὐτῷ δοκεῖ, λέγει δικτάτωρα.

(74) Vid. e. gr. Livii l. 22. cap. 9.

(75) Vid. in Fab. Max. cap. 4. ἀποδειχθεὶς δικτάτωρ Φάβιος.

(76) Vid. ejus Annales l. 8. cap. 25. Δικτάτωρα τε προχειρισάσθαι βουληθέντες, αὐτοὶ ἐν ἐκκλησίᾳ αὐτὸν ἀνεῖπον.

(77) Vid. Liv. l. 22. c. 57. (78) Vid. Liv. l. 22. c. 29.

(79) Vid. v. gr. Liv. l. 22. c. 46 et 47.

Nimirum, quum Virgilius monuisset agrum interquiescentem neque lino, neque papavere, neque avena esse serendum, quoniam ea urunt, i. e. exsiccant agrum (80); Servius annotat ex Coelio patere hoc praeceptum non ubique valere. Non absurde autem conjiciatur, de Campana regione Coelium fuisse locutum, siquidem Strabo l. 5. p. 167. Campaniam dixerit πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων et Florus l. 1. cap. 16. nihil uberius eo esse solo statuerit (81).

Duo haec fragmenta unusquisque intelligit nullum indicium continere, quo libri argumentum constituatur; quare ad solam conjecturam confugere cogor. Puto igitur hoc libro rerum ab a. u. c. 538. usque ad 542. gestarum enarrationem comprehensam fuisse; ita ut praelia in eo descripta fuerint, quae Carthaginienses vel in Italia contra Gracchum, Marcellum Praetorem aliosque per quatuor annos commiserint; vel etiam in Hispania contra Scipiones, quorum tristi et luctuoso interitu terminatam hanc Coeliani operis partem opinor. Neque objiciat quis me eadem uno Coelii libro contineri existimare, quae tribus libris Livius prodidit. Primum enim Livius non septem, sed decem libris hujus belli historiam exposuit: tum Coelius multa in sequentem librum rejicere potuit, quo ea uno eodemque tenore explicaret; v. gr. res Siculas, quae apud Livium majorem libri 25. partem occupant: ne dicam verisimile esse Coelium res omnes, quae non adeo ad ipsum bellum Hannibalicum pertinerent, leviter attigisse. Fateor tamen nec meam nec aliam quamcunque de hac re opinionem argumento demonstrari posse.

Quoniam igitur iis terminis hujus libri ambitum circumscripsi; consentaneum est ut probabiliter huc referri dicam, quae apud Servium leguntur ad Virg. Aeneid. l. 10. v. 145. De Capua enim agitur, quae in hoc libro saepissime profecto debuit memorari. Verba sic se habent.

N°. 3. „ Coelius Trojanum Capyn condidisse Capuam tradit, eumque Aeneae fuis„ se sobrinum."

Sunt autem *sobrini* „ qui ex fratribus patruelibus aut consobrinis, aut amitinis un„ dique propagantur;" ut dicitur in L. 3. pr. ff. de gradib. et affin. Diversus igitur hic Capys est et ab illo, qui inter majores Aeneae recensetur; et ab eo, qui recta (ut ajunt Jurisconsulti) linea ab Aenea descendebat: de quibus vid. Heynius in Excursu 7. ad l. 7. Aeneid. tom. 3. p. 129. Eandem quam Coelius sententiam tuentur Aristo (82); Virgilius l. cit.

Ca-

(80) Conf. quos citat Heynius ad h. l.

(81) Conf. Cellarius Not. orbis ant. Part. 1. l. 2. cap. 9. pag. 527.

„ Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi."

Silius Italicus l. 11. v. 299.

„ Tum Capys ut primus dederit sua nomina muris,"

quem Capyn dixit Silius *cognatum Julo* vid. ib. v. 179. Conf. idem Silius l. 13. v. 117 et 321. Sallust. in fragm. p. 183. Ed. Elzev. a. 1634. Sunt enim, qui alium Capyn Capuae conditorem fuisse tradant. Vid. e. gr. Liv. l. 4. cap. 37. Aliud etiam habet Dionys. Halicarn. p. 59. qui Ῥῶμον (alii legunt Ρωμύλον) tradit Καπύην appellâsse ἀπὸ τοῦ προπάππου Κάπυος. Hic enim Aeneae avus significatur, cum Romulus et Remus illi dicantur fratres Ascanii. Quemnam Capyn intelligat Suetonius in Caesare incertum est. „ Capuam a Capye dictam quis ferat?" ait Heynius l. c. Et tamen caeterae derivationes absurdiores etiam esse videntur; ut vel a *campi* fertilitate nomen ducatur; vel quod *caput* erat duodecim Campanicarum urbium, quae plurium sententia fuit et in quo ἐτυμῳ multi festivi esse voluerunt. Quorum locis commemorandis jactare me nolui, quoniam inveniri possunt et apud Interpretes ad Vellej. Paterc. l. 1. cap. 7. et apud Cellarium Notit. O. A. Part. 1. lib. 2. cap. 9. p. 542. Nimia autem obscuritate Italicarum urbium origines laborant, quam ut nostro tempore aliquid de iis statui possit (83).

N°. 4. Quoniam in hocce tertio libro Cumarum procul dubio saepius mentio facta fuit, huc pertinere existimo ejusdem Servii verba ad Virgil. Aeneid. l. 6. v. 9,

„ At pius Aeneas arces quibus altus Apollo"
„ Praesidet."

„ Coelius de Cumano Apolline ait. „ „ Est in fano signum Apollinis ligneum al- „ „ tum non minus pedes XV." " cujus meminisse putatur Virgilius." Sed quod Virgilius dixit *altus Apollo*, id non ad signum illud ligneum spectare verisimile est; sed potius ad templi situm, quod in monte aedificatum erat: quae est Heynii opinio ad Virg. Aen. l. 6. in exc. 3. Cumae a Chalcidensibus (ut fama ferebat) condita antiquissima erat Siciliensium Italicarumque urbium, teste Strabone p. 243. B. (84) et templum illud Apollinis magno in honore praesertim Romae fuit. Quantae fuerit mag-

(82) De eo vid. Voss. in Hist. Graecis l. 2. c. 4. Locus, quem specto, refertur a Dion. Halic. p. 39. ed. Sylburg. Τάς τε καλουμένας Καπύας Αἰνείου τε καὶ Τρώων ἀπόκτισιν εἶναι, Καπύας ὀνομασθείσας ἀπὸ τοῦ Τρωϊκοῦ Κάπυος· λέγεται δὲ ταῦτα ἄλλοις τε καὶ Ἀρίσθῳ γράψαντι τὰ Ἀρκαδικά.

(83) Conf. de iis Heynius ad Virgil. Aen. l. 7. inprimis in Exc. 4.

(84) Strabonem cito ex editione Casauboni Paris. 1620.

magnitudinis ex signi altitudine a Coelio tradita apparet. Caeterum de urbe temploque cf. Cellarius N. O. A. Part. 1. l. 2. c. 9. pag. 529. seq. et inprimis Excurs. 2 et 3. Heynii ad Virg. Aeneid. l. 6. qui de locorum situ et hodierna facie more suo, i. e. maxima cum diligentia, tum vero elegantia egit.

N°. 5. Simili ratione ductus hic Coelii sententiam pono a Plinio memoratam Hist. Nat. l. 31. c. 18.

„ Coelius *apud nos* (opponitur *Ctesiae*) in Averno ait etiam folia subsidere."

Nam in lacus Averni vicinitate temporibus illis, quae hic liber complectitur, aliquandiu Hannibal moratus est (85). Eadem quae tradit Coelius reperiuntur etiam monente Harduino ad h. l. in Sotionis (86) Excerptis pag. 141. qui locus, cum Coelii sententiam illustret, dignus est, qui hic apponatur. *'Αουερνός ἐστὶ λίμνη ἐν 'Ιταλίᾳ περὶ Κούμας, εἰς ἣν τὰ ἐκ τῆς περικειμένης ὕλης ἐμπίπτοντα φύλλα ἢ κάρφη, ἀφανῆ γίνεται, βυθιζόμενα παραχρῆμα.* Aliud hujus rei exemplum Plinius l. c. adfert. Plura de Averno mirabilia narrabantur: in primis aquae exhalatione supervolantes aves corripi et emori, unde etiam nomen loco inditum putabant. Vid. Plin. l. cit. l. 3. c. 9. et l. 4. c. 1. Item Virgil. Aeneid. l. 6. v. 239. Hoc tamen ridet Strabo l. 5. p. 244. De Averno cf. etiam Cellarius et Heynius ad N. 4. a me citati.

N°. 6. Non praetermittendus est Livii locus l. 23. cap. 6.; quem ut etiam ad hunc tertium librum referam temporum ratio suadet. Quum de Campanorum defectione locutus esset, ita pergit.

„ Quo (i. e. ad Hannibalem), priusquam iretur, certumque defectionis consilium
„ esset, Romam legatos missos a Campanis, in quibusdam annalibus invenio, postu-
„ lantes, ut alter Consul Campanus fieret, si rem Romanam adjuvari vellent. In-
„ dignatione orta submoveri a curia jussos esse: missumque lictorem, qui ex urbe edu-
„ ceret eos, atque eo die manere extra fines Romanos juberet. Quia nimis compar La-
„ tinorum quondam postulatio erat, Coeliusque et alii id haud sine causa praeter-
„ miserant scriptores, ponere pro certo sum veritus."

Latinorum postulatio summa indignatione excepta narratur a Livio l. 8. c. 5. Cujus cum hac Campanorum postulatione convenientia sane jam commenti suspicionem adfert. Praeterea non est probabile Campanos, qui Hannibalis auxilio confidebant se

Ita-

(85) Vid. Liv. l. 24. c. 12. et seq.

(86) De Sotione ejusque opere de lacubus, fluviis fontibusque mirabilibus vid. Vossius de Hist. Graec. l. 2. c. 7.

Italiae principatum mox esse adepturos, satis habituros fuisse, si dimidia imperii pars ipsis concederetur. Rem tamen copiose narrat Sil. Ital. l. 11. v. 59. seqq. et l. 13. v. 268. fortasse quoniam ei apta videbatur, quae magnificis verbis omnibusque styli poëtici ornamentis exponeretur. Quidquid autem hujus rei sit, laudandus est Coelius, qui factum praetermiserit potius, quam non firmis argumentis comprobatum tradiderit; et locus hic indicio est, quantam Livius Coelio tribuerit fidem, ut postea suo loco ostendam.

§. 6.

Ad quartum Coelii librum venimus, ex quo unum modo fragmentum idque parvi omnino momenti citatur apud Priscianum l. 9. pag. 869. edit. Putsch.

N°. 1. „Custodibus discessis multi interficiuntur."

Editiones Meermann. habent *interficerent.* Probant haec verba a verbo Neutro *discedere* Participium praeteritum *discessus* prolatum esse; quod respondet Graeco ἀναχωρήσαντι; idem in multis verbis neutralibus ab antiquissimis scriptoribus factum esse, testatur Priscianus l. c. et allatis exemplis confirmat. Quorsum autem verba Coelii pertineant, malim fateri mihi cognitum non esse, quam inepte conjiciendo operam, ut ajunt, et oleum perdere.

Quod si de hujus quoque libri argumento quaeratur, hic etiam nullum ejus constituendi habeo fundamentum; nisi quod (ut supra monui) unicuique libro finem imponi oportet magni cujusdam eventus commemoratione. Puto igitur quartum Coelii librum biennii historiam complexum fuisse ab a. 542 usque ad a. 544; et in eo scriptorem de audacissima Hannibalis expeditione egisse, qua ad tertium a Roma lapidem accessit, tum de Capua obsessa atque expugnata, item de Siculis rebus; denique de magna Hispaniae parte a Scipione in Romanorum potestatem redacta et inprimis de Carthagine Nova ab ipso Poenis erepta.

N°. 2. Huic argumenti determinationi consequens est, ut hoc libro scripta fuerit Coelii opinio, quam refert Livius l. 26. cap. 11. Quo loco quum narravisset Hannibalem a Roma redeuntem aedem Feroniae divitiis spoliâsse haec addit.

„Coelius Romam euntem ab Ereto divertisse eo Hannibalem tradit: iterque ejus „ab Reate Cutiliisque et ab Amiterno orditur. Ex Campania in Samnium, inde in Pe„lignos pervenisse; praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse: inde Al„bensi agro in Marsos, hinc Amiternum, Foruloque vicum venisse."

Ita enim locus maxime corruptus doctissimorum virorum opera probabiliter emendatus est; de cujus emendationis rationibus cff. Intpp. in ed. Drakenborchiana ad h. l. De regionibus urbibusque, quae hic memorantur cf. inprimis Cellarius Part. 1. l. 2. cap. 9. Sulmo distinguenda est ab ejusdem nominis oppido, quod in Volscorum regione situm erat et de quo vid. idem Cellarius pag. 520. Forulorum incolae etiam in antiqua inscriptione a Holstenio servata *vicani* dicebantur. cf. de iis Heynius in Exc. 8. ad l. 7. Aeneid. v. 774., qui in eodem Excursu etiam de Ereto et Reate quaedam habet. De Marrucinis eorumque metropoli Reate cf. in primis Camarra cit. a doct. Thorbecke in Comment. de C. Asinio Pollione pag. 2. not. 1.

Feroniae templum inclytum erat divitiis magnoque Romae in honore habebatur. Cff. de eo Liv. l. 27. cap. 4. Sil. Ital. l. 13. v. 83. et in primis Strabo, qui de aedificio ipso Deaeque cultu ita loquitur l. 5. p. 226. C. Ὑπὸ δὲ τῷ Σωράκτῳ ὄρει Φερώνια πόλις ἐστὶν ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινι δαίμονι τιμωμένῃ σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιΐαν ἔχον· γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασιν ἀνθρακιὰν καὶ σποδιὰν μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς· καὶ συνέρχεται πλῆθος ἀνθρώπων ἅμα τῆς τε πανηγύρεως χάριν, ἣ συντελεῖται κατ᾽ ἔτος, καὶ τῆς λεχθείσης θέας.

Coelio (ut ad rem ipsam explicandam veniam) hoc cum caeteris scriptoribus conveniebat; Hannibalem Feroniae templum diripuisse. Ait enim Livius l. c. „ hujus „ populatio templi haud dubia inter scriptores est." Neque minus constabat ea via Carthaginiensium exercitum iter fecisse. „ Non ibi error est, Livius l. c. inquit," „ quod tanti exercitus vestigia intra tam brevis aevi memoriam potuerint confundi: isse „ enim ea constat. Tantum id interest veneritne eo itinere ad urbem, an ab urbe „ in Campaniam redierit." Hoc Livius caeterique tuebantur; illud vero Coelius tradiderat. Hac quidem in re verisimilior mihi Livii videtur sententia. Aptae enim erant templi illius divitiae, quae quum spe Romae potiundae Hannibal excidisset, dolorem militum aliquantum levarent: contra non puto Hannibalem Romae obsidionem agitantem mercenariorum avaritiam, quam potius debebat excitare et augere, minuere voluisse; ne dicam aurum et argentum in bellis impedimento esse solere. Quonam autem itinere Coelius Carthaginienses Roma rediisse tradiderit proditum non est: sed hoc certum videtur eos in Campaniam reversos esse: quod ex l. 26. c. 11. in f. apparet. Quum enim ibi Livius duorum alterum a scriptoribus traditum esse dicat; vel ad urbem Poenum eo itinere venisse, vel ab urbe in Campaniam eadem illa via redisse; illud autem neget (vid. l. 26. cap. 7 et 3, ubi alia plane itineris ratio traditur) sequitur ut sententiam eorum amplectatur, qui dicebant ea via Hanni-

nibalem Roma in *Campaniam* rediisse: neque (quae est Clar. Dukeri ad h. l. opinio) id initio sequentis capitis evertitur. Nam licet ibi Carthaginienses ex Lucanis in Bruttium agrum pervenisse dicantur, non video aliquid impedire, quominus per Campaniam in Lucanos venerint. Praeterea si ea res Livio cum eo, quem fere semper sequitur Polybio (qui de hac re conf. l. 9. cap. 7.) non convenisset, dissensum ab eo suum verisimiliter significâsset. Nam quod pugnae ad Capuam Livius non fecerit mentionem; ejus rei causa vel ex eo repetenda est, quod parvi fuerit momenti, ita ut oppidani ne senserint quidem eam (87); vel quod, ea omissa, increpandi Hannibalis occasio daretur (88).

§. 7.

(87) Et ita non obstat ratiocinationi meae, quod Livius lib. 26. cap. 18. admirationem Capuae ortam dicat Hannibalem non simul cum Flacco regressum.

(88) Vid. Liv. l. 26. cap. 12. „ Caeterum non quantum pertinaciae ad premendam obsidione „ Capuam Romanis fuit, tantum ad defendendam Hannibali." Quae reprehensio quam sit injusta, sentiet is, qui Polyb. l. 9. c. 9. legerit, ubi eam ipsam ob rem laudatur quod omnibus modis Capuam obsidione liberare conatus sit. — Sed profecto plerique Romanorum historici odio in Hannibalem nimis indulserunt, de laudibus ejus semper detrahentes omnesque accusandi ejus opportunitates cupide arripientes. Quod si interdum virtutes ejus commemorent; ea laudant, quae nisi dementes videri velint, ipsi abjudicare non possunt. Magnum quidem belli ducem vocant eum, qui per sedecim annos impune Italiam vastârat; sed simul Scipionem suum ita extollunt, quasi artis militaris peritia Poeno fuerit superior; quod contra fuisse equidem mihi persuasum habeo. Quis enim praeter Hannibalem tot tantisque difficultatibus non oppressus fuisset; quibus et ob copiarum naturam et ob civium suorum invidiam et ob Romanorum constantiam ac fortitudinem undique premebatur? Sed ad haec Livius aliique non attenderunt; licet ex Polyb. l. 9. c. 9. l. 10. c. 30. et l. 11. c. 17. aliisque locis ea videre potuissent. Contra acerrimi vitiorum animadversores fuerunt; cujus rei unum modo exemplum ex Livio adferam l. 21. c. 4. „ Has tantas virtutes (eas „ scilicet de quibus nemo dubitat) ingentia vitia aequabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quam „ Punica, nihil veri, nihil sancti, nullum jusjurandum, nulla religio." Licet enim negari non possit, plurima a Carthaginiensibus in Italia crudeliter perfideque commissa fuisse; ea tamen (quamquam in nonnullis excusari Hannibal nequit: vid. Liv. l. 24. cap. 45. et Appian. in Hannib. p. 155), non omnia ipsi tribuenda sunt, qui contra saepius clementiae generosaeque indolis documenta dedit, quorum minimum non est, quod Romanorum duces honorifice sepeliendos curaverit, ut ipse Val. Maximus l. 5. c. 1. ext. n. 6. aliique fatentur. Equidem adsentior Polybio qui in Excerpt. de Virt. et Vit. l. 9. p. 1383. seqq. ed. J. Gronovii, admodum difficilem dicit de Hannibalis ingenio disquisitionem; et ob eorum pravitatem, quibus interdum obtemperare cogebatur, et ob temporum rerumque varietatem, et ob plurimorum hominum, quas vitare non poterat, gravissimas offensiones,

§. 7.

Ex quinto Coelii libro tria fragmenta citantur ejusmodi, ut historiae lux nequeat illis adferri. Primum est apud Priscian. l. 8. pag. 827.

N°. 1. „ Morbosum factum ut ea, quae oportuerint, facta non sint" (89). Exemplo verba sunt ejus, quod Priscianus l. c. monuerat, *verba Impersonalia vel ab Activis vel a Neutris derivari.* Animadvertatur etiam tropicus τοῦ *morbosum* usus et constructio per conjunctionem *ut*, pro qua optimae scriptores Latinitatis Accusativum cum Infinitivo usurpâssent.

N°. 2. Idem Priscianus alterum quoque quinti libri fragmentum refert:

„ Nullius alius rei, nisi amicitiae eorum causa,"

Qui locus quater citatur: l. 6. pag. 694. ubi editio Veneta perperam habet *nullus*: l. 6. pag. 717. l. 7: pag. 740. ubi in MS. legitur *nulli* annotante Casaubono ad edit. Florent. a. 1554. denique l. 13. pag. 960. Prima vice adfertur ad probandas exceptiones regulae: *tot syllabarum est Masculini Genitivus quot est Nominativus Feminini:* secunda Priscianus ut singulare quid observat Coelium pro *alius* scripsisse *aliae*, cum tamen illa terminatio in *ius* trium generum sit communis. Quod ostendit jam tum varie in Coelianis Codicibus lectum fuisse et nunc hanc, nunc illam a Grammatico lectionem fuisse adhibitam prout proposito suo aptissima esset; nisi dicere quis malit bis in eodem Coelii libro eandem sententiam immutato verbo illo scriptam fuisse. Porro pag. 740. iisdem verbis allatis, Priscianus confirmat vetustissimos auctores similem Genitivum Nominativo posuisse; sed ita ut accentus differret et penultima circumflecteretur. Denique pag. 960, Priscianus monuerat τοῦ *alius* Genitivum etiam secundum regulam Nominum secundae Declinationis in *i* terminari. Quamobrem hic opportuna esset lectio (quam tamen, tot repugnantibus locis, admittere non ausim) *alii* pro *alius;* sed quum ibidem alia item loca citentur, in quibus *alius* legitur, potius dicendum est utriusque terminationis exempla Priscianum adferre voluisse, quam ad nimis audacem conjecturam confugiendum.

N°. 3. Denique Nonius, cap. 3. n. 90. pag. Goth. 600. Coelii fragmentum refert, quod ostendit τὸ *finis* Feminino quoque genere usurpari.

„ In (alii legunt *ad*, nonnulli etiam *at*) aliquam huic bello finem facere."

Cu-

(89) Haec enim lectio praeferenda videtur ei, quam habet editio Veneta a. 1476 *facta non sunt.*

Cujus usus plurima apud optimae etiam notae scriptores exempla reperiuntur et in Lexicis indicantur. Quorsum autem haec verba possint historica interpretatione referri, equidem non video.

Neque etiam ad libri argumentum definiendum aut hoc fragmentum aut duo priora juvant: sed ingens illa Hasdrubalis clades (Liv. l. 27. i. f.), quae spe Italiae potiundae destituit Hannibalem, aptus, opinor, ejus terminus fuerit; ita ut rerum Romanarum historiam ab a. u. c. 544. usque ad a. 547. comprehenderit; Tarenti igitur proditionem, Marcelli interitum, et Scipionis in Hispania victorias.

N°. 4. Quoniam Marcelli interitum hoc libro traditum fuisse existimo, duo quoque fragmenta hic sunt memoranda; quorum unum Servio debemus, qui in commentario ad Aeneid. l. 3. v. 401 et 402.

Hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petilia muro.

sic ait: „Alii *subnixam* ideo accipiunt quia imposita est excelso muro, ut Coelius „historicus ait."

Haec enim urbs Petilia sive Petelia (90) cum aliis rebus in bello Punico secundo memorabilis exstitit (91), tum inprimis quod Consul Marcellus in ejus vicinitate occisus est collegaque illius Crispinus letifero ictu vulneratus a. u. c. 546, uti narrant Livius l. 27. cap. 26. Plutarchus in Marcello cap. 29. aliique. Sita erat Petelia inter laevam Neaethi ripam et Crimisum promontorium (92). De aliis *τοῦ subnixi* significationibus vid. Non. c. 4. n. 452. ubi Coelii fragmentum refertur, de quo egi pag. 34. seq. cf. item Heynius ad. h. l.

N°. 5. Altera Coelii sententia legitur apud Livium l. 27. c. 27. „Multos," ait, „circa unam rem ambitus fecerim, si quae de morte Marcelli variant auctores om-

(90) Ita enim in Virgil. l. cit. habet Cod. Mediceus et sic etiam in nummis et Graecis scriptis occurrit, monente Heynio ibidem.

(91) Obsessa est a Carthaginiensibus et post acerrimam defensionem capta. vid. Livius l. 23. c. 20 et 30. Sil. Ital. l. 12. v. 431. Appianus in Hannib. p. 137. ed. H. Stephani Paris. 1557. Cum postea Hannibal suspicaretur Bruttios, quibus urbem tradiderat, legatos Romam misisse, iis arma ademit et nobiliores Numidis adservandos dedit: vid. Appian. ib. pag. 154.

(92) Praeter Cellar. Part. 1. lib. 2. c. 9. p. 591. sq. cf. etiam Mazochii Prodromus in tabulas Heraclaeënses Diatr. 1. c. 5. pag. 32.

„ omnia exsequi velim. Ut omittam alios, L. Coelius triplicem rei gestae ordinem (93) „ edit: unam traditam fama; alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfue„ rit (94); tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta adfert." Ita tamen famam variare Livius addit, ut plerique loci speculandi causa castris egressum, omnes insidiis circumventum tradant. Post Livium idem scripserunt Plut. in Marcello c. 29. et Zonaras in Annal. l. 9. c. 9.

Quum in hoc Livii loco alii libri haberent *C. Laelium*, alii *Laelium Coelium*; nostram lectionem inde confecit Sigonius, dubitans tamen an forte C. Laelius citaretur, quem ait historias scripsisse videri ex Polyb. l. 10. c. 3.; cui dubitationi Drakenborchius accedit, hoc praecipue argumento ductus, quoniam Coelii praenomen a Livio solet omitti. Quod tamen levissimum, credo, est argumentum. Fieri enim potest, ut Livius solito accuratior fuerit, vel ut librario aut glossatori Praenomen debeatur (95). Praeterea C. Laelius, quo erat literarum amore, verisimiliter vitae suae (ut tunc faciebant multi et postea permulti fecerunt) commentarios scripsit: sed omnium, quae ad bellum Punicum secundum pertinerent historiam eum confecisse non existimo; siquidem a nullo scriptore memoretur, neque ex Polybii loco appareat eum quidquam *scripsisse*, sed tantum cum ipso *collocutum fuisse* (96). Quanti autem sit momenti haec Coelii sententia ad fidem ejus historicam probandam, quippe qui neque famae, neque scripto filii temere crediderit, supra monui pag. 16. Marcelli filius, de quo hic agitur, tanto patre dignum se praestitit et ter Consul creatus est: periit autem naufragio (97). Caeterum Marcelli mortem scriptores judicant eo miserabiliorem esse, quo ante actae vitae dissimilior fuit, quippe quae ipsius Marcelli imprudentiae et temeritati tribuenda videatur (98).

§. 8.

(93) Multi vel *narrationem*, vel *seriem* legi jubent ut substantivum genere conveniat cum sequentibus *unam* — *alteram* — *tertiam*: sed J. Gronovius observat *ordinem* recte retineri, ut dicamus aliud scriptori substantivum Feminini generis obversatum esse: vid. Intpp. in ed. Drakenborch.

(94) Veterem lectionem *interfuit* minime repudiandam existimo; cum Livius hoc ipso capite adfirmet Consulis Marcelli filium etiam vulneratum fuisse; et, si quis *interfuerit* malit, fatendum sit Livium hoc Subjunctivo indicare dubitationem an revera patrem fuerit comitatus.

(95) Eodem modo Priscianus qui aliis locis simpliciter *Coelium* scribit, *Lucium* addit pag. 791. Putsch.

(96) Vid. Pol. l. cit. διὰ τὸ δοκεῖν εἰκότα λέγειν — ἔφη γὰρ etc.

(97) Vid. loca quae citat Ern. in Cl. Cic. histor. in voce.

(98) Conf. Liv. l. 27. cap. 27. et inprimis Plut. in Compar. Pelop. cum Marc. cap. 8.

§. 8.

E sexto Coelii libro unus Nonius pauca citavit et primum quidem cap. 2. n. 681. pag. 573. Gothofr.

N°. 1. „ Consulto non paucies (99) arcessitum."

Quo exemplo Nonius ostendit veterum auctoritate *paucies* pro *raro* usurpari; quem vocis usum etiam Festus in voce memorat et ad probandum eum verba Titini adfert etiam a Nonio l. l. citata. Caeterum ex quatuor hisce Coelii verbis conjicere non possum, ad quodnam belli Hannibalici factum pertineant.

N°. 2. Magis id de alio fragmento suspicari licet, quod apud Nonium invenitur c. 2. n. 528. p. 561.

„ Omnes simul terram cum classi accedunt; navibus atque scaphis egrediuntur, „ castra metati signa statuunt."

Quibus verbis significatio verbi *metari* pro *parare* ostenditur. *Castra metari* est militaris locutio a Caesare, Livio, aliisque saepius usurpata, et cujus originem indicat Festus in voce: „ *Metari castra* dicuntur, quod *metis* diriguntur:" ex quo Festi loco apparere videretur hanc locutionem ei, quod Nonius volebat, probando non valde accommodatam esse, et verba *castra metantur* non explicanda esse *castra parant*, sed *castra metis dirigunt*. Sed vere (ut Nonius addit) hinc *metatores castrorum* dicuntur Vid. v. c. Cic. Philipp. 2. cap. 5. — Monendum autem est in nonnullis libris non scriptum esse *libro sexto*, verum *libro tertio*: minus recte opinor; nam licet concedam in tertio Coelii libro navium ad terram appulsum memorari debuisse, tamen propter ea quae a Livio l. 29. cap. 27. traduntur, potiorem alteram lectionem existimo Coeliique verba ad eum historiae locum referenda opinor, quo Scipionis in Africam adventum exposuit. Livius enim l. c. Coelium scripsisse dicit, Romanos tunc prope obrutis navibus injussu Imperatoris, haud secus ac naufragos cum ingenti tumultu in terram evasisse; cujusmodi tumultus in loco de quo nunc agimus, indicia quaedam reperire mihi videor. Omnes enim *simul* i. e. absque ordine, ut unumquemque ad littus pellebat ventorum vis, ad terram accessisse dicuntur; quod etiamsi non

(99) Alii libri habent *pauciens*; parum interest: Ita scribitur quoque *totiens* apud Sen. Natur. Qu. l. 6. c. 1. init. et passim, item *quotiens* v. c. apud Catonem cit. a Gellio Noct. Att. l. 2. c. 28. extr.

non urgeam, ipsa illa Conjunctionum omissio ad festinationem trepidationemque significandam aptissima est; ne dicam id quoque sententiam meam confirmare, quod etiam apud Livium l. 29. cap. 28. Romani dicuntur statim in proximis tumulis castra metati esse.

N°. 3. Tertium et ultimum, quod Nonius ex hoc libro citat, legitur cap. 1. n. 119. pag. 499.

„ Ipse cum caetera copia pedetentim sequitur (100)."

Adferuntur haec verba, ut ostendatur *pedetentim* et etiam *pedepressim* pro *caute* dictum esse, quasi lenta et tarda itione. Cujus significationis et ipse Nonius quaedam adfert exempla et plura etiam addi possent. Observetur quoque Singularem hic numerum loco Pluralis esse positum: *copia* enim est pro copiis, exercitu, uti a Cicer. pro Murena c. 37. in. et ab aliis adhibetur. — Potest hoc fragmentum ad aliquam hujus illiusve ducis expeditionem referri; sed omnino cavendum, ne frustra conjiciendo tempus inutiliter teramus.

Verisimile duco Coelium hoc penultimo libro egregia Scipionis in Hispania facinora exposuisse; Consulatum ipsi delatum; moram ejusdem in Sicilia, transitumque in Africam; quo audacissimo facinore recte concludi potuisse opinor, ita ut trium annorum historiam complecteretur ab a. 547. u. c. usque ad a. 550.

Huic opinioni consentaneum est, ut trium locorum explicationem hic collocem, in quibus Coelii sententias Livius exponit. Primus est in l. 28. cap. 46.

N°. 4. „ Eisdem diebus" quibus Scipio in Siciliam et Mago in Italiam trajecerat „ naves onerarias Poenorum ad octoginta, circa Sardiniam, ab Cn. Octavio, qui „ provinciae praeerat, captas, Coelius, frumento misso ad Hannibalem commeatuque „ onustas; Valerius, praedam Etruscam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem „ perportantes, tradit."

Quum antea legeretur *onerariae* — *captae.* *Eas Coelius* etc. emendationem J. F. Gronovii recipere non dubitavi. Praeterea nulla omnium codicum ratione habita, pro *C. Octavio* recte scriptum censeo, *Cn. Octavio*: ubique enim *Cnaeus* vocatur (101). Va-

(100) Apud Gothofredum numerus libri Coeliani non additur; suspicor in aliis libris fuisse et forsitan etiam in Editione Mercierii a. 1614. receptum esse, quam inspicere mihi cupienti non contigit: auctoritate igitur nitor Aus. Popmae, qui non solet ad aliquem librum fragmenta referre nisi diserto scriptoris testimonio fretus.

(101) Vid. Liv. l. 28. c. 38. l. 29. c. 13, 36. quibus ex locis apparet illum in Sardinia et classe administranda strenuum sese fortemque praestitisse.

Valeriine Antiatis an Coelii sententia vera sit, dicere non possum: utra sit probabilior, possum. Multo verisimilius est Hannibali, cujus conditio indies periculosior fiebat et intolerabilior inopia, Carthaginienses tandem commeatum misisse; quam Magonem tam brevi tempore ex Etruria (cum praesertim ante paucos annos gravissimo bello vastata fuisset) praedam reportâsse, qua octoginta naves replerentur.

N°. 5. Alter Livii locus est l. 29. cap. 25. ubi cum varias scriptorum sententias recensuisset de numero militum, quos in Africam transportavit Scipio, ita pergit:

„ Coelius ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Vo„ lucres ad terram delapsas clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendis„ se naves, ut nemo mortalium aut in Italia, aut in Sicilia relinqui videretur."

Sane, etiamsi scriptori maximum ponenti numerum adsentiar, videtur tamen Coelius magnificentioribus quam par erat, verbis usus. Quanta τοῦ *nemo mortalium* vis sit, eleganter exponitur apud Gellium Noct. Att. l. 13, c. 28. Quod ad delapsas militum clamore volucres attinet, ex hoc ipso loco satis appareret Livium illi rei nullam tribuisse fidem, etiamsi non similem narratiunculam omisisset l. 33. cap. 32. postea a Plutarcho (mirabilium, si quis unquam, captatore) proditam in vita Flamin. c. 10. ubi duplicem ejus rei causam esse posse scribit; vel quod aer tanto clamore rumpatur, frangatur, et quasi dividatur; vel quod veluti voraginis in aëre ortae vehementia aves in terram ferantur. Quid autem de hac ratiocinatione sit judicandum, videant harum rerum periti.

N°. 6. Tertius locus, cujus modo jam aliquam feci mentionem, legitur in Liv. l. 29. c. 27. quo Coelii dissensus traditur a multis Graecis Latinisque scriptoribus, quos et ipse sequitur Livius. Hi enim prosperam navigationem sine tumultu ac terrore fuisse tradiderant. „ Coelius unus, praeterquam quod non mersas fluctibus „ naves, caeteros omnes coelestes maritimosque terrores, postremo abreptam tem„ pestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum „ exponit: et prope obrutis navibus, injussu Imperatoris scaphis haud secus quam „ naufragos milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse." — Et hic rursus haud immerito mihi contendere videor Coelii opinionem probabiliorem esse. Utrum enim verisimilius esse putemus; ut Scipio periculosa navigatione usus, prospere navigâsse dictus fuerit; ne plebs propter tam triste portentum animis desponderet: an vero ut classem, quum iter felicissime confecisset, tempestate prope obrutam fuisse nonnulli narrârint? Nisi Scipionis adventus cum Cn. Octavii appulsu confusus fuerit, de cujus viri calamitate vid. Livius l. 30. c. 24. quo ex loco apparet etiam, quam peri-

 cu-

culosus Romanis fuerit iste ad Aegimurum accessus, quippe quae insula sinum ab alto claudat, in quo sita est Carthago triginta ferme millia ab urbe. Quidquid autem hujus rei sit, rursus ex hac Coeliana sententia patet, quod Part. I. c. 2, s. 2. monui, non eum fuisse Coelium qui in aliorum verba facile juraret; aut quod alii jam scripto mandaverant, tantum novis verbis et stylo paulo elegantiori repeteret.

§. 9.

Pervenimus ad septimum, et (ut mihi videtur) ultimum librum, quo igitur reliquam belli Hannibalici partem ab a. u. c. 550. ad a. u. c. 553. comprehensam fuisse puto; ita ut in eo pugnae a Scipione cum Syphace et Hasdrubale commissae exponerentur, et praeterea clades, quam ipsi Hannibali ex Italia revocato Scipio prope urbem Zamam attulit; cujus cladis magnitudine factum est, ut Carthaginienses durissimas pacis conditiones accipere cogerentur.

Ex hoc quoque libro Nonius tria fragmenta servavit, quorum primum reperitur cap. 2. n. 156. p. 533.

N°. 1. „ Ipse regis eminus equo ferit pectus avorsum, congenuclat, percussus dejecit dominum."

Significatio vocis *congenuclare* ostenditur, quam Nonius dixerat esse *flecti genibus*. Idem fere significat *congenulare*, quod Nonius cap. 1. n. 283. explicat *genu replicato cadere*. Utriusque vocis usus rarissimus est. *Pectus* de animalibus, certe de nobilioris generis animale, equo, posse adhiberi etiam ex Virgilio probari potest Aeneid. l. 11. v. 615. — Coelii verbis casum expositum fuisse suspicor regis Syphacis; quem, quum equo graviter icto effusus esset, oppressum captumque narrat Livius l. 30. cap. 12. Regem quoque Macedoniae Philippum equus pilo trajectus prolapsum per caput effudit, teste Livio l. 27. c. 32; cui iterum id accidit: vid. Liv. l. 31. cap. 37. Sed ad priorem locum nostra referre cum forma Coeliani operis, quo bellum Macedonicum non credo fuisse expositum; tum vero temporum vetat ratio: nam tum profecto ea verba non ex septimo libro citarentur: ad posteriorem locum non pertinere unusquisque, opinor, facile intelliget.

N°. 2. Secundus Nonii locus est cap. 2. n. 307. pag. 344.

„ Respublica amissa, exfundato pulcerrimo oppido."

Exfundare, quod ut Nonius h. l. monet (et verbis Coelii confirmat) optime expli-

ca-

catur *a fundo evertere* (102), verbum est rarissimum, et quod apud aureae aetatis scriptores non facile reperietur. Hic quoque difficile est conjecturam de historico facto, ad quod haec pertineant, proferre. Forte sit de Carthagine sermo, qua deleta tota Carthaginiensium respublica cadere deberet et a legatis ad revocandum Hannibalem missis, aut ab Hannone durissimas etiam pacis conditiones accipiendas censente verba prolata sint; ut hoc argumento sane gravissimo vim atque pondus orationi suae adderent. Profecto ita res sese habebat: uti enim Romanorum vires non in urbis moeniis positae erant, sed in civium fortitudine; ita Carthaginiensium potentia thesauris, quibus copias conducerent, nitebatur; his igitur amissis nullam spem reliquam habuissent.

N°. 3. Tertium hujus libri fragmentum quod Nonio debemus, legitur cap. 10. n. 35. p. 770. quo *soluerit* dictum fuisse pro *solitus sit* Grammaticus ostendit.

„ Duos et septuaginta lictores domum ante deportavisse facis, qui ductoribus hos-
„ tium soluerint ferri."

Haec, si ita recte legatur, nemo, opinor, explicabit aut intelliget. Sed *fasces* pro *facis* auctoritate Codicum recipere non dubito; et praeterea melius censeo in aliis libris *ante* positum esse inter *hostium* et *soluerint* (103). Tunc enim statim manifestum est hic Tmesin dari verbi *antefero*, a quo Dativum regi constat; quales verborum, ut ita dicam, sectiones antiquis familiares fuisse docet Aus. Popma de usu antiq. Locut. l. 1. c. 16. exemplisque confirmat. Sed ne sic quidem probabilis sensus efficietur; contra absurdi quid sequatur necesse est. Quid enim? quum fascium ferendorum mos proprius fuerit Romanorum, ipsi Romani lictores apud Coelium dicerentur fasces illas deportavisse Carthaginem? Nec dicat quis captivos lictores significari; quum enim lictores non nisi fortissimi viri crearentur, quibus erat insitum vincere aut emori, non est verisimile septuaginta et duos lictores a Poenis captos fuisse. Omnia meliorem habebunt exitum, si τὸ *lictores* ab inepto quodam librario aut glossatore, qui fasces sine lictoribus esse nolebat, intrusam esse dicamus. Tum verba haec Hannibali tribui possent glorianti tantum se fascium numerum Carthaginem deportandum curâsse, forte in arae illius inscriptione, quam in Junonis Laciniae templo cum ingenti rerum a se gestarum titulo dedicavit, teste Livio l. 28. cap. 46. Quae gloriatio minime vana fuerit. Cum enim singulos Consules duodeni lictores comitarentur; si meminerimus quot ab Hanniba-

(102) Ita enim rectius legitur quam *avertere*, ut est in ed. Gothofredi.
(103) Vid. Aus. Popma in fragm. historic.

bale Consules aut fugati fuerint, aut interfecti, haud mirabimur numero duodenario sexies multiplicato fascium numerum effici, quibus Hannibal potitus est. — Perfectum *solui* a *soleo* pro usitatiore *solitus sum* etiam Sallustius adhibuit cit. a Prisciano l. 9. p. 872. Putsch. item Cato et Ennius teste Varrone l. 8. c. 61. extr. Goth. p. 155. edit. Bipont. Varro ibidem adfirmat, ita multo rectius dici, quam ut vulgo *solitus sum;* quippe quod omni analogiae plane repugnet.

N°. 4. Aliud fragmentum Festus citat in voce *topper.*

„ Ita uti se quisque vobis studeat aemulari in statu fortunae reipublicae, eadem re „ gesta, topper nihilo minore negotio acto, gratia minor esset."

Vox *topper* hic significat *fortasse*; etiam pro *celeriter*, *temere* adhibetur, uti monet Festus h. l. (104): videtur hoc vocabulum a vetustissimis scriptoribus saepius fuisse usurpatum, postea non item, ut patet ex Quinctil. Inst. Orat. l. 1. cap. 6. §. 11. qui illud in iis verbis recenset, a quibus quoniam ab ultimis et jam oblitteratis repetita essent temporibus, abstinendum dixit. — Hujus fragmenti quis sensus esse possit, nescio: admodum videtur corruptum. *Aemulari se alicui* neque exemplis probari, neque ex analogia defendi potest, et verba illa *in statu fortunae reipublicae* etiam emendationem requirere suspicor, quamobrem haud absurde corrigi posse conjiciebam

„ Ita uti *si* quisque — in *statuenda fortuna reip.* topper etc."

nam *aemulari alicui* apud ipsum Ciceronem invenitur Tusc. Quaest. l. 1. c. 19. vocula *si* autem facile potuit in *se* mutari, praesertim cum ante pronomen *quisque* hoc saepissime ponatur. Denique illa *eadem re gesta* glossatorem sapiunt explicantem *topper nihilo minore negotio acto.* Quae tamen conjectura quum ne audacior esset postea metuerim, potius hunc locum peritioribus curandum relinquo. Haec etiam verba quorsum pertineant certo dici nequit. Neque tamen dissimilia sunt plebejorum querelis dicentium omnia populi Romani beneficia patriciis nobilibusque deferri dormientibus, ut ait Cicero in Verrem, Act. 2. l. 5. c. 70. §. 180. quum sibi bene de patria meritis multo minora, imo saepius nulla praemia proponerentur. Dubium non est, quin ejusmodi voces Tribunorum plebis aliorumque, etiam belli Punici secundi temporibus saepe fuerint exauditae, siquidem jam ante pugnam Cannensem ejus rei exemplum habemus apud Livium l. 22. c. 34. Neque objiciatur ex septimo libro haec

(104) Vid. etiam Intpp. ad h. l. in edit. Daciriana.

haec verba citari, cum omnia Romanis prospere evenirent; nam revera Romae permulti erant, qui de Scipionis in Africam transitu plurima mala ominarentur.

N°. 5. Ultimum hujus libri fragmentum memoratur a Servio ad Virgil. Georg. l. 2. v. 345.

„ Consuetudine uxoris, indulgitate liberûm."

Commentator hoc exemplo ostendit, pro usitatiori voce *indulgentia*, quam Virgilius adhibuerat: „ *exciperet caeli indulgentia terras :*" apud vetustissimos scriptores τὸ *indulgitas* etiam usurpatum fuisse. Idem testatur Nonius c. 2. n. 439, qui Sisennae locum citat, in quo ea vox occurrit. Is autem qui probabiliter dixerit, quorsum haec Coelii verba referenda sint, erit mihi magnus Apollo.

Sed majoris momenti quaedam huic libro possunt adjudicari.

N°. 6. Et primum quidem, quae Coelius tradiderat, a Cicerone exponuntur de Divinat. l. 1. c. 24.

„ Hannibalem Coelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Junonis Laciniae, auferre vellet, dubitaretque utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse: cumque solidam invenisset, statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Junonem praedicere, ne id faceret, minarique, si id (105) fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret (106), amitteret: idque ab homine acuto non esse neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curâsse faciendam, et eam in summa columna collocavisse."

Hic rursus historica interpretatio sufficiet, quoniam tantum sententia Coelii memoratur, non vero verba citantur. Hannibalem, quum per Etruriae paludes difficillimum plurium dierum iter fecisset, altero oculo captum fuisse ita, ut numquam ipso aeque bene fuerit usus, tradunt Polyb. l. 3. c. 79. Corn. Nepos in Hann. c. 4. qui *dextrum* oculum fuisse addit. Livius l. 22. c. 2. Silius Ital. l. 4. v. 764. Zonaras Annal. l. 8. c. 25. De Junonis Laciniae fano si quaeratur; Dea ita cognominabatur a promontorio Lacinio, ubi templum ipsius aedificatum erat ad sinum Tarentinum, sex millia ab urbe Crotone, ut testatur Livius l. 24. c. 3. quo loco, cum accurate describatur fanum illud, operae pretium erit ipsa Livii verba referre. „ Sex millia aberat ab urbe Crotone nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti sil-

„ va

(105) Vocula *id* ejicienda videtur auctoritate MSS.

(106) Hic, quemadmodum etiam in praecedentibus *in fano esset*, requiritur Subjunctivus, ut in oratione obliqua.

„ va et proceris abietis arboribus septus: laeta in medio pascua habuit, ubi omnis „ generis sacrum Deae pascebatur pecus sine ullo pastore: separatimque egressi cu„ jusque generis greges, noctu remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, „ non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, *columna„ que* inde *aurea solida* facta et sacrata est: inclytumque templum divitiis etiam, „ non tantum sanctitate fuit." Hic locus quamvis insignis omissus est a Cellario Part. 1. l. 2. c. 9. pag. 589. qui accurate ibi de hoc templo agit. Apparet ex eo, cur Hannibal *buculam* faciendam curaverit: nimirum quoniam columna quam perterebraverat, ex pecoris fructibus facta fuerat. Pluribus rationibus adducor, ut hunc illi Coelianae narrationi locum adsignem. Nam primum non nisi tunc, cum fortuna Hannibali favere destitisset, in extremum Italiae angulum Poeni recesserunt (107). Porro credibile est eum, quoad in Italia tamque periculosa conditione maneret, a diripiendo templo temperâsse, ne incolarum animos plane a se abalienaret: cum vero in eo esset, ut in Africam rediret, ipsorum offensionem nihil curâsse. Id duplici argumento probabilius adhuc efficitur: quod scilicet haud procul a templo Junonis Laciniae navem conscenderit (108); tum quod paulo antequam proficisceretur, permultos Italici generis foede interfici in ipso delubro jusserit: neque enim tam parum de sanctitate ejus sollicitus fuisset, si Deae admonitionem jam tum sibi visus esset accepisse.

N°. 7. Huc quoque pertinent quae Livius habet l. 29. c. 35. Quum enim capite praecedenti exposuisset, quomodo Hanno filius Hamilcaris interfectus traderetur, hoc addit. „ Duos eodem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis in„ terfectos (109) non omnes auctores sunt: veriti, credo, ne falleret bis relata ea„ dem res. Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt." Quae ita explicanda mihi videntur, ut Coelius et Valerius Antias duorum quidem Hannorum mentionem fecerint; sed quorum unum occisum; alterum, de quo h. l. agitur, captum traderent. Quid de hac re Livius ipse et alii historici senserint, in secundo capite videbimus; quum verisimile sit multos Coelii auctoritatem in ea tradenda tacite secutos esse.

N°.

(107) Diu ibi veluti conclusi manserunt, quod Carthaginiensibus objiciunt Romanorum legati apud Polyb. l. 15. c. 1. §. 10. — A. u. c. 550. propter Junonis Laciniae templum Hannibal aram condidit dedicavitque cum ingenti rerum a se gestarum titulo, ut ait Liv. l. 28. c. 46. quo Polybius usus est: cf. Polyb. l. 3. c. 33. §. 18.

(108) Vid. Livius. l. 30. c. 20.

(109) De altero duce Hannone, qui etiam in equestri proelio periisse dicebatur vid. Liv. l. 29. c. 29.

N°. 8. Quandoquidem igitur, quae de eo loco dicenda habeo, in sequens caput rejeci; nunc de fragmento videamus, quod ad hunc librum ideo referendum censui, quoniam Maurusii, de qua gente in ipso agitur, a Polybio l. 15. c. 11. inter *μισθοφόρους*, qui apud Zamam Carthaginiensibus opitulati sunt, recensentur (110). Invenitur apud Servium ad Virgilium Aeneid. l. 4. v. 206. sq.

> Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
> Gens epulata toris Lenaeum libat honorem.

ubi Commentator annotat. „ *Maurusia:* Maura, nam protensio est. Coelius. „ „ Maurusii qui circa Oceanum colunt." "

Oceano cum mare Atlanticum significetur, eos indicat Coelius, qui in Occidentali Africae parte habitant, ita ut plane cum eo Livius l. 24. c. 49. consentiat, ubi Maurusii dicuntur extremi prope Oceanum adversus Gades colere. Apparet igitur ex Servii annotatione Romanos, cum Maurusiorum nomen proprium esset populi alicujus Africani, illud ad universam Maurorum gentem transtulisse: quamvis postea, inversa plane ratione, Maurusiorum nomen plane omisisse videantur, Maurorum semper adhibuisse: quod probat locus Strabonis pag. 825. C. *Οἰκοῦσι δ'ἐνταῦθα* (in Occidentali Africae parte) *Μαυρούσιοι μὲν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λεγόμενοι* (111) *Λιβυκὸν ἔθνος μέγα καὶ εὔδαιμον, Μαῦροι δ'ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καὶ τῶν ἐπιχωρίων, ἀντίπορθμον τῇ Ἰβηρίᾳ.* A Mauritania ad Orientem eunti Masaesylorum regio occurrit: vid. Strabo p. 829. C: sed observandum est Romanos in gentium Africanarum nominibus, quippe quae parum ipsis cognitae essent, multum variâsse (112). Id quidem satis probabiliter ex supra dictis efficitur, Maurusios potentissimam gentem fuisse: habuit tamen eam aut subjectam sibi aut certe amicam rex Syphax (113), quae amicitia permagni in bello momenti esse debuit, si quidem essent fortissimi et jaculando excellerent (114).

Dedi igitur brevem librorum conspectum in quos Coelii opus divisum fuisse exi- sti-

(110) Ad alium Coelii librum probabiliter referri posse pertinaciter negare non ausim: nam Maurusii aliis quoque locis memorantur; v. gr. Liv. l. 24. c. 39. et fortasse multos eorum mercede conductos Hannibal in Italiam duxit.

(111) Attamen Dio *Μαυριτανίαν* scripsit, notante Casaubono ad. h. l.

(112) Vid. Heynius ad Virg. Aeneid. l. c.

(113) Vid. Liv. loc. cit.

(114) Vid. Liv. l. 23. c. 26. et Sil. Ital. l. 13. v. 145. cf. etiam Heynius ad Aeneid. l. l. qui *pictos toros* locum suum inter Mauros minus recte tueri putat.

stimarem eaque explicui loca quae singulis libris vel diserte tribuerentur, vel non absurde tribui posse censerem: qua in re tamen ita versatus sum, ut in hujus capitis initio faterer multis Coelii fragmentis suum in ejus historia locum a me adsignari non posse, malúique in timiditatis reprehensionem, quam in temeritatis incurrere. Postulat autem, quem hujus scriptiunculae constitui, ordo, ut in incertis, uti vocantur, fragmentis explicandis nunc operam collocem.

SECTIO II.

DE FRAGMENTIS QUIBUS SUUS IN COELII OPERE LOCUS ADSIGNARI NEQUIT.

Restat igitur, ut hoc capite ea Coelii fragmenta adferam, quae neque veterum auctoritate, neque conjecturae probabilitate ad certam operis partem potui referre. Quod fieri aliter non potuisse is sentiet, qui cogitaverit ea partim paucissimis constare verbis, partim etiam ad ejusmodi facta pertinere, quae non belli Hannibalici tempore peracta videntur, sed tantum hujus illiusve rei occasione παρεισοδικῶς ab auctore nostro narrata. Sed ad excusationem meam haec dicta sufficiant. Ordo, quem in hac sectione tenebo, is erit; ut omnes uniuscujusque scriptoris, locos in quibus citatur Coelius, deinceps explicem; initio quidem a Grammaticis facto; ut, quod minus jucundum erit, prius peragatur: nam eorum locis plerumque non nisi Grammatica Interpretatio poterit adhiberi. Ea autem fragmenta in extremo posui, quae Coelio a doctis viris probabiliter abjudicari viderentur.

§. 1.

Quinctilianum, qui primas sibi in recensione partes jure vindicaret, hic omitto; quoniam haud scio an loca, quae ex illo ad L. Coelii Antipatri historiam referuntur, melius omnia Coelio oratori, Ciceronis aequali, tribuantur. Sed, antequam ad ipsos Grammaticos veniam, Grammaticam Ciceronis observationem memorem, quae legitur de Orat. l. 3. c. 38. §. 153.

N°. 1. „Neque illud fugerim dicere ut Coelius, *qua tempestate Poenus in Italiam*

„ *liam venit*, nec *prolem*, aut *sobolem*, aut *effari*, aut *nuncupari:* aut, ut tu soles, „ Catule, etc." Loci contextus, me quidem judice, docet, non tantum *tempestatem* Coelium scripsisse pro usitatiore in soluta oratione *tempore;* verum etiam *prolem* aut *sobolem* pro *liberis; effari* pro *dicere; nuncupari* pro *nominare* (115). Haec igitur similiaque poëtica verba; (nam de pervetustis, quae Pearcii sententia est, agi Ernestus ad h. l. recte negat) Cicero qui hic, ut saepissime in libris de Oratore, latere sub persona Crassi videtur, dicit nonnunquam orationi quandam adferre dignitatem.

§. 2.

N°. 2. Veniamus ad Festum, in cujus fragmentis p. 15. ed. Dacier. locus admodum mutilus reperitur, qui quum sic se haberet.

. . . . lius historiarum . . . .
. . . . tantur ocissime."

hoc modo sane probabiliter est restitutus

„ Coelius historiarum libro . . . .
. . . . „ concitantur ocissime."

Verba autem interjecta quis conjiciat? duas ultimas voces Coelii esse ob spatii, quo ab *historiarum* separantur, angustias suspicari licet.

§. 3.

N°. 3. Etiam in Prisciano duo adhuc Coelii fragmenta inveniuntur, quibus exempla a Grammatico adferuntur verborum, quae et ut Deponentia adhibentur et etiam Passive. Primum est l. 8. pag. 792. Putsch.

„ „ Ex scriptis eorum qui veri esse arbitrantur" " „ passive ὑπολαμβάνονται." — *Arbitrari* passiva significatione apud ipsum Ciceronem occurrit in Orat. pro Mur. c. 16. extr.

N°. 4. Alterum legitur eodem libro p. 793.

„ „ Ubi Senatus intellexit populum depeculari" " ἀποσυλοῦσθαι (116).

(115) *Tempestas* eo sensu adhibitum est a Livio l. 26. c. 11: *soboles* a Cicerone, cujus rei plura in Lexicis exempla reperiuntur: caeteras illas voces haud facile apud optimos prosaïcae orationis scriptores invenias.

(116) Sola haec vera lectio: neque ratio habenda est ejus quam adfert ed. Veneta ἀποδιδῶσθαι, aut ejus quae in altera ed. Meerm. invenitur ἀπολλυσθαι.

§. 4.

Excipiat Priscianum Charisius, in cujus Institut. Gramm. l. 1. pag. 40. Putsch. docetur Ablativum singularem, quando per *e* vel *i* vel *u* terminatur, Genitivum pluralem efficere accipiendo *um:* huic vero regulae contraria quaedam inveniri;

N°. 5. „ *Nucerum* enim" inquit „ Coelius dixit, Lucilius *jugerum*, Gellius vero „ *regerum* et *lapiderum.*"

quum proprie *nucum*, *jugium*, *regum*, *lapidum* scribere debuissent.

N°. 6. Idem Charisius eodem libro p. 101. quum Virgilii citâsset versum, in quo pro *die* seu *diel* legebatur *dii*, addit: „ idque in Coelii historia deprehendis." Quintae declinationis Genitivum quam diverse veteres formârint, patet ex Gellio N. A. l. 9. c. 14. Neque enim, quod ob Grammaticam rationem postea factum esse Gellius monet, scribebant *hujus diei*, sed *hujus dies*, *die* vel *dii:* quas terminationes Gellius exemplis allatis confirmat, ita ut eam, quae per *e* fieret, maxime usitatam fuisse appareat.

N°. 7. Tertium, quod sumtum ex primo Charisii libro explicandum mihi est, reperitur p. 112.

„ *Nobiliore.* Comparativo Plinis *e* putat Ablativo finiri, Coelius tamen ait per *i*:" „ „ Publicatos quippe fastos omnes et libros a Fulvio Nobiliori scripta retulisse." "

Utraque comparativorum terminatione veteres usi sunt. — Fulvius Nobilior fastos i. e. historiam scripsit, eamque, ut probabile est, jam ab antiquissimis reip. Romanae temporibus repetitam: quod cum alia veterum loca indicant, tum in primis Macrobius Saturn. l. 1. c. 12 et 13. citatus quoque a Vossio de Hist. Lat. l. 1. c. 5. extr. cujus emendatio *scriptos* pro *scripta* legendum conjicientis verisimillima est. Hos Fastos in aede Herculis Musarum posuit (117), quam ex pecunia Censoria aedificârat. Fortitudine ad Praeturam (118) et Consulatum (119), morum integritate ad Censuram quoque pervenit; denique literarum fuit studiosissimus, qui etiam Ennium poëtam secum in Aetoliam duxerit, quod ei tunc minus honorificum (120) postea insignem attulit laudem (121).

N°. 8. In secundo Charisii libro unica Coeliana vox refertur. Ait enim pag. 195.

„ *Subinde.* Nepos de illustribus viris l. 2. sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt."

Subinde, licet apud Ciceronem raro aut nunquam deprehendatur, tamen a multis iisque bo-

(117) Vid. Macrobius l. c.
(118) Vid. Livius l. 36. c. 21, 38.
(119) Vid. Liv. l. 37. c. 48.
(120) Vid. Cic. Tusc. Quaest. l. 1. c. 2.
(121) Vid. Cic. pro Archia c. 11.

bonae Latinitatis scriptoribus saepius usurpatur. Intelligendum h. l. existimo M. Junium Brutum interfectorem Caesaris, quamquam minus accurate Coelio, qui longe antiquior ipso fuit, praeponatur. Caeterum non est quod miremur, si Bruto, cum Coelianae historiae epitomen fecerit, quaedam ex scriptore plurimum tractato adhaeserint.

§. 5.

Nº. 9. Ejusdem magnitudinis fragmentum servavit Velius Longus de Orthographia pag. 2243. Putsch.: ubi sequentia leguntur, quae illustrare non possum.

„*Calva* κράνιον vocatur, licet Coelius et Varro *Calvaria* dicant; nam *Calvariae* „plurale est *Calvae*, ossa quae sunt, et singulariter *Calvaria*."

Neque tamen omittatur Celsum et Plinium ut Coelium scripsisse; quorum loca in Lexicis notata hic apponere nil attinet.

§. 6.

Nº. 10. Rarior verbi *delinquere* significatio, qua Coelius usus est, memoratur a Servio ad Virgil. Aen. l. 4. v. 390.

„Linquens multa metu cunctantem, etc."

„Multi pro *derelinquens*, alii pro *deficiens* accipi volunt, more antiquo sicut delin„quere pro deficere. Coelius historiarum: „„Delinquere frumentum, Sardiniam hos„„tes tenere." "

Deinde Servius ex Tuberone et Gellio exempla adfert, quibus ea τοῦ *delinquere* vis probatur. Coelii verba ita accipienda videntur, ut Sardinia ab hostibus capta causa dicatur, cur frumenti inopia esset. Hostes intelligendos existimo Carthaginienses: his enim capta Sardinia annonae caritatem non attulisset: nam ipsi agriculturae operam dabant; porro commercio dediti semper frumenti sibi comparandi opportunitatem habebant; denique jam ante bellum Punicum secundum Sardinia caruerant. Verum Romani, qui neque commercio studebant, et agros suos a Carthaginiensibus vastari videbant; ex ea insula et ex Sicilia ingentem tritici vim asportare solebant (122). Quamobrem Poeni, ut hanc insulam recuperarent, saepius operam dederunt et nonnunquam magnam ipsius partem jam tenuerunt (123).

§. 7.

(122) Vid. v. gr. Liv. l. 30. c. 38.

(123) Vid. ex. gr. Liv. l. 23. c. 40.

§. 7.

Discedamus a Grammaticis eaque nunc loca adgrediamur, in quibus Coelius non ad verborum locutionumve vim et usum declarandum, sed ad probandam rerum factorumque veritatem citatur. In his igitur narrationes ejus, opiniones, judicia aliis plerumque expressa verbis reperientur.

N°. 11. Et a Plinio quidem faciamus initium, qui veluti medium inter duo scriptorum genera, in quibus versamur, tenet, et Hist. N. l. 2. c. 67. pluribus memoratis, qui a Gadibus ad Arabiae finem pervenisse dicebantur;

„ Nepos Cornelius" inquit „ auctor est Eudoxum quemdam sua aetate, cum Lathu-„ rum regem fugeret, Arabico Sinu egressum, Gades usque pervectum: multoque ante „ eum Coelius Antipater vidisse se, qui navigâsset ex Hispania in Aethiopiam com-„ mercii gratia."

Multum a multis disputatum est an veteres Africam circumnavigâssent (124); idoneis argumentis probari posse videtur, jam Herodoti aetate illud factum fuisse (125): quamobrem probabilitati minime repugnat statuere Coelio hac in re fidem esse habendam.

§. 8.

Sequitur ut de duobus somniis videamus, quae ad bellum Hannibalicum non pertinent. Alterum antiquius eo est; alterum diu postea visum est: utriusque tamen narrationem in Coelii opere fuisse locupletis testis auctoritate constat.

N°. 12. Prius a Cicerone de Divinat. l. 1. c. 26. ita refertur. „ Omnes hoc „ historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi votivi „ maximi primum fierent (126), civitas ad arma repente est excitata: itaque, ludis „ intermissis, instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent cumque jam populus „ con-

(124) Jam ipsi antiqui scriptores de hac re dissenserunt: vid. quos citat Clar. Bake de Posidonio p. 101. seq.

(125) Herodoti testimonium l. 4. c. 42. infringere conatus est Mannert *Geographie der Grieken en Romeinen*; sed refutârunt ipsum doctus Anglus Rennel in *Geographia Herodotea* et Cl. de Rhoer in Diss. de *ἀξιοπιστία Herodoti*, qui ostenderunt Herodotum non temere famae credidisse: porro expeditionem illam rege dignam fuisse, qui tum Aegypto imperabat: multa impedimento fuisse, quominus majores haberet sequelas: denique navigationem per littora ob navium formam multo fuisse faciliorem, quam nostris temporibus.

(126) I. e. primo die illorum ludorum.

„ consedisset, servus per circum, cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. „ Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, praesulem (127) „ sibi non placuisse ludis, idque ab eodem jussum esse eum senatui nuntiare: illum „ non esse ausum. Iterum esse idem visum; et monitum, ne vim suam experiri vel- „ let: ne tum quidem esse ausum. Exin filium ejus esse mortuum: eandem in som- „ nis admonitionem fuisse tertiam: tum illum etiam debilem factum, rem ad ami- „ cos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum, cumque senatui „ somnium enarravisset, pedibus suis domum (128) revertisse. Itaque somnio com- „ probato a senatu, ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est."

Ludos, qui h. l. memorantur, instituit Tarquinius Priscus: cum enim ex devictis Latinis majorem praedam, quam belli fama fuerat, revexisset; ludos opulentius instructiusque quam priores reges fecit: ut narrat Livius l. 1. c. 35. quo ex loco appa- ret cur *Latini* dicti sint. Vid. Liv. l. 34. c. 43. Post hoc somnium instauratitius dies semper iis additus est. Historiam tradunt Livius l. 2. c. 36. seq. et Val. Max. l. 1. c. 7. int. n. 4. eadem plane, qua Coelius, ratione, nisi quod de priore ludorum ob bellum subito ortum instauratione nihil apud eos invenerim. Nomen viri, quem Divina illa species tantopere vexavit, fuit F. Atinius.

N°. 13. Alterum somnium continuo post prius Cicero his verbis exponit. „ Ca- „ jus vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Coelium est, sibi in som- „ nis quaesturam petenti Tiberium fratrem visum esse dicere, quam vellet, cuncta- „ retur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc antequam „ tribunus plebi C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Coelius et dixisse „ multis (129)."

Cajum Gracchum primum a foro hominumque coetibus abstinuisse auctor est Plutarchus in ejus vita c. 1.; vel inimicorum metu, vel potius ut iis hac tristitiae moderationisque simulatione invidiam conflaret (130). Quaesturam per triennium in Sardinia

(127) Alii habent *praesultorem*, quod forte quis ex Val. Max. l. 1. c. 7. int. n. 4. sumsit, sed minus recte; quoniam Cicero de Divinat. l. 2. c. 66. de hoc ipso somnio cum loqueretur, „ pervulgatum jam illud" inquit „ de *praesule*. Livius l. 2. c. 36. habet *praesultator*.

(128) Ita recte Ernestus pro *salvum* restituit.

(129) Hic Hottingerus corrigendum censuit *multos*, quae emendatio non est necessaria. Si enim ipse Coelius prius multis rem narravisset, quam Gracchus tribunatum adipisceretur; nulla poterat suspicio oriri, quasi ipse post viri mortem hoc totum finxisset.

(130) Neque enim Plutarcho adsentior, qui hoc somnium cum ex Cicerone retulisset, putat Grac-

nia gessit, cui provinciae praeërat Consul L. Aurelius Orestes; fuit ibi ab a. u. c. 627. ad a. 630.; ita ut somnium ejus ad a. 626. videatur referendum. Memoratur et a Plutarcho l. cit. et a Val. Max. l. 1. c. 7. Int. n. 6. qui addit: „ Coelius etiam certus Romanae historiae auctor sermonem de ea re ad suas aures „ illo adhuc vivo pervenisse scribit." Utinam plura de Gracchis ex Coelio haberemus; quibus appareret, utrum communi nobilium odio ad vituperandos ipsos fuisset adductus, an vero, studio partium deposito, justas ipsis, certe Tiberio laudes tribuisset!

§. 9.

Restat ut unum alterumque tractem locum, qui utrum Coelii sit necne dubitatur. Primum quaedam ex Quinctiliano adferam; apud quem l. 1. c. 5. p. 67. edit. Burm. haec leguntur.

„ Ne in *a* quidem atque *s* litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu „ patiebantur ideoque apud Coelium (131) legimus: *Pelia cincinnatus* et apud Mes„ salam — et apud Ciceronem, etc."

Cur cincinnatus dicatur Pelias, non video; cum de capillitio ejus, qui pater fuit Alcestidis (is opinor significatur) nihil, quod quidem sciam, proditum sit. Spaldingius ait neminem dicturum esse, utrum haec verba tribuenda sint Coelio Rufo Ciceronis aequali an vero Coelio historico. Probabiliter tamen nostro abjudicari posse existimo. Quid enim Antipatro cum Pelia? orator contra ille multum in oratione quaesiti habuisse et facetias venari solitum fuisse, ejus ad Ciceronem epistolae satis indicant. Accedit quod ejus mentio cum Messalae et Ciceronis commemoratione conjungitur; quod ipsum magis Coelio Rufo convenit quam nostro.

Posterior ratio me adduxit, ut etiam ea Coelio Rufo tribuerem, quae habet idem Quinctil. l. 1. c. 6. p. 83. ubi quum verba quaedam ab ultima antiquitate repetita commemorâsset; „ *Parricidatum*," inquit, „ nemo in nobis ferat, quod in Coelio vix tole„ rabile videtur." Neque enim si Coelium Antipatrum significare voluisset, ipsum in„ ter

Gracchum necessitate quadam potius quam sua ipsius voluntate ad rempublicam capessendam accessisse. Et, nisi Plutarchus ubique ad divinitatem confugiendum putaret, vidisset procul dubio ipse non eam fuisse C. Gracchi indolem, ut vindictae, qua flagrabat, cupiditas in nobilium capita nunquam erupisset.

(131) Lectio *C. Aelium* omni probabilitate caret, quae etiam habetur l. 1. c. 6. p. 83.

ter Messalam et Calvum collocâsset; sed statim post Catonem. Verba enim „ quod „ in Coelio vix tolerabile videtur," quae de aevi, quo Coelius Antipater vixit, ignorantia accipi solent, recte etiam intelligi possunt de genere dicendi, quo Coelium Rufum usum esse apparet ex Dialogo de causis corruptae eloquentiae c. 21, quo loco haec de ipso dicuntur. „ Sordes verborum et hians compositio et inconditi sensus re„ dolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte „ laudet, qua antiquus est."

Tertius in Quinctiliano locus est l. 8. c. 3. p. 692. „ Cicero putat a Terentio „ primum dictum esse *obsequium*; Caecilius ad Sisennam, *Albenti coelo* (132)." Cum autem Burmannus videret Caecilium comicum ob temporum rationem hic intelligi non posse; legendum censuit, aut *Caecilius ac Sisenna*, aut *Coelius ac Sisenna*; ita ut noster, cujus nomen in *Caecilium* saepissime mutatum fuisse vidimus, significaretur. Sed post eum acutissime, ut mihi quidem videtur, Spaldingius veterem MSS. lectionem recepit *Caecilius a Sisenna*; ita ut Cicero dicatur putâsse *obsequium* a Terentio primum dictum fuisse; Caecilius autem rhetor Calactinus primum a Sisenna usurpatam locutionem *albenti coelo*: de qua qui plura cupit, adeat Lexica et Interpretes ad hunc Quinctiliani locum.

§. 10.

Etiam in Strabone locus occurrit, qui utrum ad Coelium referri debeat necne, non convenit. Legitur in l. 5. p. 230. D. edit. Casaub. Paris 1620. Καὶ ὁ Καικίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς, τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην, τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ. Quum enim doctus quidam vir pro Καικίλιος scribendum censuisset Κοίλιος, Voss. de Hist. Latin. l. 1. c. 8. eam mutationem improbavit et significari dixit eundem Caecilium Calactinum, cujus praeced. §. feci mentionem; sed Heynius in Excursu 4. ad Virgil. Aeneid. l. 7. dubius haeret utrum sententia illa Coelio Antipatro, an Caecilio, an Cincio, an denique C. Acilio sit vindicanda. Equidem Virgilianum Palaemonem imiter et meminerim non meum esse inter tantos viros componere litem. Quod ad rem ipsam attinet; notissimum est, quam libenter Romani urbis suae originem ad Graecos retulerint, quod Livius, Virgilius aliique multi declarant et de quo cf. etiam Heynius in Excursu cit.

§. 11.

(132) Ita scribendum esse, non *albescenti coelo* probavit Schneiderus in Epist. ad Largerum p. 41. cit. a Spaldingio ad h. l.

K 2

§. 11.

Sequatur Plinius, qui in Hist. Nat. l. 8. c. 5. „ Antipater" inquit, „ auctor est „ duos elephantos Antiocho regi in bellicis usibus, celebres etiam cognominibus fuis- „ se: etenim novere ea (133)." Haec pertinere ad Antipatrum illum, cujus liber *περὶ ζώων* ab Apollonii Scholiasta memoratur, existimat Vossius de Hist. Graecis l. 3. in voce, quod sane admodum verisimile est. Nam ne dicam minime constare Coelium ea quoque enarrâsse quae, belli Hannibalici tempore apud alias gentes acciderunt; Plinius, quando citat nostrum, *Coelium* vocare solet.

Claudat agmen Priscianus, apud quem l. 6. p. 678. haec ex Coelio citantur. „ Nul- „ lae nationi tot, tantas, tam continuas victorias, tam brevi spatio datas arbitror, „ quam vobis:" quae ibi adferuntur, ut appareat verborum *ullus*, *nullus*, similiumque Dativum non semper in *i* terminari: sed nonnunquam generalem regulam sequi. Jam retuleram verba ad tertium Coelii librum, existimans ea ad orationem pertinere, qua ante pugnam Cannensem Hannibal milites adhortatus est: praesertim cum Polybius simillima verba tribuerit ipsi l. 3. c. 111. κατὰ τὸ συνεχὲς τρισὶ μάχαις τηλικαύταις ἐξ ὁμολογουμένου νενικήκατε Ῥωμαίους, et Livius l. 23. c. 18. simili occasione dicat eum victorias militibus in memoriam revocâsse. Cf. etiam Sil. Ital. l. 9. v. 184. sqq. Sed quum in notam Cel. Ruhnkenii incidissem ad Vell. Paterc. l. 2. c. 68. p. 297. opinionem meam mutavi ut sententiam ipsius amplecterer, diceremque ea ex oratione M. Coelii Rufi ad Quirites esse desumta. Neque hoc loco in Ruhnkenii verba jurare dubito; quippe quem nihil nisi cognitum sibi perspectumque scripto mandâsse constet, et qui haec oratori illi non adjudicâsset, nisi firmum judicii sui fundamentum (fortasse in insigni, quam habebat, ineditorum librorum copia) invenisset.

§. 12.

Haec igitur fragmenta sunt, quae Coelio *historico* perperam, ut videtur, a nonnullis adjudicantur. Verbo adhuc monendum est, etiam *Jurisconsulto* ipsi quaedam immerito tributa fuisse: sententias scilicet Coelii cujusdam, quae inveniuntur l. 14. §. 3 et 10. (135) l. 17. §. 1. 6. 8. sqq. l. 65. §. 2. ff. de aedilitio edicto. Nam ne dicam Coelium plus eloquentiae operam dedisse quam juri, neque igitur esse verisimile libros cum

(133) Alii habent *novisseque ea*, scilicet Antipatrum.

(134) Ibi enim *Coelius* legendum est: vid. Pothier ad eum l.

eum tanta auctoritate futuros edidisse; sufficiat monuisse, Coelium, qui in Pandectis citatur, adferre Trebatii opinionem, quo noster Coelius multo fuit antiquior: vid. l. 14. §. 3. modo cit. Simili utitur argumento Jo. Bertrand in Vitis tripart. JCtorum l. 2. c. 50., qui putat M. Coelium Rufum significari; cujus tamen opinionem refutavit G. Grotius ibid. l. 1. c. 11. ostendens haec tribuenda esse summo JCto Coelio Sabino, qui Vespasiani tempore vixit (136) quemque de aedilitio edicto scripsisse apparet ex l. 20. ff. de aedil. edicto.

Quandoquidem loca, quibus L. Coelius Antipater disertis verbis citatur, pro viribus omnia, quotquot mihi innotuerunt, indagavi et interpretatus sum; sequitur nunc difficillima opusculi pars, qua ea veterum loca persecuturus sum, quibus scriptores Coelii auctoritatem tacite secuti videntur.

CAPUT SECUNDUM.

VESTIGIORUM L. COELII ANTIPATRI ILLUSTRATIO.

§. 1.

Multa esse veterum historicorum loca, in quibus Coelii auctoritatem secuti sunt, non est dubitandum; cum bellum Hannibalicum et fuse, et satis eleganter et vero (id quod maximum est) historica cum fide exposuerit. Sed erant antiqui historici minime frequentes in testibus excitandis: neque etiam ista religio postulanda erat in conscribendis rebus minime illis abstrusis et reconditis, sed ad eum jam modum frequentatis, ut scribentis aut error aut fraus facile teneri ac reprehendi posset (1). Quod si lubricum est et valde periculosum, loca indicare, in quibus cujusvis scriptoris auctoritas agnoscatur; quanto id in Coelio difficilius putemus, cujus pauciora fragmenta su-

(135) Vid. Bachius in hist. Juris l. 3. c. 1. s. 6. §. 21.

(1) Sunt verba Cel. Wyttenbachii in Bibl. Crit. Vol. 3. Part. 1. p. 94.

supersunt, quam ut ea cum stylo ipsius familiaritas contrahatur, qua vestigia ejus hic illic disseminata quasi colore quodam proprio distinguas et annotes. Attamen his difficultatibus non absterreri me oportet, si omni ex parte ad propositam quaestionem respondere velim. Nunc igitur animis opus est (ut hoc poëtae dicto utar) nunc pectore forti: rem aggrediar et aliquo certe modo huic constitutae operae parti satisfaciam. In hac disquisitione eam tenebo rationem, ut in singulis scriptoribus, quos de iisdem ac Coelium rebus egisse verisimile est, primum inquiram, an Coelii opus adhibitum ab ipsis esse probabiliter efficiatur; tunc an Coelii vestigia in ipsis reperiantur. Quamquam, de quibus prius illud negârim, eos non tamen continuo omittam: nam scriptor qui Coelium nunquam ipse legit, nihilominus, si narrationem, quam alium ex Coelio sumsisse videt, in suum quoque opus receperit, auctoritatem nostri secutus esse recte dicatur. Neque omnia loca sum allaturus, in quibus *fieri possit*, ut auctoritati Coelii scriptor paruerit; quod et longum esset, et parvam haberet utilitatem, et vero a me non postulatur: sed de iis tantum agam, in quibus ejus auctoritatem secuti esse *videantur*; i. e. in quibus probabilis ratio adsit, cur ex Coelio potius haec illave narratio, sententia, opinio, quam ex quovis alio scriptore sit repetenda. Unum adhuc moneam, omnia hic esse dubia, omnia incerta: cum quod magnus est deperditorum auctorum numerus, ad quos qui conjecturam meam infirmare cupiunt, semper confugere possunt; tum vero quod meam facultatem a Criticae artis difficultate et dignitate longe plurimumque abesse et ipse mihi conscius sum et caeteri in hoc disputationis cursu facile, opinor, sentient.

§. 2.

His praemissis ad ipsam rem veniam, et in *Polybio* disquisitionis hujus faciam periculum; cui et ob aetatem et ob operis gravitatem primus locus concedendus est. De bello Punico secundo egit inprimis l. 3; tum etiam l. 9, 10, 11, aliisque, quorum non nisi particulae quaedam supersunt. Sed admodum est verisimile ipsi Coelii opus non innotuisse; vel ob locorum distantiam, vel quia, cum Polybius scriberet, forte nondum confectum erat (Vid. supra P. 1. c. 2. s. 2.). Quod, etiamsi nullis aliis argumentis probabile redderetur, Polybii silentium indicaret; qui licet belli Hannibalici scriptores saepius memoraverit l. 3. c. 6, 20, 33. l. 5. c. 33. l. 10. c. 2, 9, 11 (plerumque ut eorum errores arguat eosque inertiae ignorantiaeve accuset, veluti Fabium l. 3. c. 8. et l. 9. c. 29. Chaeream et Sosilum l. 3. c. 20. Philinum ibid. c. 26) nusquam tamen L. Coelium Antipatrum nominavit.

§. 3.

§. 3.

Sempronius Asellio, *Clodius Licinius*, *P. Rutilius Rufus*, *L. Sisenna* utrum eandem, ac noster, historiae partem explicuerint, nec ne; plane incertum est. Minus dubium illud videtur de *C. Claudio Quadrigario*, quoniam in ejus fragmentis mentio fit, et belli Gallici, quo Titus Manlius nobilitatus est (2), et contentionis Marium inter et Syllam (3); imo etiam narratiuncula invenitur ad bellum Hannibalicum referenda (4). Itaque hunc et eos qui ex prioribus illis de rebus Hannibalis scripserint; Coelii quippe luculenti, ut temporibus illis, scriptoris auctoritatem saepius secutos esse censeo, cujus tamen rei exempla in ipsorum reliquiis invenire non potui. Alia res est cum *Valerio Antiate*, quem scriptis suis Coelii quoque argumentum exposuisse constat; locus est ubi dicitur eandem, quam noster, sententiam contra caeteros auctores tueri (5): quamvis interdum etiam eorum dissensus commemoratur (6); unde suspicari licet in reliquis rebus idem ab ipso, quod a caeteris traditum fuisse. *Hortensius*, *Atticus*, *Lutatius*, *Varro*, *Luccejus*, *Cornelius Nepos*, *Arruntius*, *Sulpicius Galba*, quos bellum Hannibalicum vel exposuisse vel attigisse, aut constat aut probabile est (7), quantam Coelio fidem habuerint, nullis indiciis conjici potest. *Marcus* autem *Brutus*, si illorum temporum historiam scripsit, sine dubio multum ipsi tribuit (8).

§. 4.

De *Nepote* locutus sum respiciens ad conscriptas ab ipso Romanorum Imperatorum vitas; cujus operis quod ad bellum Punicum secundum pertinebat, omne periit. Sed de vita Hannibalis paulo accuratius agam: nam vix potest dubitari, quin ad eam concinnandam Coelii opere fuerit usus, quod etiam duo triave loca probabilius reddunt. Ita c. 3. narrat Poenos Alpes, quae Italiam a Gallia sejungunt, ibi superâsse, ubi olim Hercules; cujus ob transitum saltus is Grajus appellabatur; quam opi-

(2) Gell. l. 17. c. 2. l. 19. §. 3. (3) Vid. Gell. l. 9. c. 1.

(4) Vid. Gell. l. 2. c. 2. coll. cum Plut. in Fab. Max. c. 24.

(5) Vid. Liv. l. 29. c. 35. (6) Vid. Livius l. 28. c. 46. l. 29. c. 27.

(7) De ipsis de iisque quos init. hujus §. nominavi cf. Vossius de Hist. Latin. l. 1. Constat de *Attico* ex Nep. in Att. c. 18.: de *Nepote* ex Nep. Hann. c. 13. i. f. et ex locis, quae affert Voss. de Hist. Lat. l. 1. c. 14. de *Sulpicio* ex Nep. Hannib. c. 13.

(8) Conf. supra P. 1. c. 2. s. 4.

opinionem cum nostri narratione convenire putat Lipsius Epist: ad Belg. Cent. 1. Ep. 93. Tum. c. 5. Fabium Maximum (id quod in nostro Livius reprehendit) *Dictatorem* appellavit. Neque hic omittere possum c. 7. de fratre Hannibalis Magone quasi adhuc vivo sermonem esse; licet jam ante proelium apud Zamam ex vulnere eum mortuum esse tradat Livius l. 30. c. 19. Nepoti adsentitur Appianus pag. 30 (9), quo loco in conditionibus pacis a Scipione propositis haec etiam memoratur; *ἐν ἑξήκοντα ἡμέραις Μάγωνα χρὴ Λιγύων ἀποστῆναι.* Item Zonaras l. 9. c. 13. qui tradit Magonem ad patriae opitulandum simul fere cum fratre reversum ad Ligures remissum fuisse. Utra opinio ex Coelio repetenda sit statui nequit: hoc autem probabile est, fontem erroris in nomine pluribus viris communi esse quaerendum.

§. 5.

Pervenimus ad Livium, qui tertia decade res Hannibalicas exposuit, cujusque in scriptis etiamsi nullum nostri referretur fragmentum, tamen hujus opere eum usum fuisse conjicerem; cum L. Cincii Alimentae, Pisonis, Catonis, Clodii Licinii, Rutilii, Claudii, Valerii scripta diligenter adhibuisse ipsum constet. Cum vero noster a Livio saepius citetur et tamen non nisi, ut vel suum ab eo (10), vel ejus ab aliis historicis dissensum (11) commemoret; probabile est Livium ibi etiam saepe, ubi illum non appellat, ipsius auctoritatem sequi: praesertim cum tanti fecerit Coelium, ut nonnumquam eum, caeteris omissis, solum nominatim citet (12). Ipsius enim Polybii, quem in historia belli Punici secundi ita secutus est, ut ejus et plurima accurate verteret, et ipsum in operis, ut ita dicam, constituendi ratione interdum imitaretur (13), semel tantum mentionem fecit (14). Quare dubium non est, quin iis locis, in quibus Livius auctores, quos sequitur aut a quibus dissentit, *aliorum* aut *quorundam* nomine designat, Coelius quoque saepius sit intelligendus (15). Quaenam autem loca ad Coelium, quaenam ad alium quemvis sint referenda, in plerisque ne ipse quidem Oedipus, credo, divinatu-rus

(9) Edit. Steph. Lutet. 1551. ex qua Appiani Libyca citare soleo.

(10) Vid. Liv. l. 21. c. 38, 46, 47. l. 22. c. 31. l. 29. c. 25. 27.

(11) Vid. Liv. l. 23. c. 6. l. 26. c. 11, l. 28. c. 46. l. 29. cap. 35.

(12) Vid. Liv. l. 23. c. 6.

(13) Conf. ex. gr. Liv. l. 22. c. 19. cum Polybii l. 3. c. 95.

(14) Liv. l. 30. c. 45.

(15) Vid. Liv. l. 21. c. 15, 28. l. 22. c. 6, 24, 36, 52, 61. l. 23. c. 12, 16, 19, 47. l. 25. c. 11, 12, 17, 36. l. 26. cap. 6, 49. l. 27. c. 1, 7, 26, 33, 38. i. f. l. 28. c. 12. l. 29. c. 21, 25, 27, 29. j. c. 33. i. f. l. 30. c. 3, 16, 26 (bis), 37, 43.

rus fuisset. Quod tamen non ita accipiatur, quasi putem de nullis id probabiliter dici posse. Monui (ut exemplum adferam) Coelium in somniorum, portentorum similiumque narratione frequentem fuisse: Livius earundem rerum accurate meminit (16): igitur quum a duce suo praecipuo Polybio, cujus gravitas haec omnia aspernatur, eas mutuari non potuerit; minime, opinor, absurdum erit conjicere multorum mirabilium narrationem a Livio ex Coelii scriptis desumtam esse. In iis Livii locis, quibus plane eadem expressa sunt, quae in hoc illove Coelii fragmento reperiuntur, valde etiam probabilem conjecturam facere possumus. Qualis est l. 2. c. 35. seq. somnii expositio, quae cf. cum Cic. de Divin. l. 1. c. 26. item alterius somnii Liv. l. 21. c. 22. quod ex Coelio narrat Cicero ibid. c. 24. Sic etiam quod Liv. l. 22. c. 6. narrat *tres* ferme *horas* pugnatum esse, de quo temporis spatio nihil habet Polybius l. 3. c. 84. sq. a Coelio traditur (17); quem Livius etiam secutus videtur in iis, quae de Flaminii in auspiciis prodigiisque contemnendis temeritate exposuit (18). Observetur etiam Hannibalem a Liv. l. 30. c. 30. querentem induci, quod *duo* sibi fratres clarissimi duces erepti essent; quum tamen *tres* amisisset, Hasdrubalem (19), Magonem (20) et Hannonem (21). Non enim mihi persuadere possum, Hannibalem aut de Magonis morte nondum certiorem factum fuisse; aut ideo duorum tantum fratrum mentionem fecisse, quoniam Hanno exercitui non praefuerat (22): nam, ne dicam satis magno ipsum equitum numero praefuisse (23), num propterea Hannibal in calamitatum suarum re-

(16) Liv. l. 21. c. 22, 46, 62, sq. l. 22. c. 1. seqq. 36, 57. l. 24. c. 10, 44. l. 25. c. 7, 12, 16, 39. l. 26. c. 19, 23. l. 27. c. 4, 11, 16, 23, 26, 37. l. 28. c. 11. l. 29. c. 14. l. 30. c. 38.

(17) Vid. Cic. de Divinat. l. 35.

(18) Cf. Liv. l. 21. c. 62. sq. et l. 22. c. 1, 3. cum iis, quae ex Coelio retulit Cic. de N. Deor. l. 2. c. 3. et de Divinat. l. 1. c. 35.

(19) Vid. Liv. 27. c. 49.

(20) Vid. l. 30. c. 19. Hic post pugnam Cannensem a fratre Carthaginem missus diu in Hispania Carthaginiensium copiis praefuit: vid. Liv. l. 23. c. 49. l. 25. c. 22.. l. 26. c. 44, 51. l. 28. c. 1. sqq. quorum desperatis ibi rebus, in Italiam trajicere jussus bellum adversus Ligures gessit: vid. Liv. l. 28. c. 36, 46. l. 30. c. 18. sqq. in quo vulnus accepit, quod ipsi brevi post mortem attulit. Quem vitae conspectum dedi, ut appareret, quoniam rerum ab eo gestarum series haud interrupta tradita est, non esse dubitandum, quin revera frater Hannibalis fuerit occisus, neque alius fortasse Mago: nam plures fuerunt: vid. Glandorp. in Onomast. pag. ult.

(21) Vid. Liv. l. 29. c. 34. (22) Cf. Intpp. ad Liv. l. 30. c. 30.

(23) Vid. Liv. l. 29. c. 34.

recensione ipsius obitum omisisset? Multo facilior mihi videtur ea, quam Glareanus proposuit, hujusce loci expediundi ratio; ut scilicet statuamus Livium hic auctoritatem Coelii, cujus ipse opinionem retulit (24), secutum esse et existimâsse Hannonem *captum* fuisse. Id certe ex iis, quae dixi, probatum spero, Coelii opus in praecipuis Livii fontibus esse habendum.

§. 6.

Diodorum Siculum in Bibliotheca Historica Coelii opus adhibuisse putarem, nisi eum Graecorum inprimis scripta legisse constaret: certe, quum ea pars libri perierit, qua bellum Punicum secundum continebatur, judicium cohibere optimum erit. Sane magna ejus fuit diligentia, ita ut non tantum multorum historicorum commentarios evolveret, verum etiam longinquas peregrinationes susciperet: praeterea ea aetate vixit iisque locis, ut Coelii opus ipsius notitiam effugere vix potuerit. — De ipsius fontibus et auctoritate cf. Heynius in Comment. Götting. tom. 7. p. 107. seqq. —

Adjungo ipsi aequalem *Dionysium Halicarnassensem:* is autem, quum historiam suam non ultra bellum Punicum primum produxerit; Coelii si quid unquam, certe non nisi ea memoravit, quae ad antiquiora bello Hannibalico tempora pertinerent: id tamen non est veri dissimile, si quidem Catonem, Fabium, Valerium aliosque non neglexerit.

§. 7.

De *Vellejo Paterculo*, qui a Dionysio haud longo tempore distat, pauca dicenda habeo; quoniam pars operis, qua bellum Punicum secundum tractavit, tota periit (25). Attamen et Coelium et multos alios Romanarum rerum scriptores cognitos habuit (26); et, ut verisimile est, etiam legit ex eorumque traditionibus sua hausit. —

Valerius Maximus, qui regnante Tiberio scripsit, Coelium, ut vidimus, honorifico *certi* auctoris titulo decoravit. Cum autem plurima memorabilia, et vero etiam mirabilia, quae in bello Punico secundo acciderunt, tradiderit, idque, omissa fontium indicatione; existimo multa, quae in ipsius collectione reperiuntur, Coelio deberi (27). Sunt etiam loca nonnulla, de quibus id majore cum probabilitate adfirmari possit. Ita l. 1. c. 7.

(24) L. 29. c. 35. (25) Vid. Intpp. ad Vell. Paterc. l. 1. c. 9. in.

(26) Vid. l. 2. c. 9.

(27) Vid. v. gr. l. 1. c. 1. ex. 8, 15, 16. c. 6. ex. 8, 9. et alia plurima, de quibus quis illud plane negare ausit?

c. 7. int. n. 4. Atinii somnium exponitur (28): ibid. ext. n. 1. narratiuncula de specie refertur, quae Hannibali visa dicebatur (29): l. 1. c. 6. de Flaminii temeritate eadem scribit, quae noster tradiderat (30). Fieri potest ut haec ex Cicerone sumserit, neque minus in iis Coelii auctoritatem secutus esse dicatur: non tamen est verisimile scriptorem, quem tantopere laudavit, non nisi ex aliorum operibus ipsi cognitum fuisse. Valerius Maximus ultimus est historicus, qui, quod sciam, Coelium disertis verbis memorat. Sed quoniam longe etiam postea Coelii historia exstitit, ut ex Plinii, Gellii et Grammaticorum locis apparet; credibile est illos, qui diligentiae laudem adsequi cuperent, ipsius quoque scripta adhibuisse: cum contra multi essent compilatores, qui, ut labori parcerent, hunc illumve sibi ducem eligebant, cujus in verba jurarent; res ornamentis orationis stylique flosculis, quam fieri poterat maxime, augentes et amplificantes.

§. 8.

Neque enim *Strabo* historicus proprie vocari potest: quem, ut maxima diligentia in scriptis suis usum esse contendo, ita utrum Coelium cognitum habuerit nec ne, statuere non ausim. Nam de fragmento, quod ex Strabone ad Coelium referunt, dubitare me dixi (31). — *Trogus Pompejus* an Coelium adhibuerit incertum videtur. Sane haud magnos fructus ex illius lectione ad suam historiam percipere potuisset, quippe qua Macedonici inprimis regni fata memoriae prodidit (32). Nec certius quid de *Juba*, qui bella Punica opere suo complexus est (33), adfirmari potest, aut de *Fenestella*, quem res Hannibalicas tradidisse probabile est: utriusque enim scripta temporum injuria nobis abstulit.

§. 9.

Ad majoris historicum momenti accedo, Chaeronaeensem illum *Plutarchum*. Hic quanta cura, quanta diligentia scripserit, qualem sibi historici formam speciemque finxerit, cum ex aliis locis apparet, tum ex vita Demosth. c. 2. Quo loco quum inpri-

(28) Vid. Cic. de Divinat. l. 1. c. 26.
(29) Conf. Cic. de Divinat. l. 1. c. 24.
(30) Vid. Cic. de Divinat. l. 1. c. 35. (31) Vid. p. 75.
(32) Vid. Heynius in Comment. de Trogi Pompeji fontibus et auctoritate in Comment. Gotting. tom. 15. qui putat ipsius fontes unice Graecos fuisse.
(33) Vid. Plut. in Compar. Marcelli cum Pelop. c. 1.

primis Βιβλίων παντοδαπῶν ἀφθονίαν requirat, ut res accurate cognoscantur; dubium non est, quin ipse librorum sibi comparandorum opportunitates, quas copiosae divitum Romanorum bibliothecae ipsi praebebant (34), cupide arripuerit: quod confirmatur scriptorum numero, qui ab ipso citantur. Quamobrem, cum tres Vitae (Fabii Maximi, Marcelli, et Catonis Majoris) ad tempora belli Punici secundi pertineant, probabile multis videbitur, Coelii opus a Plutarcho adhibitum esse. Nam eum Latinae linguae ita fuisse peritum, ut, rebus antea cognitis, verborum significationem adsequeretur, et ipse tradit in vita Demosth. cap. 2. et patet ex eo, quod multa Latine scripta legerit Fenestellae (35), Ciceronis (36), Livii (37). Sed aliae me rationes adducunt, ut valde dubitem, an Coelii opere Plutarchus revera usus fuerit. Nusquam enim a Plutarcho citatur, licet soleat is satis accuratam fontium suorum mentionem facere (38). Opportunus tamen locus Coelio fuisset in Comp. Pelop. cum Marc. c. 1., ubi Livius, Caesar, Nepos aliique nominantur. Praeterea somnium C. Gracchi a Coelio proditum Plutarchus (39) ex Cicerone refert: quod si Coelium legere contigisset ei, ipsum potius citâsset. Nihilominus, cum nostrum hujus narrationis auctorem ex Cicerone cognoverit, ejus auctoritatem tacite secutus dici potest, ut etiam in Fab. Max. c. 4. quo loco Fabium *Dictatorem* fuisse tradit: neque mirarer Plutarchum, quum mirabilibus valde delectaretur, multa, quae ex Coelio alii narraverant, in scripta sua inseruisse.

§. 10.

Non praetermittendus est, quamvis poeta, *Silius Italicus*; quoniam bellum Punicum secundum ita versibus suis complexus est, ut rerum veritatem sibi servandam esse existimaret. Sed Livium sibi ducem elegit, quem ad verbum plerumque sequitur: nisi quod ea, quae in aliis poesi aptiora sibi viderentur, recipere non dubitavit. Coelium nonnumquam sequitur, v. c. Capuam a Capy Trojano conditam esse adfirmans

(34) De iis accurate egit doct. Thorbecke in Comment. de C. Asinio Pollione p. 55. et seqq.

(35) Vid. vita Crassi t. 3. p. 419.

(36) Vid. vita C. Gracchi c. 1.

(37) Vid. vita Camilli c. 6.

(38) Paulo frequentiorem in testibus excitandis fuisse Plutarchum, quam caeteros historicos Romanos videre licet in Comment. duabus Cl. Heerenii de fontibus et auct. vitarum Rom. Plutarchi in Comm. Recent. Gött. tom. 4. Heerenius de Coelio nihil monuit.

(39) Vid. vita C. Gracchi c. 1.

mans (40): Fabium *Dictatoris* nomine ornans (41): *captum* referens Hannonem (42): sed utrum ipsius opere lecto, an vero ex aliorum commemoratione, adfirmare non ausim.

§. 11.

Sequatur *Appianus*, cujus in reliquiis exstat etiam belli Punici secundi expositio. Polybium et Plutarchum in multis secutus est, quamquam in quibusdam ab iis etiam dissentit aut ea tradit, quae apud caeteros historicos non inveniuntur (43). Utrum Coelii an vero alius cujusvis hisce in rebus sit auctoritatem secutus, equidem non statuam. Attamen Coelio fidem habere videtur, cum Lyb. pag. 17. *captum* Hannonem tradit (44) et cum matre Masinissae commutatum (45): neque probilitati repugnat Coelii opus Appiano innotuisse; nam Appiani historiam e certis monumentis et auctoribus idoneis petitam esse dubitare nos non sinit cum reliqua ejus doctrina, tum dignitas et vitae actio Romae in publicis muneribus versata. Quae sunt verba Wyttenbachii in Biblioth. Crit. Vol. 3. Part. 9. p. 94. qui ibidem plures nominat historicos, quos Appianus in scriptis suis memoravit.

§. 12.

Dionem Cassium omitto, quoniam ea, quae ad nostrum argumentum pertinebant, perierunt: praeterea in hoc scriptore historica fides saepius desideratur. *L. Annaeus Florus*, si operis ab ipso conscripti rationem attendamus, non necesse est, ut multis scriptoribus legendis operam dederit. Neque enim ipsi propositum fuisse videtur, ut res a Romanis gestas accurate exponeret, quod in tali compendio fieri non poterat: sed tantum, ut praecipua Romanorum bella stylo quam maxime ornato breviter enarraret. Quum autem ab ipso non nisi ea referuntur, de quibus inter omnes constat; dici nequit cujusnam scriptis in hoc vel illo bello exponendo fuerit usus. Duo tamen ejus loca possunt adferri, quorum est quaedam cum Coelii fragmentis similitudo.

(40) Conf. Sil. Ital. l. 11. v. 179, 299. l. 13. v. 117, 321.

(41) Vid. l. 7. v. 21, 378.

(42) Vid. l. 16. v. 72. id opinionem meam confirmat p. 82. expositam.

(43) Vid. v. c. Lybica. p. 19. quae castrorum expugnatorum narratio, multum differt ab ea quae apud Liv. l. 30. c. 5. seqq. legitur: item p. 24, ubi de Hannibalis in Africam adventu quaedam reperiuntur, de quibus caeteri auctores nihil habent: p. 26. ubi singulare Hannibalem inter et Scipionem certamen exponitur.

(44) Vid. Liv. l. 29. c. 35.

(45) Haud mirer si etiam hoc Coelio deberetur.

do. Alter locus est l. 2. c. 6. §. 14. ubi Dii admonuisse Flaminium dicuntur, ne pugnam temere committeret; sed hoc omnibus illorum temporum historiis, neque minus traditione et monumentis nitebatur. Alter legitur l. 2. c. 6. §. 19. ubi intra quintum diem Florus ait Hannibalem in Capitolio epulari potuisse: quod dictum ex multorum operibus desumtum esse potest. Itaque duo haec loca mihi quidem minime persuadent Coelii scripta a Floro lecta fuisse, cum praesertim in fontibus sibi comparandis haud ita magnam diligentiam adhibuisse videatur. Quod de Trogo Pompejo §. 8. dixi, valet etiam de ejus epitome a *Justino* confecta, quem ex novis fontibus non hausisse praefatio ejus declarat.

§. 13.

Eutropius, quamquam etiam non nisi compendium scripserit, Floro tamen longe fuit diligentior; imo dedit operam, ut etiam antiquissimos Romanarum rerum historicos inspiceret, si quidem Fabii scripta ab ipso adhibita fuisse appareat ex l. 3. c. 5. An Coelium cognitum habuerit, dubitari potest: auctoritate certe ipsius motum fuisse arbitror l. 5. c. 10 ubi „ Scipio," inquit, „ in Africa contra Hannonem ducem „ Afrorum pugnat, exercitum ejus interficit:" ita ut de ipsius sorte Hannonis tacere maluerit, quam his illisve partibus sese addicere (46).

§. 14.

Ultimus sit non quidem operis momento, sed ratione temporum *Joannes Zonaras*: quem tantam videmus Coelio tribuisse fidem, ut, ubi hic ab aliis dissentiret, ejus auctoritatem semper sequi videatur. Nam, ut omittam ab illo l. 8. c. 22. somnium Hannibalis plane eodem modo traditum esse, quo a Cic. de Div. l. 1. c. 24. refertur: Coelii sententiam a Livio l. 21. c. 47. improbatam accurate exprimit eamque amplectitur (47). Tum l. 8. c. 25. Fabium Maximum vocat *Dictatorem* et l. 9. c. 12. Hannonem *captum* fuisse tradit. Utrum autem Coelii opiniones ex ipsius scriptis, an vero ex aliorum libris cognoverit, non constat: illud tamen mihi probabilius videtur; nam ipsi, quum ad summos pervenerit honores, procul dubio aditus ad multas bibliothecas patuit: ne dicam eum fuisse Zonaram, qui aequalium suorum inertiam non imitaretur, sed potius veterum diligentiam referret.

§. 15.

(46) Vid. p. 81. sq.

(47) Observandum est Zonaram l. 8. c. 23. fluminis trajiciendi provinciam Magoni detulisse, cum tamen Hanno Rhodanum trajecerit, teste Livio l. 21. c. 27.

§. 15.

Quod ad historicos attinet, qui eandem ac Coelius historiae partem tractaverunt, haec sufficiant. Neque is sum, qui me omnia nostri vestigia reperisse existimem, cum id neque vires meae sinerent, neque Coeliani operis naufragium. Sed sunt alii quoque scriptores, in quibus Coeliana latere nolim negare. Quomodo enim probari posset, aut Virgilium (qui Coelio fortasse credidit Aeneid. l. 10. v. 145.) aut Gellium Pliniumque, quorum uterque nostri opus adhibuit, aut denique Grammaticos nunquam tacite Coelii auctoritatem esse secutos? Loca tamen, quibus id factum est, qui indagaverit et verisimiliter indicârit, ei cum diligentiae palmam, tum vero acuminis facile concedam. Equidem majoris illud difficultatis minorisque utilitatis ducebam, quam ~~ut in eo bonas horas consumerem.~~ Nam, quod in historiae scriptoribus aliquo certe modo procedit, ut videamus an in scriptis ipsorum res memorentur, quae item in Coelii fragmentis reperiuntur; idem in Grammaticis fieri nequit, qui paucissima semper, quin etiam saepe unum modo verbum, de quo agant, arripiunt. Praeterea Plinius Gelliusque fontes suos indicare solebant; Grammatici etiam debebant: quippe quorum doctrina in primis auctoritate nitatur. Itaque hac quidem in re negligentiae reprehensionem deprecor, videorque mihi Horatio obtemperâsse, qui virtutem ipsam vetat ultra quam satis est, peti.

§. 16.

Ne temere in *Zonara* finem fecisse videar, observandum est post ipsum per longissimam annorum seriem nullum exstitisse, qui historici nomine dignus esset. Nam barbarorum vires quo magis creverunt, eo magis artium literarumque cultus imminutus est; donec doctrinae caeteris Europae partibus pulsae Constantinopoli sedem quaesiverunt. Sed ibi etiam in dies minus colebantur, et qui ipsarum dicebantur studiosi, malebant tempus inanibus disceptatiunculis terere et in obscurae philosophiae spinis ac dumetis haerere, quam gravioribus majorisque utilitatis rebus operari. Qui autem historicos se dici cupiebant, ii aut jejuna rerum suarum enarratione, aut sancti viri vita conscribenda, aut alio religioso vel superstitioso potius tractando argumento ad veterum laudem perventuros se esse putabant. Nulla erat styli aut elegantia aut ubertas; nullus fontium delectus, nulla historicae artis umbra: ad Annalium Maximorum formam res sensim sensimque redibat. Itaque satis superque, opinor, apparet, in ejusmodi scriptis Coelii neque fragmenta esse quaerenda, neque vestigia reperiri posse, et medii aevi reliquias a me esse omittendas; cujus quidem ae-

aevi barbaries tantum abfuit, ut aut antiquos coleret historicos, aut novos ipsa proferret; ut contra multis et egregiis historiae scriptoribus, in his ipsi quoque Coelio, interitum attulerit.

Hoc loco Coelii cum fragmentis memoratis, tum vestigiis indicatis, finis huic opusculo esset imponenda, nisi de iis, qui Coelii cognomines fuerunt, quaedam dicere constituissem. Distinctione enim accurata ut omnes artes doctrinaeque indigent, ita inprimis ea, cujus munus judicando continetur quaeque ab eo nomen adepta est Critica; et sane in tanto Coeliorum numero gravissimi errores committerentur, nisi hac in re distinctio diligenter institueretur.

CAPUT TERTIUM.

DE IIS, QUI, QUONIAM IDEM VEL SIMILE NOMEN HABENT, CUM L. COELIO ANTIPATRO CONFUNDI POSSUNT.

Nomen L. Coelii Antipatri plures habet cautiones; vel enim cum Antipatris confundi potest, vel cum Coeliis; vel denique etiam cum iis, qui quamvis alio, tamen simili quodam nomine vocantur. De his ultimo loco agam, cum primum de Antipatris, deinde de Coeliis dixerim.

SECTIO I.

DE ANTIPATRIS.

Hac in sectione ero brevissimus, quoniam in Antipatris ea fuit aetatis, vitae actae, scriptorum aliarumque rerum a nostro diversitas, ut non magnopere verendum sit, ne ipsi saepius errorem pariant. Itaque, malui Historiae Literariae principes ci-

citare, quam ipsorum copiis ad simulatam diligentiae doctrinaeque speciem abuti. Neque tamen praetermittendus est is, qui, (ut vidimus p. 76.) a viro docto cum nostro confunditur. Scripsit de Rhodo, cujus operis tertius liber a Stephano memoratur in 'Αρμηνία: Stobaeus ipsius de nuptiis fragmentum adfert, et Scholiastes Apollonii ipsi tribuit librum περὶ ζώων. Cf. Voss. de Hist. Graecis l. 3. in voce. De caeteris *Antipatris*, *Macedone*, *Tarsensi*, *Sidonio*, *Tyrio* aliisque cf. Voss. l. c. Jonsius de Scriptor. Hist. Philos. l. 1. c. 13. §. 2. et aliis locis, quos Index suppeditabit; Fabricius in Bibliotheca cum Graeca, tum Latina: Ernesti in Clavi Cicer., quorum industria et judicio haec materies paene exhausta esse videtur.

SECTIO II.

DE COELIIS.

Sequitur ut de Coeliis dicam, in quibus recensendis longior ero, quoniam valde timendum est, ne confusio inter ipsos oriatur et quoniam multi ex iis revera cum L. Coelio Antipatro conjuncti quodammodo sunt, quippe ex eadem, ut videtur, gente oriundi, ita ut mihi excusationes, quas in priore sectione attuli, hic minime adsint.

Equidem nullum cognovi *Coelio Vibenna* Tusco antiquiorem, qui cum delecta manu Romulo contra Regem Sabinorum opem tulit. Ab ipso mons Coelius nomen accepit, quique eum secuti fuerant appellati sunt Coelianei. Postea quoniam nimis munita loca tenere existimabantur, deducti sunt in planum ab iisque dictus est vicus Tuscus. Coelianeorum autem principes, qui suspicione vacabant, locum occupârunt, qui Coeliolus vocabatur. (1).

Coelium Vibennam longo intervallo sequitur *M. Coelius* Tribunus Plebis, M. Catonis Majoris aequalis, a quo accusatus est oratione vehementi: ejus locum servavit Gell. N. Att. l. 1. c. 15. ubi venalis ipsi vox objicitur. Sed observandum est in Catone maximam fuisse severitatem et praeterea acerrimi accusatoris personae non facile fidem esse tribuendam.

Ab

(1) Vid. Varro de L. L. l. 4. c. 8.

M

Ab ipso non multum tempore distat *L. Coelius Antipater*. (Vid. P. 1. c. 1. s. 2.)

C. Coelius fuit Tribunus plebis a. u. 647. L. Cassio et C. Mario Coss. et auctor legis exstitit, qua cautum, ut etiam in causa perduellionis tabella adhiberetur; sperabat enim se ita facilius oppressurum esse C. Popillium Laenatem, quem propter obsides Tigurinis foedere turpissimo datos et impedimenta amissa accusaverat (2). Quae spes ipsum non fefellit: nam quum precibus, minis, largitioni non daretur locus, C. Popillius in exsilium profectus est. Sed Coelius doluit, quoad vixit, se hac lege nocuisse reipublicae (3), imminuenda scilicet optimatium auctoritate.

C. Coelius Caldus homo novus ad Consulatum pervenit, quem gessit a. u. c. 660 cum Domitio Ahenobarbo (4); quamquam minime humili aut obscuro loco natus esse dicatur. „ Industriam in eo summam fuisse" testatur Cic. in Bruto c. 45. „ summas„ que virtutes: eloquentiae autem tantum habuisse eum, quod esset in rebus privatis „ amicis ejus, in re publica ipsius dignitati satis." Quae dicendi mediocritas tamen magno ipsi fuit honori, ut ait Crassus apud Cic. de Orat. l. 1. c. 25. Attamen in quaesturae petitione clarissimus ac fortissimus adolescens repulsam tulit (5). Videtur idem esse, qui, ut nimiam Syllae auctoritatem frangeret, bellum in Italia excitavit, sed quem cum sociis ejus Bruto et Carinate Pompejus oppressit (6). Ejus exemplum se eodem animo, meliore fortuna sequi velle significat Cic. Epist. ad Att. l. 10. Ep. 12, 14, 15. Fieri potest ut intelligendus sit in Auct. ad Herenn. l. 2. c. 13. quo loco C. Coelius judex absolvisse injuriarum dicitur eum, qui Lucilium poëtam nominatim in scena laeserat.

A°. 667. honestae vitae honestam finem invenit *P. Coelius*, qui, quum ab Octavio Consule Placentiae praepositus esset, senior jam et gravi valetudine adfectus ab amico L. Petronio impetravit, ut ipsum interficeret, ne hostibus vivus traderetur (7).

Inimicus L. Flacci *M. Coelius* nominis immortalitatem reprehensioni Ciceronis (8) acceptam debet referre.

P. Coelius a. 679. Coss. L. Octavio, C. Aurelio, collega in Praetura fuit C. Verris.

Coelius, L. F. Caldus Proconsuli Ciliciae Ciceroni Quaestor sorte datus est. Exstat Ci-

(2) Vid. Orosius 5. c. 15. et Auctor ad Herenn. l. 1. c. 15.
(3) Vid. Cic. de Legg. l. 1. c. 16. (cf. supra p. 47. nota 69).
(4) Vid. Cic. in Verrem Act. 2. l. 5. c. 10. et pro Mur. 1.
(5) Vid. Cic. pro Plancio c. 21. (6) Vid. Plut. in Pomp. c. 7.
(7) Vid. Val. Max. l. 4. c. 7. Rom. ex. 5. (8) Vid. Cic. pro Flacco c. 4.

Ciceronis ad eum epistola (9), in qua negat optatiorem quaestorem sibi contingere potuisse. Quod quam ex animi sententia dixerit, alia loca declarant. Quamvis enim sese apud amicos excusare conetur, quod e Cilicia decedens Coelium provinciae praefecerit, utpote nobilem adolescentem (10); tamen non diffitetur illum nimis adhuc juvenem esse (11), tum vero fatuum et non gravem et non continentem. Sed observandum adolescentes Romanos aetate Ciceronis a prisci Catonis moribus multum aberrasse.

Eodem anno Tribunus Plebis fuit *C. Coelius*, qui Caesaris partibus admodum favisse videtur, si quidem magno cum periculo tribus SCtis intercessit, quae ad Caesarem e Gallia retrahendum facta fuerant (12).

Etiam a. 703. Aedilitatem curulem petiit *M. Coelius Vinicianus* (13), sed repulsam tulit „subito dejectus," ut ait Coelius Rufus apud Cic. in Epp. ad D. l. 8. Ep. 4. „mentione illa fatua, quam deriseramus olim et promulgatione de Pompejo Dictatore." Videtur respicere ad legem, quae ab ipso forte in tribunatu lata est, nec tamen perlata (14). *Mentionem* enim *facere* et de Consulibus dicitur, cum aliquid ad Senatum referunt et de tribunis, cum apud populum de lege verba faciunt (15).

Coelius Samnis memoratur a Cic. pro Cluentio c. 59. cui Cluentius uxorem a sectoribus oblatam sine judicio reddidit.

Idem Cicero in Orat. pro Balbo c. 23. nominat *Titum Coelium*, quem a L. Cossinio Tiburte accusatum judices condemnarunt.

Q. Coelius Latiniensis duplicem ob causam mihi vir laude dignus fuisse videtur: nam primum, cum tribunatum gessisset, sequenti anno legatus creatus est; tum a Cicerone simul cum Q. Metello et Cn. Lentulo summae virtutis hominibus memoratur (16). Quamobrem etiamsi temporum ratio non obstaret, persuadere mihi non possem eundem esse, qui Philipp. 7. c. 13. inter collusores et sodales Antonii refertur et ibid. c. 13. homo diruptus dirutusque vocatur: de hoc nihil praeter illud turpitudinis testimonium refertur.

Coe-

(9) Vid. Cic. ad Div. l. 2. Ep. 19. (10) Vid. Cic. ad Div. l. 2. Ep. 15.

(11) Vid. Cic. ad Div. l. 2. Ep. 15. et ad Att. l. 6. Ep. 6.

(12) Vid. Cic. ad Div. l. 8. Ep. 8.

(13) Vid. Cic. ad Div. l. 8. Ep. 4. Intelligendus aliquis, qui in Vinicia gente natus in Coeliam adoptatus est. Vid. Manut. ad Cic. l. c. qui *Licinianum* legi vult.

(14) Manutius ad h. l. hunc Coelium in Plut. Pomp. mendose *Lucilium* appellari putat.

(15) Vid. Ernest. ad h. l. (16) Vid. Cic. pro L. Manil. c. 19.

Coelii mentio fit apud Cic. Epist. ad Att. l. 7. ep. 3. l. 12. ep. 5, 6. l. 13. ep. 3. a quo Cicero mutuum sumsit: in tanta multorum hominum inopia plurimi Romae inveniebantur, qui pecuniam suam magno foenore collocabant. Hoc terrae filio omisso veniamus ad

M. Coelium Rufum, cujus nomen in historia Romana celebratum est. Sed de hoc ne plura dicam facit elegans et accurata de rebus ab ipso gestis narratio P. Manutii, quae exstat in ejus comment. ad l. 8. Epist. Cic. ad Div. ex qua apparet eum Magistratus Curules, si Consulatum excipias, gessisse omnes: porro eloquentia multum potuisse, praesertim in accusando; licet asperitas ejus nimiumque antiquitatis studium reprehendatur: moribus fuisse maxime dissolutis, denique indecora morte periisse: nam satis perfide adversus Caesarem, cujus partes diu secutus fuerat, bellum movebat (17).

Praeclari facinoris, ut ait Vellej. Paterc. l. 2. c. 120., auctor fuit *Caldus Coelius*, vetustate familiae suae dignissimus: qui, quum ex clade Vari captivus abduceretur, catenas ita illisit capiti, ut protinus exspiraret (18).

Coelium Cursorem equitem Romanum, quod fictis majestatis criminibus Magium Caecilianum Praetorem petivisset, auctore Tiberio et decreto senatus, punitum esse tradit Tacitus Annal. l. 3. c. 37.

Coelius Sabinus egregius JCtus floruit Vespasiani temporibus (19), quem Consulem creatum esse narrat Tac. Hist. l. 1. c. 77. a. u. c. 822. Nomen Sabinianorum ab eo alii ortum (20), alii restitutum (21) esse dixerunt. De Edicto Aedilium Curulium scripsit, et quidem optime, ut videtur; nam ipsius opus a JCtis saepius citatur (22). Multi ex ejus schola JCti profecti sunt, in his, qui ad magistri laudem proxime accessit, Priscus Javolenus (23).

C. Coelium Consulem sub Trajano fuisse apparet ex l. 26. §. 6. ff. de fideic. libert. *C. Coelii* Consulis meminit etiam Plinius Epist. 4.

Coe-

(17) Add. Wielandus in versione Epist. Cic. tom. 3. p. 138. seq. qui mores ejus non multo pejores fuisse existimat, quam plerorumque aequalium ipsius: item tom. 4. p. 467. sqq. ubi de ejus indole rebusque gestis sagacissime judicat.

(18) Cf. Clar. Ruhnk. ad h. Vell. Paterc. locum.

(19) Vid. l. 2. §. 47. ff. de O. J.

(20) Vid. Heinecc. in Hist. Jur. l. 1. §. 206.

(21) Vid. Bachius in Hist. Jur. p. 412.

(22) Vid l. 20. ff. de aed. ed. et passim: Gellius N. Att. l. 4. c. 2. et l. 7. c. 4.

(23) Vid. l. 2. §. 47. ff. de O. J.

Coelius Balbinus, teste Capitolino, bis Consul fuit et postea Imperator cum Pupieno Maximo.

Hic ultimus sit; nolo enim plures recensere Coelios, quoniam metuendum non est, ne ii qui sequuntur cum L. Coelio Antipatro confundantur; neque igitur eorum omnium nomina apponere multum attinet, aut a me requiri videtur. Et sane ne antiquiores quidem Coelios omnes enumeravi; nam ita etiam dicendum fuisset de juvene illo, a quo Verres vasa quaedam abstulit (24), de *L. Coelio*, quem contemnere se Cicero pro Caec. c. 9. profitetur et de *Coelio* latrone quem perstringit Horat. Sat. l. 1. s. 4.

De his, de iisque, qui post Coelium Balbinum fuerunt v. c. de *Coelio Aureliano* nobilissimo medico, *L. Coelio Lactantio Firmiano* scriptore Ecclesiastico, etc. si quis plura cupit, adeat Fabricium in Biblioth. Latina; Glandorp. in Onomast.; Ern. in Clav. Cic. aliosque Historiae Literariae scriptores.

SECTIO III.

DE IIS, QUI OB NOMINIS SIMILITUDINEM CUM L. COELIO ANTIPATRO CONFUNDI POSSUNT.

Restat, ut de iis breviter agam, quorum nomina per librariorum incuriam aut doctorum virorum conjecturas cum Coelii nomine confusa sunt.

Et primo loco monendum est de frequentissima *Coelii* et *Caecilii* commutatione, quam jam verbo attigi supra p. 2. et de qua vid. omnino Ruhnk ad Vellej. Paterc. l. 2. c. 68. et ad Jul. Rufinum de fig. p. 211. et Drakenb. ad Livium Epit. 3. Est. v. c. locus, de quo vid. supra p. 75. quem viri docti dubitârunt utrum ad nostrum, an vero ad *Caecilium* Comicum referrent: multas hic fabulas docuit, quarum fragmenta quaedam supersunt: malus fuit auctor Latinitatis (25): mortuus est a. u. 585. Ob eandem rationem *Caecilius Calactinus* rhetor, qui Augusti temporibus vixit, a

(24) Vid. Cic. in Verr. Act. 2. l. 4. c. 17.
(25) Vid. Cic. in Epp. ad. Att. l. 7. Ep. 3.

a me memoratur, de quo plura habent Voss. in Hist. Gr. l. 2. c. 4. et Jonsius in Scriptor. Histor. Philos. l. 3. c. 1. §. 4. — De multis aliis *Caeciliis* qui non cum nostro, verum cum aliis Coeliis confunduntur (26) cf. Glandorpius in Onomast. Ernesti in Clav. Cic. etc.

Heynius in Exc. 4. ad Virg. Aeneid. l. 7. dubitat, an fragmentum Strabonis (vid. supra p. 75.) ad nostrum referendum sit, an ad *Cincium*, an denique ad *C. Acilium*. — De hisce historiae scriptoribus vid. Voss. de Hist. Lat. l. 1.

Apud Cic. pro S. Roscio Amer. c. 23. alii legunt *T. Coelium*, alii *T. Cloelium*, qualis librorum diversitas etiam est apud Dionys. Halicarn. p. 694. ubi vid. annot. Sylburgii, item apud Cic. in Epist. ad Q. Fratr. l. 2. Ep. 6.: ubi tamen neutram lectionem valere opinor; quoniam ex hoc ipso loco apparet de homine minime ignobili sermonem esse: sed adsentior sententiae eorum, qui *Sex. Clodium* legendum esse conjiciunt: hunc enim Ciceronis inimicum fuisse ex historia constat; eumque ipsis diebus, quibus haec epistola, in qua Cicero de judicum lenitate queritur, scripta est, absolutum fuisse, patet ex Cic. pro Coel. c. 32.

Denique in loco Cic. ad Att. l. 9. Ep. 11. varia lectio est, quum alii *C. Coelium* habeant, alii *C. Caecium*.

Et sic quidem plerosque indicatos esse puto, quibuscum Coelius noster confundi potest, aut etiam revera confusus est. — Eorum quo accuratiorem nobis cognitionem comparaverimus, eo minus metuendum erit, ne nomine decepti in gravissimos aliquando errores incidamus.

EPILOGUS.

Itaque commentationem de L. Coelio Antipatro historico belli Punici secundi absolvi; cujus rei difficultatem, quum jam in suscipienda ipsa suspicatus essem, magis etiam in perficienda perspexi. Mihi enim imposuit necessitatem plurima legendi, in his multa cognitu minus jucunda; nec legendi tantum, sed excerpendi etiam, inter se conferendi, ad usum meum accommodandi: denique ea ut conarer, effecit, quibus me inparem esse sentiebam. Prodeat nihilominus haec qualiscunque sit scriptio, in qua multa procul dubio occurrent, quae justam reprehensionem non effugiant, et

(26) Vid. v. gr. Ern. in Cl. Cic. in L. Caecilio: item Mascovius de Sectis II. 3. 1. p. 41. et Fabricius in Biblioth. Lat. t. 3. p. 260.

et in quibus eam peto excusationem, quam sibi aetas juvenilis quasi proprio jure solet vindicare. Nec tamen operam meam deplorare lubet. Laboris enim molestia levabatur cum cogitatione utilitatis, quam mihi adlatura esset, tum vero iis, quae quasi amoena diversoria in via reperiebantur. Ea sane est veterum literarum amoenitas, ut vix ullum ex iis argumentum desumi possit, cujus explicatione non plurimae voluptates percipiantur. Et ut tamen aliud alii jucunditate praestat, ita haud facile jucundius invenietur eo, quod in deperditi scriptoris rebus gestis operibusque indagandis versatur: in quo inprimis delectat materiei varietas, quae campum praebet, ex quo in finitimas vel potius in omnes antiquitatis regiones licet excurrere. Quamobrem si me laboris mei poenitere dicam, mentiar; quo gaudebo etiam atque laetabor, si Facultatis Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum judicio probetur, et, quod sperare vix ausim, praemii honore digna censeatur.

F A N T U M.

Argumentum scribendi vix aliud est, in quo adolescens Literarum studiosus operam suam — sibi — utilius collocet, quam illud, quod in alicujus veteris scriptoris vita scriptisque recensendis versatur.

WYTTENB. *Bibl. Crit. Vol.* III. *Part.* II. *pag* 47.

CON-

CONSPECTUS OPUSCULI.

§. 6.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ILLUSTRI AMSTELAEDAMENSI ATHENAEO

inde a die 8 Februarii CIƆIƆCCCXX, *ad d. 8 Februarii* CIƆIƆCCCXXI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

CLARISSIMI ORDINIS PRAESES

J. WILLMET.

ACTUARIUS

C. A. DEN TEX.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET *LITERARUM HUMANIORUM PROFESSORES.*

D. J. VAN LENNEP.
J. WILLMET.
J. P. VAN CAPPELLE.

A *JU-*

JURIDICI.

H. C. CRAS. (Obiit d. v m. Aprilis cIↃIↃCCCXX (*)).
J. H. van REENEN.
C. A. den TEX.

THEOLOGUS.

W. A. van HENGEL.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM et *PHYSICARUM.*

J. H. van SWINDEN.
C. G. C. REINWARDTI vicem sustinens
H. W. van ROSSEM, Med. Doct.
J. P. S. VOUTE.

MEDICI.

G. VROLIK.
F. van der BREGGEN, corn. fil.
H. BOSSCHA.

LECTOR.

H. de HARTOG.

(*) [Hujus quoque Viri Cl. scriptorum seriem in hisce Annalibus consignandam existimavimus, adeoque Parentalibus a Cl. LENNEPIO celebratis, et nobiscum, ut hisce Annalibus insererentur, communicatis, subjunximus.

H. G. T.]

SERIES LECTIONUM ET INSTITUTIONUM,

QUAE HABENTUR A PROFESSORIBUS ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELODAMENSIUM,

inde a feriis aestivis anni CIƆIƆCCCXX *ad ferias aestivas* CIƆIƆCCCXXI.

JOANNES WILLMET,

publice, *Notitiam literariam Scriptorum Arabicorum typis impressorum* exhibet, ac praecipua Philologiae momenta ad Disceptationem proponit;

privatim, docet

Linguam Hebraeam, cum institutione Grammatica, tum interpretandis, ratione aetatis, argumenti et stili habita, sensim difficilioribus V. T. Locis;

Linguam Arabicam, primum Grammatice, deinde interpretandis selectis locis ex Anthologia Schultensiana;

Exegesin V. T. tam illustrandis *Carminibus nonnullis historicis*, in V. T. obviis, interpretatur, quam moderandis Exercitationibus Exegeticis;

Linguas etiam *Chaldaicam*, et *Samaritanam*, si adsint auditores; uti et

Haririum aut *Corani quaedam capita* explicat.

JOHANNES HENRICUS VAN SWINDEN,

publice, Selecta Philosophiae loca;

privatim, ordinarie exponet

Matheseos Elementa,

Philosophiam Rationalem,

Astronomiam aut *Geographiam*,
Extraordinarie, Matheseos sublimioris partes.

GERARDUS VROLIK,

publice, IN HORTO MEDICO, agit de viribus plantarum medicinalium; IN THEATRO ANATOMICO partium corporis humani fabricam et usum explicat;

privatim, exponit
Anatomiam, Physiologiam, Obstetriciam;
Physicam plantarum.

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,

publice, praecipua quaedam Historiae et literarum capita tractat, vel ipsi juventuti, excercitationis causa, disceptanda proponit;

privatim, tradit

Literas Latinas, interpretandis, Ovidii Heroidum Epistolis, Ciceronis Paradoxis, Terentii Eunucho, selectis Juvenalis Satyris;

Literas Graecas, interpretandis locis Herodoti et Thucydidis quibusdam in *selectis principum Historicorum* a D. WYTTENBACHIO, Viro Cl., editis; Homeri Odysseae Rhapsodia, elegantioribus aliquot Theocriti Idyllis; explicandis Antiquitatibus Graecis;

Historiam Universam inde ab orbe condito ad Imp. Carolum Quintum.

JACOBUS HENRICUS VAN REENEN,

publice, praecipua quaedam Historiae Juris Romani Capita tractabit;

privatim, *Historiam Juris Romani* et *Institutiones Justinianeas*, docebit;

In explicandis L *digestorum* libris, ad jurisprudentiae practicae diligentiorem cognitionem viam monstrabit,

Jus *Hodiernum* docebit.

CAS.

CASPARI GEORGII CAROLI REINWARDTI,

absentis vicem sustinens,

HENRICUS WILHELMUS VAN ROSSEM,

tractabit
Elementa Chemiae.

JOANNES PETRUS VAN CAPPELLE,

publice, partes quasdam historiae literariae Belgicae tractabit;
privatim, de stilo Belgico aget;
De Poëtis seculi decimi septimi Batavis disseret;
Historiam Patriae tradet;
Exercitationes oratorias moderabitur.

FRANCISCUS VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.

privatim, tractabit
Pathologiam generalem,
Materiem Medicam,
Medicinam Forensem.

WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL,

publice, quaestiones aliquot argumenti Theologici juventuti disceptandas proponit;
privatim, *Primam* PAULI *Apostoli ad Corinthios Epistolam* interpretatur;
de *Historia Societatis* et *Religionis Christianae* commentatur ita, ut praecipua exponat rerum capita, quae ab aetate CAROLI M. usque ad nostra tempora factae sint;
Religionis tam *Naturalis* quam *Christianae* tradit doctrinam.

JOANNES PETRUS STEPHANUS VOUTE,

publice, varios locos e Philosophia Naturali tractat;
privatim, Physicam mathematicam et experimentalem exponit.

CORNELIUS ANNE DEN TEX,

publice, varios locos ex Jure Naturae Gentium et publico tractat;
privatim, exponit Jus Gentium atque publicum et Encyclopaediam jurisprudentiae.

HENDRIK DE HARTOG,

Lector in de Wiskunde, Zeevaart en Sterrekunde, zal Dingsdag, Woensdag en Donderdag, des middags om *twaalf* ure, in het klein *Auditorium* van het *Athenaeum Illustre*, publieke Lessen, in het Nederduitsch, over deze Wetenschappen geven; en dat wel in de volgende orde:

Eerstelijk over de *Rekenkunde*, *Decimale Breuken* en *Logarithmus Getallen*, vervolgens over de *Meetkunde* en *Algebra*, en het maken der *Sinus* en *Logarithmus Tafelen*, voorts over de Platte en Klootsche *Driehoeks-meting* en eenige Hoofd-eigenschappen der *Kegelsneden;* waarin over de beginselen der Sterre- en Aardrijkskunde; en laatstelijk over de Theorie de *Zeevaartkunde;* en wel inzonderheid over de berekening der *Lengte op Zee*, zal gehandeld worden; het een of ander Stuk echter meer of minder uitgebreid, of wel met bijvoeging van eenige verklaring der Zeevaartkundige Instrumenten, naar mate het getal en de lust der Toehoorders zulks zal schijnen te vorderen.

ACTA ET GESTA IN SENATU

PROFESSORUM ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS.

Quum die v. m. Aprilis MDCCCXX, diem obiisset supremum HENRICUS CONSTANTINUS CRAS, V. Cl., doctrinae fama atque summis in patriam et hanc in primis Musarum sedem meritis illustris, dum in vivis esset, Jur. Nat. Gent. Publ. ac Civilis cum Rom. tum Hod. in hoc Athenaeo Professor, — designatus ei successor CORNELIUS ANNE DEN TEX, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Juris Rom. et Hod. Doctor, ex Decreto Ampliss. Consulum Civitatis Amstelaedamensis, Professor nominatus Juris Naturae, Gentium atque publici, die XXVI m. Maji in Professorum Ordinem fuit relatus.

Simul autem Vir Cl. J. H. VAN REENEN, quum antea Juris Civilis Professor dictus fuisset, jam ex eodem Consulum Decreto, Juris Civilis cum Romani tum Hodierni Professor dictus est.

Bibliothecae curandae munus, quod olim fuerat penes CRASSUM, V. Cl., itidem ex Decreto Consulum Viro Cl. D. J. VAN LENNEP mandatum fuit.

Die XXIX m. Junii, a V. Cl. D. J. VAN LENNEP Praesidis munus in annum sequentem defertur V. Cl. J. WILLMET.

Die IX m. Octobris. Vir Cl. C. A. DEN TEX, Juris Naturae, Gentium atque Publici Professionem solenniter auspicatus est, habita Oratione: *de insigni honore, quo habiti fuerunt cum philosophi apud Graecos, tum Romae jurisconsulti.*

Die

Die XI m. Octobris Vir Cl. D. J. VAN LENNEP, in honorem ac memoriam Viri Celeberrimi HENRICI CONSTANTINI CRAS, pio carmine Parentalia celebravit.

Die XIV m. Octobris, in Clarissimum Ordinem Professorum receptus est Vir Cl. HENRICUS BOSSCHA, Med. Doctor, ex Decreto Ampliss. Consulum Civitatis Amstelaedamensis designatus Professor Physiologiae, Anatomiae et Chirurgiae.

Actuarii munus a Viro Cl. J. P. S. VOUTE ad Virum Cl. C. A. DEN TEX, translatum est.

J. P.

REDEVOERING

OVER

HET OOGPUNT, WAARUIT IN DEN TEGENWOORDIGEN TIJD DE BEOEFENING DER VADERLANDSCHE GESCHIEDENIS MOET BESCHOUWD WORDEN,

DOOR

JOHANNES PIETER VAN CAPPELLE,

GEHOUDEN TER AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAAR-AMBT IN DE VADERLANDSCHE GESCHIEDENIS AAN DE DOORLUCHTIGE SCHOLE DER STAD AMSTERDAM,

DEN 22 NOVEMBER MDCCCXIX.

AAN DE

EDELACHTBARE HEEREN

BURGEMEESTEREN

DER

STAD AMSTERDAM

EN

CURATOREN

DER

DOORLUCHTIGE SCHOLE

WORDT DEZE REDEVOERING MET VERSCHULDIGDE GEVOELENS VAN DANKBAARHEID EN EERBIED TOEGEWIJD.

REDEVOERING

OVER

HET OOGPUNT, WAARUIT IN DEN TEGENWOORDIGEN TIJD DE BEOEFENING DER VADERLANDSCHE GESCHIEDENIS MOET BESCHOUWD WORDEN.

EDELACHTBARE HEEREN BURGEMEESTEREN DEZER STAD EN BESTUURDEREN DER DOORLUCHTIGE SCHOLE!

AANZIENLIJKE EN ACHTBARE MANNEN, DIE BINNEN DEZE STAD MET VERSCHILLENDE WAARDIGHEDEN VAN REGTSPLEGING EN BEWIND ZIJT BEKLEED!

ZEER BEROEMDE HOOGLEERAREN, VEEL GEACHTE AMBTGENOOTEN!

ZEER GELEERDE HEER, LECTOR IN DE WIS-STERRE- EN ZEEVAARTKUNDE!

EERWAARDIGE BEDIENAREN VAN DEN GODSDIENST!

ZEER GELEERDE HEEREN, VERDEDIGERS VAN HET REGT, BEOEFENAARS DER GENEESKUNDE, LEERAARS DER LETTEREN EN DER WIJSBEGEERTE!

UITGELEZENE JONGELINGSCHAP; KWEEKELINGEN DEZER DOORLUCHTIGE SCHOOL!

ZEER GEËERDE TOEHOORDERS VAN ALLEN RANG EN STAAT!



Niets

Niets is er, hetwelk den regt-geaarden Nederlander meer aangaat, dieper treft, krachtdadiger tot al wat groot en edel is opwekt, dan de gedachte aan de lotgevallen zijner vaderen. Uit welk oogpunt men deze gadesla; het zij men lette op de zonderlinge zorg, waarmede de Voorzienigheid deze gewesten, gedurende eene reeks van eeuwen, in weerwil van dreigende gevaren, heeft behoed, en, te midden der grootste vernedering, menigwerf op het onverwachtst ten toppunt van eer verheven; het zij men acht geve op de groote deugden, die alhier hebben uitgeblonken, de wonderen van heldenmoed, tot verbazing der nakomelingschap aan den dag gebragt, de meer dan gewone welvaart, eeniglijk door nijverheid verkregen, den schitterenden glans van wetenschappen, letteren en kunsten; het zij men eindelijk het oog vestige op de kracht, welke ons eng beperkt Vaderland naar buiten heeft ontwikkeld; van alle kanten vertoont zich deszelfs geschiedenis onder de meest belangrijke gedaante en laat zich gerustelijk op de weegschaal stellen tegen die van de beroemdste volken.

Geen wonder, derhalve, dat, zoo lang ons voormalig Gemeenebest zijne zelfstandigheid in Europa mogt behouden, de verlichtste staatsmannen in deszelfs roemrijke geschiedenis het rigtsnoer vonden van hunne raadslagen en handelingen; dat de trouwste burgers gaarne door het voorbeeld hunner

ner doorluchtige voorouderen werden ontvlamd, en te midden van tweespalt of wederspoed hierin troost en leering schepten. Maar ook geen wonder, dat, toen ons staatkundig aanwezen plotseling werd vernietigd, elke blik op de aloude grootheid het gevoelig hart met diepen weemoed vervulde.

Een geheel ander tooneel doet zich nu voor ons op. Getuigt het, mijne Stadgenooten! hoe groot Uwe liefde tot het Vaderland steeds moge geweest zijn, of Uw hart ooit vuriger, met meer dankbaarheid, heeft geklopt, dan toen de mare van het herstel der vorige onafhankelijkheid U in de ooren klonk. Het Vaderland is niet alleen behouden, maar hereenigd met gewesten, waarmede het voorheen was verbonden, het bekleedt een aanzienlijker plaats in ons werelddeel; zijn bestaan is van alle kanten gewaarborgd en gevestigd.

Met het Vaderland heeft ook de geschiedenis hare grenzen uitgezet. Haar gebied strekt zich voortaan uit tot den oorsprong en de lotgevallen van zeventien gewesten. Ook hare gedaante is veranderd, zoo verre het vreemde eigen is geworden. Ware het, dat geene andere prikkelen den weetgierige tot hare beoefening noopten, dan nog zoude deze alleen tot genoegzamen spoorslag verstrekken. Maar wien zweven niet dadelijk in een flaauw verschiet voor oogen vele aanlokselen, die bovendien hiertoe ten sterkste uitnoodigen? Wie gevoelt niet den gebiedenden dwang der noodzakelijkheid, om in den nieuwen Staat, te midden der beraming van de belangrijkste ontwerpen, bondige kundigheden uit 's Lands historie te verzamelen? Hoe meer men zich in deze overdenking toegeve, hoe levendiger men van de onontbeerlijke behoefte hiertoe zal overtuigd worden, niet bloot ter verlustiging van den geest, maar om het gedrag van ieder beschaafd burger in onderscheidene betrekkingen te regelen, hem met wijsheid, moed, vertrouwen te wapenen, en een vrijen blik te doen werpen in de toekomst.

Doordrongen van deze gedachte, ben ik, geachte Toehoorders! dit gestoelte opgetreden, om de nieuwe waardigheid te aanvaarden welke mij,

op

op de meest vereerende wijze, door de Edelachtbare Regering dezer Stad, en Bestuurderen der Doorluchtige Schole is opgedragen. De gelegenheid, waarbij ik het woord voere, de plaats, waar wij ons bevinden, en, zoo ik vertrouwe, Uwer aller deelneming billijken mijne keuze, wanneer ik mijn onderwerp van het even gezegde ontleene, en dit in bijzonderheden ontwikkele. Met gepaste bescheidenheid verzoek ik, derhalve, Uwe aandacht, terwijl ik spreke *over het oogpunt, waaruit in den tegenwoordigen tijd de beoefening der Vaderlandsche geschiedenis moet beschouwd worden.*

Vestigen wij terstond een blik op den band, waardoor alle de Nederlanden thans onder een Koninklijken schepter zijn vereenigd. Gij ziet hier geen volk, hetwelk zijne zucht tot verovering teugel viert, en, daar het zich zelve als den hoofdstam aanmerkt, de aangewonnen landen als ingeënte loten wil geschat hebben. Gij ziet eene verbindtenis van aangrenzende gewesten, ten gevolge van staatkundige berekening, door de hoogste Magten van ons werelddeel tot stand gebragt; eene verbindtenis, niet bestaande in onderling verdrag tot wederkeerige bescherming, maar in volstrekte ineensmelting, om, als een enkel volk, onder dezelfde wetten bestuurd te worden, en met waardigheid naar buiten te werken. Meermalen bestond er een zweem van zulk eene vereeniging. Al vroeg waren de belangen van *Zeeland* naauw aan die van *Holland* gehecht. Beiden werden met *Vlaanderen*, *Braband*, *Artois*, *Antwerpen*, *Mechelen*, *Namen*, *Limburg*, *Luxemburg*, door FILIPS VAN BOURGONDIE geregeerd. KAREL VAN OOSTENRIJK voegde hierbij door aankoop *Friesland*, door vrije opdragt *Utrecht* en *Overijssel*, door verovering *Groningen*, *Drenthe* en *Gelderland.* Er bestaat echter een groot verschil tusschen de toenmalige en tegenwoordige gesteldheid. Immers was de Vorst, die toen de teugels van het bewind in handen had, tevens Keizer, Koning van *Spanje*, *Mexico* en *Peru*, *Napels* en *Sicilië.* De *Nederlanden*, ofschoon in schijn op zich zelve staande, en, wat het inwendige betreft, inderdaad naar eigene wetten gerigt, waren dus niet eigenmagtig, maar in zekere mate bij de even-

genoemde Rijken gevoegd, en van derzelver Opperheer afhankelijk. Bovendien werden zij afzonderlijk in vele opzigten niet met een evenredigen maatstaf bestuurd; waardoor een vast verband, eene volstrekte eenheid werd tegengegaan. Het beeld van ons Gemeenebest, uit zeven leden van dit groote ligchaam zamengesteld, heeft in zoo verre overeenkomst met het Rijk, waartoe het met de afgescheiden gewesten thans is verheven, dat het door gelijkheid van belang de deelen zamenvlocht, en zelfstandig was gevestigd. Zoo als toen, derhalve, behoort ook nu, al wat binnen de grenzen ligt besloten, tot het Vaderland, welks bloei ieder ingezeten, in welk oord des Lands hij zich bevinde, verpligt is te wenschen en te bevorderen.

Wanneer wij van dit beginsel uitgaan, treffen in de eerste plaats onze aandacht de berigten nopens den vorigen staat dezer Landen voor en ten tijde van het oppergebied der Romeinen. Zij worden bij de schrijvers dier groote natie gevonden. Een belangrijk tafereel heeft TACITUS van de zeden der *Batavieren* opgehangen. Met de komst van dezen op het beroemde eiland, dat hunnen naam draagt, nam voorheen de Vaderlandsche geschiedenis een aanvang. De stammen ten noorden en een weinig oostwaarts gelegen, de *Caninefaten*, de *Marezaten*, de *Frisiabonen*, de *Friezen*, de *Tenktren*, de *Usipeten*, de *Tubanten*, de *Sicambren*, werden met de eerstgemelden in een naauw verband gebragt, daar de plaatsen, waar zij huisvestten, tot het gebied van ons Gemeenebest behoorden; maar de bewoners van het zuiden, de *Nerviers*, de *Aduatikers*, de *Eburonen*, de *Treviren*, de *Menapiers* en de *Morinen*, werden niet, dan zijdelings, zoo verre zij als naburen tot de genoemde volken in betrekking stonden, gadegeslagen. De laatsten waren de voorgangers van onze zuidelijke broederen; hunne lotgevallen, derhalve, moeten voortaan met dezelfde zorgvuldigheid worden opgespoord, met gelijke uitvoerigheid ontwikkeld.

In den aanvang der vierde eeuw, vereenigden de *Franken*, een volk, gedeeltelijk uit het noorden van ons Vaderland afkomstig, reeds te voren, onder Keizer PROBUS, tot het eiland der Batavieren doorgedrongen, zich met de *Belgiers*, en ontrukten ganschelijk aan *Rome* het gebied over deze stre-

streken. In hun midden ontsproot een nieuwe heldenstam, die spoedig heerlijk opwies, om het *Frankische Rijk* te stichten, en den schepter over Europa te zwaaijen. PIPIJN VAN HERSTAL, zijn zoon KAREL MARTEL, zijn kleinzoon PIPIJN DE KORTE, eindelijk, zijn afstammeling KAREL DE GROOTE, voltooiden achtervolgens deze trotsche heerschappij. *Nederland* kreeg toen den naam van *Oostfrankrijk*, werd volgens bijzondere wetten bestuurd, en nam steeds toe in beschaving. Gaarne vertoefde KAREL op den grond zijner vaderen, waar hij zijn' rijkszetel vestigde. Onder zijne regering bieden onze tegenwoordige gewesten zich, als van zelve, onder één gezigtpunt ter beschouwing aan. Het kan echter geen bevreemding baren, dat men tot nog toe meer afzonderlijk het oog hebbe geslagen op bepaalde gebeurtenissen, hier of elders voorgevallen, naar mate men niet de volledige geschiedenis van alle, maar slechts van enkele ten doele had. De uitkomsten van dergelijke onderzoekingen moeten van nu af zamengevoegd, en in één geheel opgelost worden.

Door de toenemende zwakheid der opvolgeren van dezen Vorst ontstond de erfelijkheid der groote leenen hier te Lande. *Nederland* werd in eene reeks van bijzondere heerschappijen gesplitst, het zij onder den titel van *Graafschap* of *Hertogdom*, het zij onder den vorm van een Gemeenebest, het zij onder de voogdij der Moederkerk. Welk een tooneel wordt nu voor ons geopend! Gestage twist en vete, gedurige oorlog, eentoonigheid van onbeduidende, doch ingewikkelde bedrijven, alles met eenzijdigheid te boek gesteld. Hoe zal men den draad in dezen doolhof vinden? Waar het middelpunt, in het welk deze kronkelpaden zamenloopen? Ieder gewest heeft hierdoor, als het ware, eene eigene geschiedenis verkregen, waartoe de meeste oorkonden in zijn boezem zijn besloten; geen wonder, dat men, met dezelve niet gemeenzaam, in het duistere rondtast. Naar mate sommige gewesten zich tot luisterrijker aanzien hebben verheven, is hunne geschiedenis ook met meer naauwkeurigheid ontvouwd; doch hoe veel ontbreekt tot dus verre aan de overige? Ziet daar een veld van on-

 der-

derzoekingen, welks grond nog schraal ligt, doch tot welks bebouwing de tegenwoordige tijd met luider stemme uitnoodigt.

Bevalliger wordt de gedaante van den staat dezer Landen, naar mate zij elkander op nieuw naderen, en, onder de regering van het *Bourgondiesch-Oostenrijksche Huis*, andermaal tot één ligchaam zamenvloeijen. Meer licht bestraalt ook de historie dier tijden. Doch hoe kort heeft deze vereeniging geduurd! Hoe geweldig is het schip van staat door de onkunde, het bijgeloof, de woestheid zijner stuurlieden geslingerd, en gebragt op het punt van ganschelijk te verzinken! Veel is over dit gewigtig tijdvak der gedachtenis aanbevolen; maar niet alles met genoegzame onpartijdigheid. Naijver wegens den roem van bijzondere gewesten, verkeerde godsdienstigheid, onderlinge haat en wrevel hebben de oogen niet zelden verblind. Verlichte mannen hebben, wel is waar, uit echte bronnen, zoo veel mogelijk, de waarheid geput; doch wie twijfelt aan de toevoegselen, welke deze door de vermenigvuldiging der oorkonden kan erlangen? Hoe dit zijn moge, onze naauwe verbindtenis eischt thans de herziening dier groote gebeurtenis; zij eischt dat regtvaardigheid alom het goede en kwade opspore, aan deugden hulde bewijze, en misdaden niet verbloeme.

De geschiedenis der *Nederlanden* scheidt zich, sedert dien tijd, in twee takken, waarvan de een met herlevende kracht heeft gebloeid, de ander in een' kwijnenden toestand verkeerd. Wat al treffelijks is er aan deze zijde verrigt! Stond niet geheel de wereld verbaasd over de stichting van een Gemeenebest, dat alleen tegen de magtige heerschappij van *Spanje* opwoog? Hoe veel schrijvers, bij onderscheidene natiën, hebben hunne talenten te koste gelegd, om zoo groot een wonder, welks volkomene wederga men te vergeefs zal zoeken, met genoegzame duidelijkheid te verklaren! Twee eeuwen lang heeft het zich met luister staande gehouden, zijn gezag naar buiten doen gelden, en van binnen mildheid van aardsche zegeningen genoten. Maar ook aan gene zijde heeft het niet ontbroken aan deugden, die, in weerwil van het verloren volksbestaan, glans op den Landaard terugwerpen. Ook daar heeft de Natie haren oorsprong niet vergeten, maar

zich

zich steeds gekenmerkt door groote bedrijven, die, als flonkersterren, der nakomelingschap in de oogen schitteren. Welk eene aanwinst ligt in derzelver vermelding voor onze historie! Heerlijk zal zij voortaan prijken met dezen nieuwen schat, een belangrijk bijvoegsel tot haren vorigen rijkdom.

Te midden van den luister, die dezen rijkdom omstraalt, zijn eenige donkere vakken aanwezig; de dag breekt aan, geschapen, om deze op te helderen.

Groot, mijne Toehoorders! is ons geluk, gevoelen wij het dankbaar en levendig! van vrije denkbeelden te mogen voeden en uiten. Dit voorregt was, gedurende het bestaan van ons Gemeenebest, niet zoo ruim en onbepaald vergund. De edele vorm der regering hield wel het Vaderlandsch gemoed niet bedwongen, den waarheidlievenden mond met geen streng bevel gesloten, maar men smeedde zich zelve kluisters door partijdige gezindheid. Reeds vroeg werd noodlottige verdeeldheid uit verschillend inzigt van 's Lands waar belang geboren; de oneenigheden vermenigvuldigden met het getal der voorwerpen; onder het bruisen der hartstogten golden grievende beleedigingen voor bondige bewijzen; en in den woedenden orkaan der driften hoorde men naauwelijks naar de stemme der wijsheid, die, in weerwil van dit alles, hier haren zetel hield gevestigd. De meesten onzer hebben de uitwerkselen dier tweespalt aanschouwd. Wie had ooit gedacht, haar zoo verre te zien vernietigd, en den grondslag gelegd voor broederlijke eensgezindheid? Zoo is dan het tijdstip nakende, om, met bezadigdheid, de vorige gebeurtenissen ter toetse te brengen eener scherpe herziening. Hoe veel hinderpalen echter belemmeren den weg! Worden niet, tot den huidigen dag, dezelfde zaken, met scherpzinnigheid, van verschillende kanten beschouwd? dezelfde verrigtingen, met schranderheid, uit tegengestelde beginselen beoordeeld? de karakters van doorluchtige personen geschetst met strijdige kleuren? Hoe zal men dezen bajert ontwarren, tot orde en eenheid wederbrengen? Niemand, hoe los van de omstandigheden, was voorheen hiertoe genoegzaam vrij; nog minder die in verband stond tot eenig bewind. Getuige de hooggeschatte arbeid van den beroemden

den WAGENAAR. Zijne verdiensten worden door niemand in twijfel getrokken; doch hoe menig een wordt er gevonden, die in 's mans voorzigtige taal den invloed zijner betrekkingen meent te bemerken? Ik doe hier geene uitspraak, maar bewere, dat noch hij, noch eenig ander tot onbedriegelijken leidsman kan verstrekken. In oorspronkelijke stukken ligt de waarheid verborgen; door beradenheid, wijsheid, en hartelijke vaderlandsliefde kan men deze aan den dag brengen. Ik zie den ijver hiertoe in de borst van velen ontwaken, kracht met ervaring zich vereenigen, en vreugde blinken op het gelaat der welgezinden, bij de oprigting dier grootsche eerzuil voor onze historie.

Ik achte het welgevallen, dat uit de beoefening der letteren ontspruit, benevens haren invloed op de beschaving, een sterker prikkel voor den weldenkende, dan die van het belang zijnen oorsprong ontleent. Er bestaat echter eene uitzondering, wanneer het laatste dringend werkt, en zijne kracht onwederstandelijk doet gevoelen; dan toch laat zich het eerste naauwelijks bemerken, even als in den krijg de spoorslagen der eerzucht ophouden in oogenblikkelijk levensgevaar. Nooit werd de algemeene kennis onzer geschiedenis, voor de welvaart der ingezetenen, met meer klem van noodzakelijkheid, dan thans gevorderd. Deze leer is niet uit bijzondere bespiegeling ontsproten, maar een uitvloeisel van den geest des tijds zelven. Ik weet wel, dat zij niet zweeft op aller lippen, enkelen derzelver juistheid niet inzien, de meesten haar niet genoegzaam behartigen; zoo veel te meer past het, haar, bij elke gelegenheid, met nadruk te verkondigen. De taak, die ik heb ondernomen, eischt, dat ik mijne denkbeelden over dit gewigtig onderwerp nader ontvouwe.

Hoog staat de wijsheid onzer voorouderen bij het nageslacht aangeschreven. Is dit eene loutere hersenschim, of een gevoelen, voor bewijs vatbaar? Het laatste kan naauwelijks in twijfel getrokken worden, zoodra de sluijer van het verledene is opgeligt.

Nooit bestond er een staatsman, bekwamer om te regeren, meer toegerust met grondige kennis van de gesteldheid des Lands en de geaardheid der inge-

gezetenen, dan WILLEM DE EERSTE, door zijne dankbare medeburgeren met den eernaam van *Vader des Vaderlands* beschonken. Het zij men acht geve op zijne raadslagen ter handhaving van het algemeen belang naar buiten, of in oogenschouw neme de middelen om het inwendig bestuur naar eisch in te rigten, overal ontdekt men sporen van oorspronkelijke schranderheid, hoedanige den gewonen sterveling niet te beurte valt. Eene ontijdige dood rukte hem van de aarde, maar nog lang zweefde zijn geest over de nakomelingschap. Het geluk van *Nederland* is blijkbaar in de achtbare rij van doorluchtige leerlingen, die in zijne schole zijn gevormd, en het licht van hun verstand aan de heldere fakkel van zijn aldoordringend oordeel hebben ontstoken. Dezen waren het, die zijne ruwe ontwerpen hebben beschaafd, voltrokken en ten uitvoer gebragt. Zijne beginselen verloren zij niet uit het oog, hoe zeer de omstandigheden veranderden. Is het niet, of gij hem zelven ziet handelen, wanneer zij met beleid, de looze oogmerken van ELIZABETH ondermijnen, en zich in veiligheid stellen tegen LEICESTERS trotsche heerschappij? Zoo toch had hij voorheen de doortrapte listen van het Fransche Hof en den Hertog VAN ANJOU verijdeld. Even als hij meesterlijk de kunst verstond, om uit den handel met vreemde Landen, wier bijzonder belang hem niet ontglipte, nut te trekken, en de magt van den nieuwen Staat te doen aangroeijen, zoo hebben zijne opvolgers, hetzelfde voetspoor betredende, en altijd lettende op het evenwigt van Europa, steeds door de meest dienstige bondgenootschappen, nu eens tot enkele verwering, dan eens ook tot hulpbetooning in aanval, dan eens door een drievoudig verbond, naar mate van de behoeften en nooden der tijden, de gesteldheid en betrekkingen der Volken en Vorsten, zich weten te versterken, waardoor de achtbaarheid van het Gemeenebest ongeschonden is bewaard, wat zeg ik? tot luisterrijk aanzien verheven.

Ook het inwendig bestuur was geschoeid op de leest, door hem uitgedacht. Het *Utrechtsch* verbond, van hetwelk hij, schoon in schijn werkeloos, de ziel en het leven was, is steeds, in weerwil van alle verwar-

ring,

ring, het heilig onderpand van de vrijheid der vereenigde gewesten gebleven. Het is de plaats niet, dit gewrocht van diepzinnige staatkunde in zijne deelen te onderzoeken. Zoo men zwakheid in hetzelve opmerke, het was gewijzigd naar den geest des tijds. Wat men er tegen aanvoere, de ondervinding heeft deszelfs geschiktheid voor deze Landen, zoo als zij vertijds bestonden, gedurende twee eeuwen, onwedersprekelijk bevestigd. Zoo veel vermag een groot man. Zoo werkt hij, voor zijn verscheiden, aan het geluk der genen, die de plaats van hem en zijne tijdgenooten zullen vervullen.

Met dezelfde ervarenheid werden de meer bijzondere belangen, die der steden en enkele gewesten, behartigd. De maatregelen, uit bespiegeling en plaatselijke kundigheden afgeleid, werden gevoegd naar de omstandigheden. De aard der ingezetenen gedoogde, dat men veel aan goedwilligheid overliet, en weinig dwangbepalingen behoefde, om de wetten te handhaven. Hieruit ontsproot orde, regelmatige gang, beknoptheid, eenvoudigheid.

Bekennen wij het, mijne Toehoorders! om den lof der vaderen niet onmatig te vergrooten, dat een schat van kennis hun ten dienste stond in de oude geschiedenis dezer Landen. De ondervinding van een enkelen leeftijd is niet toereikende, om zaken van hooge aangelegenheid tot stand te brengen. Het sterfelijk oog heeft hiertoe geen voldoende uitgestrektheid, het oordeel geen genoegzame sterkte. Eigene waarnemingen moeten met die van vorige eeuwen worden in verband gebragt, om met juistheid de uitkomsten te berekenen. Gelukkig, zoo men tot een ruim bezit der laatste kan geraken! In den aanvang van een nieuwen Staat is dit gewoonlijk aan zwarigheden onderworpen; doch het viel ligt bij de oprigting van ons Gemeenebest. Het is toch voor een ieder duidelijk, dat de wijze, waarop *Holland* werd geregeerd, tot maatstaf en voorbeeld heeft gestrekt van den vorm, waaronder de zeven gewesten zijn vereenigd. Eene volstrekte gelijkheid bestond er niet, maar eene zeer in het oog loopende gelijkvormigheid. Het geen aan de overeenkomst ontbrak, werd naderhand, als van zelve, aangevuld door den oppermagtigen invloed, dien het genoemde gewest

west op den gang der openbare zaken verkreeg. Hierdoor is te wege gebragt, dat de geschiedenis van het Vaderland steeds naauw aan die van *Holland* was geschakeld, ja, in zekere mate, als een vervolg van dezelve kan beschouwd worden. Het Gemeenebest vertoonde in het groot dat gene, hetwelk *Holland* in het klein had opgeleverd. Zij, die den Staat bestuurden, konden dus hunne denkbeelden toetsen aan ontwerpen, te voren reeds beraamd en beproefd onder het aanzienlijkst gedeelte van denzelfden Landaard. Zoo leerden zij veel, hetgeen hun tot waarschuwing of aanmoediging verstrekte. Zoo waren de dwalingen der ouderen voor het nageslacht niet verloren. Zoo kon het goede, door de ervaring gelouterd, met overtuiging aangeprezen, en met vastheid van wil uitgevoerd worden.

Geen wonder, dat de Vaderlandsche geschiedenis, binnen dit gewest, bij voortduring, in zoo groot een aanzien is gehouden. De Overheden werden hiertoe van wege hunnen pligt genoopt, en, gelijk hun voorbeeld krachtig werkt op het gemoed der burgeren, zoo schaarde men zich eenstemmig rondom het altaar, ter harer eere opgerigt, om met welgevallen en dankbaarheid te offeren. Die eerbeid voor s'Lands historie werd verhoogd, ja tot de uiterste palen gebragt, door de wegslepende taal, waardoor HOOFT zijne tijdgenooten hield opgetogen. De lust tot onderzoek, zoo opgewekt, aangevuurd, en onder alle standen verspreid, was de drijfveer, die naderhand den ijver van WAGENAAR in beweging bragt, wiens onschatbaar werk tot den huidigen dag zijnen invloed uitstrekt.

Uit de ontbinding van het Gemeenebest, en de zamenvlechting zijner deelen met tien andere, even belangrijk in aard en uitgestrektheid, is, onder een vast verband, het Rijk ontstaan, waartoe wij het geluk hebben te behooren. Deze vereeniging van alle de *Nederlanden* tot een zelfstandig ligchaam heeft voorheen menigwerf het aangenaamste spel voor de verbeelding opgeleverd. Onder eene bekoorlijke en treffende gedaante vertoonde zich het aanzien van zulk eenen Staat, geschikt, om eene hoofdrol op het tooneel der wereld te vervullen. Geen sterveling heeft ooit de diepe wijsheid van den *Vader des Vaderlands* doorgrond, maar, zoo verre men uit

zijne handelingen mag oordeelen, schijnt het, dat ook hij daarheen zijne pogingen hebbe gerigt. Men heeft het, om deze reden, als een noodlottig uitwerksel der verdeeldheid aangemerkt, dat dit groot ontwerp niet is tot stand gebragt. De zwarigheden, hiertegen aangevoerd, vonden voornamelijk hare kracht in het tegenstrijdige belang van eenige gewesten, waardoor zij minder vatbaar waren, om, als leden van het zelfde bondgenootschap, tot één doel mede te werken. Door de groote verandering van Europa is de noodzakelijkheid van den nieuwen Staat, onder een Vorstelijk oppergezag, plegtig erkend, zoo dat alle bedenkingen verdwijnen, en er niets overblijft, dan de vraag, waarin de middelen tot zijn uitwendigen luister en inwendige welvaart zijn gelegen? Die vraag is thans tot een proefsteen van menschelijke schranderheid gesteld. Met reden mag men in twijfel trekken of zij, binnen eene korte reeks van jaren, voor oplossing vatbaar zij. Nergens toch vindt men eene dadelijke aanwijzing, waarop men met zekerheid kan vertrouwen. Alles moet oorspronkelijk uitgedacht, met voorzigtigheid beproefd, en, naar eisch van zaken, verbeterd worden. Onze verlichte Staatsmannen houden zich onafgebroken met dit onderwerp onledig. Zoo veel te moeijelijker is hunne taak, daar het belang der maatschappij ten aanzien van vele wetten en inrigtingen geen uitstel gedoogt. Hen wacht de dankbaarheid van tijdgenooten en nakomelingen, die hierin het beste pad opsporen.

Dit pad moet, te midden der verscheidenheid, op eenheid uitloopen; al, wat bijzonder is, in rekening worden gebragt tot eene algemeene uitkomst. Even als de werktuigkundige uit de kennis der magten, die in tegengestelde rigtingen werken, het middelpunt van zwaarte bepaalt, zoo trachte men tusschen de belangen der afzonderlijke gewesten het ware evenwigt te vinden. Hiertoe nu biedt derzelver historie hare hulpe aan. Zonder haar is het onmogelijk, juiste denkbeelden te vormen van den aard des Volks, deszelfs kracht en nationalen geest. Geen oppervlakkig overzigt van bestaande behoeften, heerschende neigingen, aangenomen begrippen, kan hier te stade komen, maar eene diepgrondige inzage, hoe dit alles voorheen

wor-

wortel heeft geschoten, en zich, naar gelang der omstandigheden, op verschillende wijze geopenbaard. Met dit onderzoek moet men eenen aanvang nemen, wat ook vernuft en oordeel buiten dien vermogen. Van hier moet men uitgaan, waar ook de eindpaal gelegen zij. De Vaderlandsche historie, dat is, die van alle de Nederlandsche gewesten, worde dan voortaan, even als weleer, het heiligdom van allen, die, door keuze of betrekking geroepen, het heil des Lands onmiddellijk met raad en daad behartigen.

Maar niet alleen op dezulken, op allen, wie het genot der beschaving is geschonken, rust deze verpligting. De aard onzer regering vordert de belangstelling der burgeren. Waartoe telken jare, van alle oorden des Rijks, ervarenen uit hun midden tot eene achtbare vergadering genoodigd? Waartoe derzelver raadplegingen gehouden in het openbaar? Waartoe niet alleen de uitkomsten hunner overwegingen, maar ook de gronden en beweegredenen met uitvoerigheid ter kennisse van allen gebragt? Is het niet, om het licht der bijzondere ingezetenen, ter vereischte opheldering, in één brandpunt te vereenigen? Zoo krijgt ieder invloed op het algemeen bestuur. Gelijk het zaad, in de aarde geworpen, spoedig opschiet en tot eene plant aangroeit, zoo kan eene oorspronkelijke gedachte, waar en heilzaam in zich zelve, door mededeeling verspreid, strekken tot opzettelijke overpeinzing. Niemand is er, die geen prijs stelt op dit onschatbaar voorregt; doch wat baat het, zoo de oogen zich niet verder, dan de naastomringende voorwerpen, uitstrekken? De geschiedenis heeft de magt, het gezigt der zulken nieuwe scherpte te verleenen. Hare bespiegelingen verheffen den geest boven de afgeperkte ruimte der dagelijksche beweging, om, met een vrijen blik, in de verleden gebeurtenissen, het beeld van den tegenwoordigen tijd, anders geschaduwd en gekleurd, gade te slaan. Zoo oefent men het oordeel, terwijl men het verstand met kennis toerust. Zoo krijgen de denkbeelden vastheid en sterkte. Wie kan de weldadige uitwerkselen berekenen, indien lust tot grondig onderzoek zoo het gebied mogt innemen over de kringen, waar beschaving en welvaart bij uitnemendheid huisvesten?

In de gedenkrollen der vorige eeuwen staan de bittere gevolgen van dwaling en misverstand met levendige verwen afgemaald. Men ziet, hoe ons Vaderland, aan alle oorden, gedurig de prooi is geweest van verslindende tweedragt; hoe deze de kiem van edele deugden menigwerf heeft verstikt, en het vuur, dat in den boezem van velen voor hoogere ontwikkeling blaakte, ganschelijk verdoofd. Vroegere en latere tijden hebben hiervan de schrikkelijkste tooneelen opgeleverd. In het noorden en zuiden woedde deze drift, kort na de verlossing van het knellendst juk, dat ooit den hals prangde, en scheidde, naar het scheen, voor altijd twee volken, wier bestemming tot broederlijke vereeniging wenkte. Na twee eeuwen en velerlei lotgevallen komen zij in die betrekking te zamen. Wie voelt geen huivering bij de gedachte, dat naijver de noodzakelijke eensgezindheid zou verstoren? Wie overziet de keten van jammeren, die zulk een toeval na zich zoude slepen? Ter afwering hiervan wapene men zich met wederkeerige achting, op onbetwistbare verdiensten gevestigd. De geschiedenis stelt deze in een achtbaar en belangrijk tafereel voor oogen. Ziet, hoe de letterkundige beschaving, op den *Vlaamschen* en *Hollandschen* bodem pas ontloken, in de dertiende eeuw opschiet, onder de aanmoediging en bescherming van FLORIS DE VIJFDE, aan wien MAARLANDT en STOKE hunne dichtwerken opdragen. Die groei wordt, gedurende de twee volgende eeuwen, in weerwil der edelmoedige pogingen van 's Lands Graven, in het noorden door de inheemsche onlusten onderdrukt, doch gaat met geringen aanwas voort in het zuiden. Hier is, te midden der Spaansche beroerten, ANTONIS VAN STRAALEN, aan het hoofd eener kamer van Rederijkers, werkzaam aan den opbouw der Vaderlandsche taal. De taak, door zijnen dood afgebroken, wordt opgevat door MARNIX, terwijl hier ter stede KOORNHERT en SPIEGEL naar het zelfde doel streven. De *Schat der Nederduitscher spraken* van PLANTIJN, in den jare 1573 gedrukt te *Antwerpen*, de *Tweespraak van de Nederduitsche letterkunst*, elf jaren later te *Amsterdam* uitgegeven, het kort daarna verschenen en tot den huidigen dag onschatbaar woordenboek van KILIAAN toonen, dat men van wederzijde elkan-

kander niet in ijver en wetenschap toegeeft. Voor dat HOOFT nog de hand legt aan het doorluchtig werk, dat zijn naam zal vereeuwigen, brengt VAN MEETEREN zijne historie aan het licht. Laat vrij uwe oogen weiden in den heerlijken bloei der letteren, die van nu af in het noorden van ons Land met luister schittert, ook de zuidelijke broederen deelen in den roem, hierdoor op den Landaard terug geworpen. Terwijl hier voorspoed zich een zetel sticht, worden hunne gewesten te vuur en te zwaard verwoest. De welvarendsten en verlichtsten hunner begeven zich herwaarts, worden met open armen ontvangen, genieten de voordeelen van aanzien en rijkdom, en onderscheiden zich weldra niet meer van de oorspronkelijke inwoners. Sedert buigt in *Braband* en *Vlaanderen* de moedertaal met hare voortbrengselen diep het hoofd; maar zij doet reeds poging ter verheffing. Ik zie haar in het verschiet met waarde opgerigt, en herstelde kracht op haar aanschijn blinken. Zoo zal misschien nog een ander gulden tijdperk voor de Vaderlandsche letteren opdagen.

Hetzelfde ontdekt men in de uitbotting en uitbreiding der onderscheidene takken van geleerdheid en wetenschap. In de kunsten staat de roem der *Vlaamsche* en *Hollandsche* scholen op onvergankelijke zuilen gevestigd. Onder alle vormen ontwikkelt zich de geest der natie op eene treffende wijze. Let op den handel, die, eerst in het zuiden, naderhand in het noorden, den hoorn des overvloeds uitstort. Aanschouwt den kunstigen arbeid der handen en de gewrochten van vernuftig uitgedachte werktuigen, eene vlietende bron van welvaart in vele streken. Hoe veel andere voortbrengselen van nijverheid treffen het oog! Hoe veel uitvindingen prijken door ongemeene schranderheid! Hoe spannen weetlust en belang de vermogens in tot gestrenge nasporing en menigvuldige ontdekkingen! Waar zoude ik eindigen, indien ik voortging, dit alles met den vinger aan te wijzen.

Wijden wij nog een oogenblik aan de eerbiedige gedachtenis van deugden, die, in weerwil van het verschil in aanleg en karakter op sommige plaatsen, van ouds af en bij voortduring den geheelen Landaard hebben onderscheiden.

Toen de noordsche stammen reeds gebogen waren onder het ijzeren juk der alleenheersching, genoten de *Batavieren* en *Belgiërs* in den uitgestrektsten omvang hunne natuurlijke vrijheid. Geene omstandigheden hebben, onder hunne opvolgeren, de blakende zucht naar dit edel voorregt verdoofd; bij elke onderdrukking is zij glansrijker te voorschijn gekomen. Hoe ligt kon zulk eene heerschende neiging in losbandigheid ontaarden! Hiervoor echter waakte meerendeels de bedaardheid, als een eigenaardig kenmerk in het gemoed der *Nederlanderen* geprent. Niet wuft of streng, veel min hardvochtig, toonden zij zich gevoelig voor bewezen weldaden, zoodat het ligt viel, hunne genegenheid te winnen. Hieruit ontsproot die hartelijke liefde tot wettige Vorsten, waarvan geen volk der aarde luisterrijker voorbeelden heeft aan het licht gebragt. Gaat tot de aloude historie, ziet den bitteren rouw, welke het hart der *Hollanderen* verscheurde, op het hooren der mare van den wreeden moord, aan hun beminden Graaf FLORIS DE VIJFDE gepleegd; ziet de dankbaarheid voor zijn goeden wil, lang na zijn dood, heerlijk uitblinken, en in geestdrift ter vereering zijner nagedachtenis ontgloeijen, bij de onverwachte aankomst van zijnen zoon WITTE VAN HAAMSTEDE, onder wiens aanvoering dit gewest, reeds bijna overheerd, zich in weinige dagen van de zegevierende *Vlamingen* verloste. Welk een strijd van edelmoedigheid stelt ons het tooneel van Graaf WILLEM DE DERDE en zijne onderhoorigen voor oogen, toen hij, in vertrouwen op hunne altijd vaardige hulp, de tiendubbele voldoening van een zijner beden weigerde, welke zij hem heuschelijk hadden aangeboden! Wat zal ik zeggen van den eernaam DE GOEDE, waarmede men dezen Vorst, even als, bij vervolg, FILIPS VAN BOURGONDIE, onder wiens regering *Nederland* het Land van belofte geacht werd, bestempelde? Wat van de lijdzaamheid, waarmede men de zware beden en strenge plakaten van KAREL DE VIJFDE, uit hoofde van zijn *Nederlandsch* karakter, verdroeg? Alles verdwijnt bij het verrukkelijk schouwspel van wederkeerige hartelijkheid tusschen WILLEM VAN ORANJE, den verlosser des Vaderlands, en zijne dankbare medeburgers.

De

De behoefte van den tegenwoordigen tijd vordert, dat men eigene aandrift door de beschouwing van dergelijke deugden steeds in werking houde of in beweging brenge. Zonder liefde tot den grond, dien wij bewonen, de natuurgenooten, die ons omringen, de Overheden, die ons besturen, kan geen Volk eenige hoop voeden op geluk. Ieder gewest spore zijne bijzondere geschiedenis op, om van deze waarheid levendig overtuigd te worden. Het oefene zich in de deugden, die op zijnen bodem voornamelijk hebben gebloeid, ruste zich met dezelve toe, en schare zich rondom den troon van Hem, die aan ons hoofd is geplaatst, om in edelen ijver ontvonkt, en met een algemeenen geest bezield te worden. Die geest is nog niet aanwezig, maar hij kan te voorschijn komen uit den boezem der geschiedenis, naar mate deze onder ons in hoogere eere worde gehouden. Daarom wil de wijsheid des Konings, dat reeds vroeg, bij de ontluiking des verstands, het gemoed met derzelver voorwerpen worde vervuld; dat zij, inzonderheid, wier denkbeelden eene hoogere vlugt nemen, door het begrip van haren ganschen omvang, hun hoofd versieren en hun hart veredelen. Onder zijn verheven toezigt zullen de middelen, tot dit oogmerk aangewend, gedijen; even als die, welke allerwege, ter volledige doorgronding en algemeene verspreiding van dien noodwendigen tak onzer kennis, worden in werking gebragt. Mogen onze oogen dit weldadig uitwerksel zijner zorge en liefde aanschouwen! Dat een ieder in zijnen kring uit zuivere beginselen het algemeen belang behartige! het Vaderland bloeije! en het nageslacht, billijk in zijne uitspraak, onzen leeftijd met gulden letteren aanteekene in de historie!

U wijde ik mijnen dank, Edel Achtbare Heeren, Burgemeesteren dezer Stad en Bestuurderen der Doorluchtige Schole! die mij tot de belangrijke taak hebt geroepen, door de ontvouwing van de achtbare gedenkrollen onzer geschiedenis, ter vervulling van dezen wensch regtstreeks mede te werken. Ik ontveins niet, dat mijn gemoed zich bij dit denkbeeld verheft, dat het verschiet mij toelacht, van met Vaderlandsche jongelingen een lust-

hof,

hof, zoo vol van bekoorlijkheid en versterkende geuren, te bewandelen. Met blijdschap, derhalve, eerbiedig ik Uwen wil, schoon ik levendig besef draag van de geringheid mijner vermogens, en niet zonder aandoening of ontroering eenen leerstoel optrede, waar zoo veel mannen van naam en geleerdheid hunne talenten hebben ten toon gespreid, en die nog onlangs treffelijk was vervuld door den hooggeachten en beminden BOSSCHA, in wien deze stad een harer sieraden en nuttigste burgeren heeft verloren. Wij allen vinden ons door dit verlies in diepen rouw gedompeld. Schoon de tijd deze droefheid lenige, is de levendige voorstelling van het goede, door hem gesticht, voor geene verflaauwing vatbaar. Zijn voorbeeld, dat zijner beroemde voorgangeren zal mij ontvlammen, waar mijne krachten mij dreigen te begeven. Hunne glorierijke baan volgende, zal ik mijne verhevene bestemming nimmer uit het oog verliezen. Zoo hope ik aan Uw vereerend vertrouwen waardiglijk te beantwoorden.

Hiertoe verleene de Allerhoogste zijnen zegen, en doe ons nog lang juichen in het geluk, U aan het hoofd dezer Stad en der Doorluchtige Schole te aanschouwen!

Hoe verscheiden en uiteenloopend de takken van beschaving zijn mogen, in dezen vruchtbaren grond door U aangekweekt, Hooggeleerde Heeren, zeer geachte Ambtgenooten! gaat de roem des Vaderlands U allen gelijkelijk ter harte. Gij rekent het alzoo niet onverschillig, wie onder U de eer van deszelfs geschiedenis handhave. Met huivering word ik bevangen, zoodra ik mij voor den geest brenge, dat deze taak oorspronkelijk tot U behoorde, Hooggeleerde VAN LENNEP! en mijne verbeelding bot viere in de voorstelling van den helderen gloed, dien Uwe schranderheid, geleerdheid en welsprekendheid over de groote daden der vooronderen zouden hebben verspreid. Neem mijnen hartelijken dank aan voor de verpligtende wijze, waarop Gij Uw verlangen hebt te kennen gegeven, dat dit vak van werkzaamheid, tot hiertoe, op Uwe begeerte, door onzen waardigen vriend en Ambtgenoot BOSSCHA zoo uitnemend vervuld, thans aan het mijne zoude

de worden toegevoegd. Het denkbeeld van Uwe plaats te bekleeden zal mijnen ijver tot nieuwe veerkracht opwinden. Zoo hope ik de liefde tot het Vaderland, in den boezem der jongelingen hier ter stede heerlijk glorende, op te wakkeren, aan te vuren, te ontvlammen.

Staat mij toe, Hooggeleerde Heeren! dat ik mij met nadruk aanbevele in de voortduring van Uwe hooggeschatte vriendschap, en den zegen des Hemels afsmeeke voor den toenemenden luister Uwer Orde, voor de weldadige werking van het licht, door Haar verspreid, voor Uwe bloeijende gezondheid en langdurig behoud; dat Gij nog eene reeks van jaren tot achtbare zuilen van den roem dezer Doorluchtige Schole moogt verstrekken!

Met welgevallen rigt zich mijne rede tot U, waardige Jongelingen! die in het renperk der beschaving, hier voor U geopend, moedig streeft naar den palmtak der eere, en, met dit doel in het oog, al wat goed is vol van ijver te gemoete snelt. De edele drift, die in Uw binnenste woelt, behoeft geene opwekking, maar dat zij gewijzigd, bestuurd en ten nutte geleid worde. Hartelijke liefde tot den grond Uwer geboorte zij de band, die U allen broederlijk vereenige, de drijfveer, die U bewege, tot het Heiligdom zijner geschiedenis te naderen. Hier zult Gij, als door hoogere ingeving, de waarde van Uwen pligt, als *Nederlanders*, gevoelen. Een heilig voornemen, dien getrouw te betrachten, zal U bezielen. Deze stemming, levendig gehouden, zal het zegel van voortreffelijkheid drukken op Uwe volgende bedrijven. Het Vaderland ziet Uwe komst in de Maatschappij te gemoet; het wacht van U nieuwe lauweren voor zijnen roem; het belooft U het schitterendst loon, dat, van Uwe namen te voegen bij die van hen, door wier wijsheid en deugd het is verheerlijkt.

CORNELII ANNES DEN TEX,

ORATIO

DE

INSIGNI HONORE, QUO HABITI FUERUNT CUM PHILOSOPHI APUD GRAECOS, TUM ROMAE JURISCONSULTI.

HABITA DIE IX. OCTOBRIS ANNI MDCCCXX.

QUUM IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI, JURIS NATURAE, GENTIUM ATQUE PUBLICI PROFESSIONEM SOLENNITER AUSPICARETUR.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS

CONSULIBUS

ET

ILLUSTRIS ATHENAEI

CURATORIBUS,

VIRIS GRAVISSIMIS, AMPLISSIMIS

S.

NOBILISSIMAE HUJUS CIVITATIS CONSULES, ILLUSTRIS ATHENAEI CURATORES, VIRI GRAVISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI CUM CONSULIBUS CIVITATIS CURAM GERITIS, QUIQUE IN TRIBUNALIBUS JURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI NOBILISSIMI, INTEGERRIMI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE PROFESSORES CLARISSIMI!

MATHESEOS, ASTRONOMIAE, ARTISQUE NAUTICAE LECTOR EXPERIENTISSIME!

VERBI DIVINI INTERPRETES, VIRI QUAM PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM DOCTORES, CONSULTISSIMI, ERUDITISSIMI!

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE ORDINIS, LOCI AC DIGNITATIS, HONESTISSIMI!

VOS QUOQUE BONARUM ARTIUM STUDIOSI, JUVENES OPTIMI!

In tractanda universa populorum historia, ut lubenter fere singularum gentium attendimus indolem, mores, leges, instituta, res gestas, vicissitudines: ita juvat in primis explorare, quibus maxime studiis, quibus dotibus ac virtutibus, quibus omnino laudibus alii populi alios superarint. Omni quondam humanitatis laude floruit Graecia, et praestantissima illa peperit artium monumenta, quae pulcri etiamnunc spirant et sensum et amorem. Celebrabantur ibi poëtae, oratores, et summis efferebantur laudibus, quotquot disciplina tractanda vel arte elegantiori caeteris praestabant. Recitabantur in publicis conventibus optimorum poëtarum carmina. Disputabant in gymnasiis philosophi, generosos quosque juvenes virtutis amore et sapientiae studio imbuentes. Referebantur autem universa haec studia ad communem omnium artium doctrinarumque parentem, Philosophiam. Et quidquid in Graecia eximium et praeclarum habebatur, illud philosophiae vi, philosophiae lumine illustratum reperimus. Vigebat scilicet in Graecis ipsius juventutis efficacia, inquirendi iis inerat et indagandi summus ardor, scientiae, sapientiae summa cupido, φιλοσοφία.

Floruit item Roma artium et literarum cultu. Habuit omnino et poëtas suos, ingenii summa laude conspicuos, et oratores, maxima valentes dicendi efficacia; habuit etiam suos de gravissimis disciplinarum locis rite atque accurate disputantes philosophos. Sed habuerat poëtas quoque Graecia, habuerat oratores et philosophos; imo haec ipsa studia sero demum expetita, in Romanam civitatem

e Graecia translata erant. Inerant vero Romanae indoli, quas sibi proprias vindicaret, dotes et virtutes, quibus adeo Graeci non item inclaruerant. Concedatur Graecis mira illa ingenii suavitas, artium doctrinarumque omnium elegantia, inquirendi item studium nulla non negotia complectens; propria vero Romanis fuit in moribus ac vivendi ratione gravitas et constantia, tum in primis justi et aequi dijudicandi singularis plane vis et solertia. Philosophiam pepererant Graeci, sua ipsi indole et natura ad pervestigandas divinas et humanas res ducti, sed Jurisprudentiam pepererunt Romani. Pulcri amor in illis, justi studium in his dominabatur. Disputaverant de quibusvis negotiis Graeci; Romanis ea in primis placebant, quae ad vitae usum atque utilitatem pertinebant. Illos duxerat inquirendi, disceptandique ardor; certo statuendi, definiendique studium hos ducebat. Meditabantur magis Graeci; agebant magis Romani. Sic inerat Romanis aequi justique sensus acerrimus, suum cuique tribuendi studium, juris rite distribuendi scientia, *Jurisprudentia.*

Sic quidem reputantem mecum, quam propria et sua prorsus Graecis fuerit Philosophia, Romanis vero Jurisprudentia, sponte me advertit philosophorum apud Graecos, et Jurisconsultorum apud Romanos existimatio et auctoritas. Et quandoquidem jam deinceps ejusmodi mihi disciplina tradenda erit, quae summa se commendat Jurisprudentiae cum Philosophia conjunctione, haud ineptum, aut a munere, quod auspicor, alienum existimavi, si verba facerem, *de insigni honore, quo habiti fuerunt, cum philosophi apud Graecos, tum Romae Jurisconsulti.* Quo in argumento tractando, A. A., ut mihi dicenti Vestra ne desit humanitas, etiam atque etiam rogo.

Nulla facile occurrit in Graecorum historia aetas, quae philosophandi non prodat acerrimum studium. In antiquissima eorum mythologia philosophiam prae se ferunt fabulae innumerae. Inquirentes rerum primordia, rudem fingunt indigestamque molem, contrariis refertam et agitatam elementis, quae ad mutuum consensum, ad praeclarum hunc naturae ordinem pervenerit, postquam natus fuisset Amor. Malorum, quibus humanum genus premitur, originem indagantes, simulque attendentes, quod iis adjunctum est, lenimentum et solatium, Pandorae arguunt donum, unde omnia in homines mala sint effusa, sola

spe

spe in fundo remanente. Sic mythologia a philosophia lumen accepit et commendationem; et philosophia quoque mythologiae suavitate et tunc et deinceps etiam exhilarata fuit atque ornata.

Referebantur ad religionem, ad cultum Deorum ea in primis, quae hominum existimatione maxime celebrarentur: relata eo philosophia fuit. Cernitur ea in Eleusiniis illis mysteriis, quae *initia* ut appellabantur, ita revera principia vitae continebant, quibus ex agresti immanique vita excultos ad humanitatem et migratos se esse Veteres profitebantur. Et quod deinceps in Socratica philosophia celebratissimum fuit effatum: γνῶθι σεαυτὸν, nonne idem illud antiquissimo tempore Apollinis Delphici templo inscriptum reperimus?

In viris, quibus ab antiquo inde aevo ingeniorum cultum debuerunt Graeci, inprimis censendi sunt poëtae. Fuerunt autem illi non minus philosophiae quam poëseos studio nobiles. Empedocles, Xenophanes, Parmenides, poëtae erant iidem et philosophi. Ac tantum abest, ut poëtarum Graecorum princeps, antiquae poëseos parens, Homerus, una hac arte eluxerit, ut optimi quique deinceps philosophi, ipse adeo philosophiae princeps, Plato, ex ejus carminibus mirifice profecerit.

Sed proprium fuisse Graecis et innatum prorsus hoc philosophandi studium, non ex fabulis tantum et sacris et carminibus efficitur; patet ex ipsa eorum lingua, non minus ad philosophiae ubertatem ac diligentiam, quam ad musicae suavitatem ficta atque composita. Quicunque enim post Graecos literis et philosophiae operam navarunt, tum demum accurate notiones suas enunciare sibi visi sunt, quando vel Graecas voces sua lingua susciperent, vel ad Graecae linguae rationem suam ipsi orationem componerent. Imo vero, quae ab exteris quibusque antea perperam universe *sapientia* vocata fuerat, in Graecorum primum sermone suum accepit nomen, Φιλοσοφία.

Non est igitur, quod miremur, A. A. insigni quodam in hac gente honore celebratos fuisse philosophiae studiosos. Ferebantur per omnem Graeciam sapientum effata et breves sententiae versibus fere comprehensae, quarum nonnullae ipsa philosophiae principia et fundamenta continere deinceps visae sunt. Summo honore, dum in vivis essent, et habebantur illi viri a civibus singuli

 suis,

suis, et afficiebantur a regibus et viris quibusque principibus; mortui autem monumentis honorabantur et sepulcris magnificis.

In tota Philosophiae historia haud facile reperiatur, qui tantum philosophando effecerit, quantum Socrates Atheniensis. Observaverant Orientales astra, stellarum motus, coelestia omnia. Quaesiverant quoque iisdem de rebus, occultis illis et ab ipsa natura involutis Graeci philosophi antiquissimi. Quae autem est progressuum ingenii humani ratio, ut a rerum physicarum consideratione ad naturae humanae cognitionem, ad morum disciplinam procedat, ita haec omnis morum et vitae philosophia Socrati accepta referri debet. Ex juvenum continuo animis eliciebat omnia; prava, si quae essent, vel rejiciens, vel ad virtutem flectens, optima quaeque alebat et confirmabat virtutis atque cognitionis semina. Quod agens, amorem simul pulcri et honesti in adolescentibus excitabat, quo ducti ad praeclara omnia sponte contenderent. Praeclarissimum hunc virum, tamque eximie de patria merentem, ut *civem* non tulit abjectorum quorumdam hominum invidia; sed ut *philosophum*, ut verae philosophiae auctorem summis celebrarunt laudibus tam posteri quam aequales. Admirabantur eum et suspiciebant principes in civitate viri, qui melius se liberis suis prospicere non posse putabant, quam si eos ad notitiam perducerent et familiaritatem Socratis. Per totam ferebatur Graeciam Delphici Dei oraculum, sapientiorem in Graecia Socrate esse neminem. Et vero quotquot deinceps exstiterunt philosophi et philosophorum Sectae, omnes, quasi probantes oraculi illius veritatem, e Socraticae certatim philosophiae fontibus placita sua duxerunt. Lapsae sunt posteriori aevo artes omnes elegantiores, ut desiderarentur fere musici, statuarii, sculptores, poëtae, oratores; sed Juliani etiamnunc temporibus florebat philosophia, a Socrate inducta et Platonicis commendata scriptis: nec clausae sunt philosophorum scholae, nisi Justiniani aetate, ingravescente ubivis ignorantia et barbarie.

Quo vero minus miremur, insigni hoc honore habitam esse in Graecis philosophiam, tenendum videtur, ad gravissima eam negotia, ad Reipublicae adeo administrationem esse a Veteribus adhibitam. Historicum opus condens suavissimus Socraticorum Xenophon, Cyrum ad optimi Regis exemplum adumbravit;

vit; sed historicam subinde fidem neglexit, quo magis Socraticae rationis praecepta in luce collocaret. Perfectam ingenio civitatem condidit Xenophontis condiscipulus et aemulus Plato. Disquirens autem, quibus hominibus Reipublicae dandum videretur imperium, tribuit illud philosophis, qui aeternas intuiti rerum formas, ad perfectum virtutis exemplar res accommodarent cum singulorum tum universae civitatis. Unde nata celebratissima Platonis sententia: „ Nisi philosophi in civitatibus imperium teneant, aut reges et principes qui nunc sunt, verae atque germanae philosophiae operam dent, et ita in unum incidant et potestas civilis et philosophia, non est malorum finis civitatibus nostris."

Nec vero ipsi tantum philosophi tam praeclare de philosophia existimabant: docet Graecorum historia, excellentes quosque apud eos politicos totos fuisse a philosophis excultos. Rexit Atheniensium civitatem summa prudentia Pericles: princeps Graeciae ut erat, ita Ciceroni dicebatur Epaminondas: nec quisquam Alexandro vel suscepit vel perfecit majora; singuli hi autem philosopho, quo usi fuerant, omnia referebant accepta, atque una cum illustribus eorum nominibus nomina celebrantur Anaxagorae, Lysidis, Aristotelis. Imo vero multae antiquitus civitates totas se philosophis regendas committebant. Septem, qui habebantur, sapientes, uno excepto Milesio Thalete, omnes praefuerunt civitatibus suis: ac ne dicam de Eleatico Zenone, aut Demetrio Phalereo, aut Critolao, Diogene, Carneade, qui philosophiae laude conspicui, gravissima gesserunt in civitatibus suis munera: universa fere Pythagoreorum familia, non minus rerumpublicarum administratione, quam philosophiae studiis inclaruit. Vere igitur pronunciavit Cicero, optimus sane hac in caussa et testis et judex: ,, a philosophis in Graecis non tantum mathematici exstiterunt, poëtae, musici, medici: sed etiam oratores, imperatores et rerumpublicarum principes, ex hac, tamquam ex omnium artium officina Philosophia, profecti sunt."

Habuerunt fere antiquae gentes, quos prae caeteris hominibus colerent et vererentur. Constat inter omnes, apud populos Orientales summa fuisse dignitate sacerdotes, quorum curae et providentiae non sacra tantum, sed res

 om-

omnes civiles et judiciariae committebantur. Pari loco habiti fuisse videntur apud Graecos philosophi. Haud censebantur enim in scholarum umbra delitescere, ac de rebus solummodo reconditis et abstrusis disquirere; prudentissimi aestimabantur mortalium, qui in civium oculis, in hominum luce habitarent, ac sapientia sua respublicas regerent. Nec vero Romanis defuerunt, quos simili studio prosequerentur. Quo honore coluerunt et populi Orientales sacerdotes, et philosophos Graeci, vel fallor equidem, A. A., vel eodem coluerunt et vero venerati sunt Romani, quos caeteris omnibus anteponerent, *Jurisconsultos.*

Summam omni tempore in Romanorum historiam vim habuit jus civile. Quae lites patricios inter et plebejos agitabantur, erant fere de pecunia credita. Una illa lex de debitore non solvente carcere includendo, opportunitatem dedit, ut secederet plebs in montem sacrum, rerum conversionis exsisteret initium, crearentur tribuni plebis. Decemviri legibus duodecim tabularum condendis instituti, iidem in civitate summum tenebant imperium. Erat omnino jus civile tam arcte cum jure publico conjunctum, ut distrahi a se invicem non posse putarentur.

A primis inde Reipublicae temporibus, juris studio se dederunt cives quique principes. Inclaruit amplissimis gerendis muneribus gens Muciorum, nec minus se commendavit eadem juris cognitione. Excelluit ea laude Publ. Mucius Scaevola, Pontifex idem et Consul, quem tanti deinceps aestimavit Cicero, ut profiteretur, se rogatum, quinam vere nominarentur Jurisconsulti, ex eo genere nominaturum esse cum Sex. Aelium et M. Manilium, tum P. Mucium. Neque illustri huic viro cesserunt postea Q. Mucii Scaevolae duo, alter Augur, Pontifex alter. Quorum hic dixisse aliquando fertur: „ Turpe esse viro patricio, et nobili, et causas oranti, jus civitatis, in qua versetur, ignorare." Qua admonitione excitatus Servius Sulpicius, ita se totum jurisprudentiae dedit, ut eum deinde caeteris, ipsis adeo Scaevolis anteponere non dubitaverit Cicero, juris civilis magnum dicens *usum* fuisse, et apud Scaevolam et apud multos, *artem* in hoc uno.

Quo igitur tempore rudis adhuc erat apud Romanos et inculta poësis, nec ul-

ulla habebatur literarum aut philosophiae commendatio, viri jam exstiterunt jurisprudentia praestabiles. Ducebantur scilicet Romani, ingenio ipsi suo, ad juris studium.

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere —

Et vere affirmavit Cicero: „cum multa praeclara majorum esse, tum quod optime constituti juris civilis semper in honore fuit cognitio et interpretatio."

Erant autem jurisconsulti illi probitate et dignitate conspicui. Dicitur Vellejo P. Rutilius Rufus, non modo sui saeculi, sed omnis aevi vir optimus; et Trebatio, Cicero contendit, hominem meliorem, virum prudentiorem esse neminem. Habebatur adeo jurisconsultis sancta quaedam veneratio. Erant enim fere vel fuerant aliquando Augures, Pontifices, muneris omnino dignitate venerabiles, qui patrio more sedentes in solio consulentibus responderent, senectutisque non inertis grato atque honesto fungerentur munere.

Romae dulce diu fuit et solemne, reclusâ
Mane domo vigilare, clienti promere jura.

Ad eos adeo discendi causa Romani accedebant adolescentes, non aliter atque ad Socratem confluxerat Graecorum juventus. Sic ad Scaevolam Augurem, quem modo memoravi, prima jam aetate ventitarunt, cum Cicerone, Aquilius Gallus, Sext. Papirius, T. Pomponius Atticus: Cicero autem tanto hunc virum amore prosequebatur, ut quoad posset et liceret, a senis latere nunquam discederet; eo vero mortuo Pontificem Scaevolam adiit, unum et ingenio et justitia praestantissimum civitatis virum. Jure igitur quaerit in dialogis de Oratore Crassus: „Senectuti celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? — Quid enim est praeclarius, quam honoribus ac reipublicae muneribus perfunctum senem posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non po-

populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant." Quibus celebratissimum hoc subjungit effatum: „ Est enim sine dubio domus jurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est hujusque Q. Mucii janua et vestibulum, quod in ejus infirmissima valetudine affectaque jam aetate, maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratur."

Pervenerant ad cultum summum Augusti aetate artes elegantiores; sed ut aliunde magnam partem inductae erant, ita tamquam peregrinae quaedam plantae, subito lapsae sunt et interciderunt. Jurisprudentia vero, quae una cum ipsa Republica exstitit, et coelo hic fruebatur ac solo suo, non artificiosa cultura ad praecocem quamdam maturitatem est adducta, sed sensim sensimque exculta, integra mansit et laete floruit, postquam caeterae artes ac disciplinae jam dudum defloruerant. Suus omni tempore apud Romanos constitit jurisprudentiae honos, nec minus sub Imperatoribus, quam libera Republica, insigni fuerunt auctoritate jurisconsulti. Prouti antea jus professi fuerant viri summis perfuncti honoribus, ita nunc qui jurisconsulti erant, ad magistratus admoti sunt.

Secundus habebatur ab imperatoria dignitate honos, consulatus. Ornati eo fuerunt, qui juris scientia inprimis erant nobiles, sub Augusto, Ateius Capito, sub Tiberio C. Cassius Longinus, magno proavo Serv. Sulpicio dignus nepos; qui, non exuto pristinae libertatis amore, frequenti aliquando senatu contra Neronis dominationem liberrime dixit sententiam. Atque uti jurisconsulti ad summos provehebantur honores, ita illustrissimi in imperio viri persona sua haud indignum habebant, publice jus administrare. Quod fecisse legitur, dum consul esset, ipse adeo imperator Hadrianus. Et profitebatur Antoninus philosophus, principibus se viris et consularibus lites dirimendas dare, quo magis eorum cum jure auctoritas cresceret.

Sponte hinc intelligitur, in ipsas adeo publicas imperii Romani caussas magnam fuisse jurisconsultorum vim et efficaciam. Verum enim non summis hi tantum muneribus honorabantur: inde ab Augusti aetate quam plurimi reperiuntur imperatoribus fuisse a consiliis; nec pauci ad usum eorum et intimam adeo amicitiam admissi. Quorum in numero, ut alios taceam, inprimis fuit Titus Aristo, quo viro nihil esse gravius, nihil doctius, nihil sanctius

ctius profitetur Plinius: tum etiam Neratius Priscus, qui tanta valuit apud Trajanum auctoritate, ut frequens fuerit eo tempore opinio, imperatori id animo fuisse, ut huncce jurisconsultissimum virum, non Hadrianum, successorem relinqueret. Quo magis vero deinceps exculta jurisprudentia, eo frequentius imperatores celeberrimorum usi sunt jurisconsultorum in administrando imperio auctoritate. Duo excitasse sufficiat, qui instar videntur plurimorum, Papinianum et Ulpianum; quorum ille summis functus honoribus, et Praefectus adeo creatus Praetorio, quod munus omnium habebatur honorificentissimum, Septimio Severo ita se probavit, ut moriens imperator ipsi unice filios suos commendaret. Nec cessit auctoritate praeclarissimo jurisconsulto Ulpianus, qui participasse adeo dicitur cum Alexandro Severo imperium, ac parentis loco ab eo cultus esse. Imo vero ideo summus fuisse Imperator Alexander Severus perhibetur, quod Ulpiani maxime consiliis rempublicam rexerit.

Sic quidem, quo tempore felicissima fuit Romani imperii aetas, sub Nerva, Trajano, Hadriano et Antonino utroque, eo tempore jurisconsultorum opera gubernatum fuit imperium. Philosophos civitatibus Graecis praeesse oportere contenderat Plato: Romae reipublicae administrandae praefuerunt Jurisconsulti; et si Romanum aliquem Platonem fingere nobis possimus, aut fallor, aut statuisset, rempublicam beatam nullam fore, nisi quae jurisconsultorum regeretur auctoritate.

Vidimus ita, A. A. qui honos fuit in Graecia habitus philosophis, eundem Romae tributum esse jurisconsultis: quod magis etiam patet, quo diligentius artium doctrinarumque in utraque gente consideramus rationem. Sed haec animadversio cum late pateat, valeatque mirifice ad utriusque hujus gentis studia, opiniones, disciplinas, res adeo civiles et publicas interius perspiciendas, age, adjiciamus pauca, quibus haec caussa magis etiam illustrari videatur.

Viguit eloquentia in civitatibus antiquis, Atheniensi inprimis et Romana; sed in utraque e diverso effloruit disciplinarum genere. A philosophis apud Graecos suam repetabant institutionem oratores. Anaxagorae discipulus fuit Pericles, Socra-

oratis Isocrates, Platonis Demosthenes. Romae vero a jurisprudentia praesertim laudem et commendationem duxit eloquentia. Oratorem juris civilis expertem neque bonum neque probabilem esse ullum, contendit apud Ciceronem cultissimus Crassus, qui exemplo ipse suo docuit, eloquentiam juris scientia carere non debere: dictus enim Ciceroni fuit disertorum consultissimus, prouti Scaevola consultorum disertissimus. Posteriori tempore quum intercideret eloquentia, jurisprudentiam ea habuit, quo se reciperet, perfugium. Oratoris evanuit nomen: Jurisconsulti tantum manebat appellatio, quae utrumque contineret.

Summum fuisse in Graecia philosophiae studium, inde patet maxime, quod ex opinionum diversitate tot in philosophia sectae natae sunt. Sectam philosophorum, quae Romae sit orta, nullam reperimus. Habuerunt tamen Romani sectas quoque suas, non philosophorum illas, sed jurisconsultorum. Celebrantur Massurius Sabinus, Cajus Cassius Longinus, Proculus, Pegasus, qui singuli jurisconsultorum familiis suum dederunt nomen.

Et dici plane jurisprudentia potest propria quaedam fuisse Romanorum philosophia. Erant jurisconsulti philosophi, veram, ut profitebantur ipsi, non simulatam affectantes philosophiam. Etenim agere considerate pluris existimantes quam cogitare prudenter, veri studio a rebus gerundis abduci contra officium putabant; virtutis laudem omnem in actione ponebant. Ita factum, ut jurisprudentiam probaverint tamquam ejusmodi philosophiam, quae ad vitae usum et negotia civilia pertineret, eorumque jurisconsulti illam sequerentur omnes philosophorum sectam, quae acerrimo duceretur aequi justique studio. Imo vero, quibus verbis Graeci philosophiam, iisdem Romani jurisprudentiam appellare solebant, rerum divinarum et humanarum scientiam.

Prouti igitur in Graecia philosophi omnem fere tenebant rerum et consiliorum prudentiam, sic ad jurisconsultos Romae non solum de jure civili, sed de omni quoque aut negotio aut officio referri solebat. Philosophia apud Graecos omnes fere artes et disciplinas complecti existimabatur; pariter autem universam rerum agendarum peritiam censebatur comprehendere Romana

ju-

juris dicsiplina. Ita dicta ea universa est *Prudentia*, et *Prudentes* appellati sunt jurisconsulti.

Ita quidem, ut omnibus caeteris disciplinis philosophiam praetulerant Graeci, sic caeteris quoque, ipsi adeo philosophiae, jurisprudentiam anteposuerunt Romani: quod melius et efficacius exprimi nequit, quam efficacissima Crassi apud Ciceronem sententia: „Fremant omnes licet: dicam, quod sentio. Bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur duodecim tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare."

Satis mihi dixisse videor, A. A. de philosophiae apud Graecos et jurisprudentiae apud Romanos cultu et honore. Nec mirum ita nobis accidere potest, recentiores quasque gentes, philosophiae Graecos, jurisprudentiae Romanos tamquam optimos adhibuisse duces et magistros. Uti autem commune est quoddam artium et disciplinarum vinculum, et omnes quasi cognatione quadam inter se continentur, ita reperiemus, haud alienos fuisse a juris studio optimos in Graecia philosophos: celebrari autem in primis jurisconsultos Romanos, qui conjunxerunt cum jurisprudentia philosophiam. Agitabantur fere Athenis Sophistarum controversiae de justo et aequo, quod alii ab utilitate repetere, alii ad virtutem referre solebant. In immortali Platonis et vere philosophico de Republica opere, adolescentes occurrunt cum Socrate de *justitia* disputantes, cujus vim et rationem acerrimo studio exquirunt. Atque idem Plato, quo magis aetate procedebat, eo propius accessit ad juris civiliis doctrinam. In dialogis de legibus quos senex scripsit, senes induxit juris publici studiosissimos, et coloniae, quam fingunt, leges civiles tradentes. Quodsi de Romanis quaerimus, qui jurisprudentiam conjunxerunt cum philosophiae studiis, plerique se professi sunt Stoïcos philosophos; celeberrimus autem omnium, M. Tullius Cicero, in excellentissimis haud minus philosophis, quam jurisconsultis censetur. Is enim e sancto illo hauriens augustoque Platonis fonte, dignitatem adjunxit jurisprudentiae, quam adhuc requirebat. Uberius et latius jus esse tractandum censuit, quam forensis quidem usus desideraret;

non unice de stillicidiorum ac parietum jure disputandum, nec tantum stipulationum et judiciorum formulas a jurisconsulto esse componendas. Majora spectabat et graviora. Complectenda ipsi videbatur tota caussa universi juris ac legum. Quapropter non a Praetoris edicto, neque a duodecim tabulis, sed penitus ex intima philosophiae hauriendam esse juris disciplinam putabat. Fontem enim indagandum esse juris et legum: naturam declarandam esse justi, eamque ab hominis repetendam natura. Qua via progrediens ad celeberrimum pervenit effatum: „Natura, non opinione jus constitutum esse," et naturae celebravit legem, quae saeculis omnibus nata est, quam scripta lex ulla, aut quam civitas constituta, quae et omnes gentes continet, et omni tempore una lex est et sempiterna et immortalis.

Hunc in modum jurisconsultorum eloquentissimus, philosophiae luce et collustrans et commendans jurisprudentiam, signum sustulit, quod summi quique, recentiore etiam aetate, jurisconsulti secuti, ad veram juris scientiam atque immortalem gloriam pervenerunt.

Detulit nos ita, A. A. orationis cursus ad arctam, quae jurisprudentiae intercedit cum philosophia, necessitudinem. Utramque autem disciplinam conjunctim tractare, ut cuivis convenit, qui vero nomine dicatur, jurisconsulto, sic illum decet inprimis, qui ad haec studia capessenda juventuti se ducem praebet. Et est sane haec temporum nostrorum felicitas, ut qui maxima sunt in legum interpretibus, in juris doctoribus fama et celebritate, iidem non minus elegantiorum literarum philosophiaeque studiis, quam ipsius juris doctrina excellant. Animo impressam tenemus imaginem viri, qui philosophiam et jurisprudentiam omnem ingenio complexus, illustre nobis exstitit jurisconsulti exemplum, quod admiremur, suspiciamus, revereamur. Video me vobis intelligi, A. A. Crassum memorantem, illustris hujus Athenaei, dum viveret, lumen et ornamentum summum, qui morte nobis ereptus, animis tamen imo oculis etiamnunc inhaeret nostris, quem desideramus, lugemus omnes. Hic enim qua fuit ingenii doctrinaeque diligentia et ubertate, suo ipse exemplo Ciceronianam probavit sententiam, omnium esse artium et doctri-

trinarum vinculum, quod philosophia contineatur. Limitibus non retentus quibus multi juris disciplinam continuerant, conjunxit eam cum elegantiorum literarum, universae historiae, inprimis philosophiae studiis. A philosophia potissimum repetendam censens jurisprudentiam, veteres habuit, quos diligenter tractaret, philosophos, et unde tanquam e puris limpidisque fontibus, optima quaeque hauriret. Nobilissimum continuo usurpans Ciceronis sui effatum: » Natura non opinione jus constitutum esse" inde cum universe juris naturalis causam atque praestantiam aperuit, tum ejus cum jure civili summam probavit conjunctionem. Ita quidem illum sibi informavit vere jurisconsultum, qui ex aeternis naturae decretis, quid justum sit aut injustum, cognoverit et perspexerit; qui hominum et civium, civitatum et gentium jura atque officia, non ex opinionis quadam temeritate, sed ex certi judicii diligentia possit explicare; cujus moderatione et sapientia non solum privatorum hominum, sed totius etiam civitatis salus contineatur. Talis effigiem jurisconsulti in Grotio nobis spectandam reliquit, quem quum adumbraret, nescius ipse erat, quam vere sui ipsius imaginem depingeret. Verum abest a mea tenuitate tanti viri rite celebrandi facultas. Exspectat et nanciscetur certo laudatores, viros laudatos, a quibus laudari pulcrum putatur. Et vero ut scripta reliquit vir summus, laudum suarum perennia monumenta, ita prodierunt ex ejus institutione, qui suis meritis ac laudibus sponte viri memoriam celebrant. Sunt in patria nostra, et vero videtis, A. A. in hoc amplissimo consessu, cultissimos quosque et humanissimos viros, caussarum patronos consultissimos, judices integerrimos, Crassi quondam discipulos, a Crasso omnis sibi cultus et humanitatis initia repetentes. Videtis principes in hoc regno et civitate viros, e Crassi pariter profectos disciplina, vel reipublicae administrandae admotos, vel rebus civitatis gerundis occupatos, vel etiam ipsius ad exemplum juventutis optimae ad doctrinam et humanitatem omnem duces praestantissimos. Videtis, quibus, ut Crassus gloriabatur tamquam discipulis suis, ita nunc patria gloriatur ut vindicibus suis atque ornamentis primariis. Ita sane felicem eventum spes illa habuit, quam ex hoc ipso loco ante hos quadraginta quinque annos se fovere, vir summus professus est: » fo-

re, ut amplissimae hujus urbis et forum et tribunal et senatum videret aliquando viris ornatum, qui ex disciplina sua profecti, patriae, urbi juxta ac toti reipublicae praesidio, universae vero nationi suae essent ornamento." Quae viri vota tam praeclare expleta esse, et patriae nostrae, et nobilissimae huic civitati, et vero Athenaeo huic illustri, quod per dimidium adeo fere saeculi ornavit, ex animi sententia gratulamur.

Cogitanti autem sic mihi, A. A. quot et quanta fuerint Crassi in hanc Musarum sedem merita, arduum sane in se munus suscipere videtur, qui provinciam ab ipso relictam administrare sustineat. Quodsi reputo, viri Ampl., civitatis hujus Consules et Athenaei Curatores, mihi hanc provinciam a vobis mandatam esse, mihi tradendas esse gravissimas illas jurisprudentiae disciplinas, jus naturae, jus gentium, jus publicum, quas ille tanta et doctrina et suavitate et vero eloquentia tradidit; fateor, vos beneficium mihi praestitisse, mea exspectatione majus, summum sane et immortale; sed obrui me fere et premi tanti muneris difficultatibus. Mea enim hac juvenili aetate nihil a me exspectari posse, quod ad summi decessoris laudem et merita accedat, facile intelligitis. Verum, quod possum, illud praestabo. In docendo, in juventute instituenda, in iis praesertim tradendis disciplinis, quas olim docere vir summus consueverat, illius imaginem ante oculos habebo, et eo quidem melius et officio meo, et vestro judicio me facturum satis putabo, quo magis ad illius laudem aliquo modo accedere mea institutio possit.

Quodsi autem aliquid in me est facultatis, quo muneri huic, quod obeo, gravissimo et honorifico, non plane sim defuturus, id omne iis gratum acceptumque publice refero praeceptoribus meis optimis, qui praeceptis suis atque institutione me informarunt. Sive enim historica agitur et philosophica juris consideratio, Rhoerium, virum summum, auctorem habui, quem qui juris naturae et gentium principia exponentem aliquando audiverit, non potest non summam suspicere viri cum humanitate conjunctam doctrinae ubertatem. Sive quaeritur de jure Romano, ejusque ortu, progressione ac praestantia, te, quem praesentem intueri licet, cl. Arntzeni, ita haec ex-

po-

ponentem, et ex primis fontibus repetentem audivi, ut eximia tua institutione Romanorum hac in caussa excellentia me adverteret totum ac teneret. Nec vero minus in juventutis meae commodis ac suavitatibus censeo, te mihi obtigisse praeceptorem, cl. de Brueys. Uti enim ad accuratiorem interioremque juris cognitionem discipulos adducere soles, ita tu mihi quoque cum universe, tum in juris hodierni institutione optimus exstitisti dux atque auctor. Tibi vero cl. Heusdi, literarum me debere et humanitatis omnino disciplinam, et lubens et gratus profiteor. Nam ut juvenum animi ad alia studia tum demum optime adducuntur, postquam venustioris doctrinae amore primum sunt imbuti; ita quae tuae est institutionis vis et praestantia, juvenilem mihi animum conformasti totum, ut elegantiorum literarum, universae historiae, nec minus philosophiae ardore ductus, alacriter deinceps ad jurisprudentiam tenderem. Sed, quominus de tua disciplina, ac de te ipso ea dicam, quae penitus animo sentio, quaeque praedicare omnium mihi foret jucundissimum, tuus me vetat pudor et infantia mea. Illud unum addo, vitae ac morum tibi me debere institutionem; te praeceptis, monitis, consiliis, mihi affuisse semper; te denique ut alterum patrem mihi omni tempore esse colendum. Hoc sane omnibus commune est, quos diligo ac veneror, praeceptoribus meis; lectionibus non solum publicis mihi profuerunt, sed benevolentia et amicitia adeo me prosecuti sunt omnes. Mihi igitur, discipulo vestro, in hunc honorificum locum evecto, numquam quaeso desitis.

Vos autem cum intueor, illustris Athenaei Professores clarissimi! ad pudorem me movet cogitatio, in tantorum virorum ordinem me collegam esse allectum. Una est, quae animum reficit, vestra humanitas, qua juvenem benevole jam et amice excepistis. Ne dubitatis vero, quin et studio et voluntate id maxime sim acturus, ut hujus Athenaei celebritati, quam vos jam sustinetis, nequid per me decrescat. Quod ne fiat, te rogo potissimum, cl. Reeneni, ut faveas mihi, consiliisque tuis adsis. Ut tuo tu jure in primariis censeris Crassianae scholae alumnis et ornamentis, sic una tecum viri summi et memoriam colere et praecepta sequi, officium mihi erit sanctum et oblectamentum summum. Nos ita quaeremus una, quae via et ratio studiorum commodis

quam

quam maxime inserviat, eâque progredientes, mutua ope, communicando, monendo, favendo, provinciam nobis traditam tuebimur. Quis vero jurisprudentiae in hoc Athenaeo professionem adiens, tui non sponte recordetur, cl. Kempere, qui una cum summo Crasso olim juventutis Amstelodamensis dux fuisti ad optimam juris cognitionem. Quatuordecim fere sunt anni, quod te, dilectissimum antea discipulum, socium ille nactus est gloriosi laboris. Quo omni tempore ut conjunctissimum te habuit sibique carissimum amicum, ita gloriari fere solebat, talem virum e sua prodiisse institutione. Ut autem tu es in primariis hac aetate juris antecessoribus, ita tuis etiam consiliis et monitis ut mihi prodesse velis, humanissime rogo. Et quandoquidem, cl. Lennepi, nostris, quae colimus, studiis arcta intercedit conjunctio, tuque generosae indolis juvenes eo soles imbuere venustiorum literarum amore, ut aliis deinceps disciplinis operam navantes, institutionis tuae elegantiam referant perpetuo et veluti spirent; tuam item, vir cultissime, opem hic publice imploro, ut e scholis hisce nostris non docti tantum, sed et culti prodeant vereque eruditi jurisconsulti. Et sic quidem ego, viri clarissimi, ad vos nunc accedens, jucundissimi fructuosissimique laboris socius, pietate vos colam et observantia: vos, quaeso, benevolentia me et favore prosequimini.

Vos etiam compello, qui bonarum artium studiis, jurisprudentiae praesertim, in hoc Athenaeo operam navatis, juvenes ornatissimi. Vidistis, quam ad cognitionem fructuosa sit omnis humanitatis cum juris disciplina conjunctio. Vidistis eam celeberrimorum virorum, ipsius adeo Crassi vestri, exemplo et auctoritate commendari. Hoc iter nos quoque ingrediamur, et me, quaeso, viae accipiatis comitem, aut ducem, socium omnino, qui aliquanto diutius in his studiis versatus, porro vobis exquirat et indicet viam, qua ad uberrimum contendatis disciplinae fructum. Fidem do, optimi commilitones, et pactionem vobiscum ineo, studiis me vestris numquam defuturum; imo id ipsum unice me acturum esse semper, ut quantum possim, vestrae utilitati vestrisque commodis quam optime consulam.

ERRATA in Orat. V. Cl. DEN TEX.

Pag.	9.	vs.	8. migratos	*lege*	mitigatos
—	11.	—	25. Graecis	—	Graecia
—	14.	—	3. hujusque	—	hujusce
—	15.	—	4. exculta	—	exculta est
—	17.	—	1. dicsiplina	—	disciplina
—	—	—	22. civiliis	—	civilis
—	18.	—	5. philosophiae	—	philosophia
—	20.	—	2. discplina	—	disciplina
—	—	—	— patria	—	patriae

DAVIDIS JACOBI VAN LENNEP,

J. U. D. HIST. POES. ELOQ. ANTIQUIT. LITT. GR. ET LAT. PROFESSORIS,

PARENTALIA

IN

HONOREM AC MEMORIAM

HENRICI CONSTANTINI CRAS,

VIRI OPTIME DE ILLUSTRI AMSTELODAMENSIUM

ATHENAEO MERITI,

EX AUCTORITATE

AMPLISSIMORUM

CONSULUM

ET

NOBILISSIMORUM ATHENAEI

CURATORUM,

D. XI OCTOBRIS CIↃIↃCCCXX.

IN ATHENAEI MAJORE AUDITORIO

PIO CARMINE

CELEBRATA.

IN

HONOREM ET MEMORIAM

CRASSI.

Coeli summa petens jam non Phoebeïus ignis
Urbibus exoritur gravior, penitusque latebras
Quaerere nos gelidi ruris jubet, inque reducta
Valle diem segnes consumere inertibus horis.
Temperat autumnus solem; cessere calores,
Et finem piger annus habet. — Vigor ecce resurgens
Omnibus, ignavum mentis damnare veternum
Cogit et urbanos feriis praeferre labores.
Clausa diu castae reserantur templa Minervae,
Limen et ipse suum laurusque revisit Apollo.
Conveniunt juvenes ad sacra, piumque decoro
Ostentant vultu doctrinae et laudis amorem:
Sponte sacerdotum queis se chorus omnis ad aram
Sistit et ingenti studio veneranda revelat
Orgia. — Sed tamen, ut lucem proferre parantis
Saepe pruinosos Phoebi nebula impedit ortus,
Talis fronte viris male dissimulata nitorem

Fuscat et egregiis se cura paratibus infert.
Heu! par est lugere. Iaces fidissime ductor
Nempe chori, longum thiasis spectate per aevum
Praesul et usque tuis exemplum insigne vigoris,
Crasse, jaces. — Nos te positum pia turba feretro
Vidimus, ad funus venientes sponte magistri
Discipulorum agmen, tibi nota et fida caterva;
Pars meritis et honore graves, canisque verendi;
Pars, quibus ad gestus modo vita evecta viriles;
Pars, quae nuper adhuc suspensa docentis ab ore
Tramite virtutis juvenilem ponere gressum
Discebat, studiis formans se juris et aequi.
Stabant dissimiles aevo, pietate animisque
Conjuncti, attonito spectantes lumine bustum.
Orba suo triplex doctore cohorruit aetas!
Non hic cernere erat magnae spectacula pompae;
Non, quae vulgus hians caperent funebria fastu:
(Quanquam, si per te licuisset, Crasse, supremis
Nulla tuis cives facile ornamenta negassent,
Quae tribui posito vetuit tua sola voluntas.)
Verum aderant magni verique insignia luctus,
Humentes oculi pariter juvenumque senumque,
Squalentes vultus et lamentabile murmur.
Ipse ego crudeli tremefactus membra dolore,
Laudator tumulo superadstans, edere justos
Vix potui questus et congrua verba sepulcro.
Nunc desiderium capitis venerabile cari
Non cessare sinunt doctis redeuntia sacris
Tempora, et ipsa frequens ad Palladis atria pubes:
Sed minus est crudum vulnus, nec ut ante tumescens
Quantumvis lenem tactum aversatur et horret.

Me

Me quoque post magnum cruciati pectoris aestum
Mitior affectus patitur jam quaerere dignos
In laudem tibi, Crasse, modos, nitique canendo
Nostra tuis meritis spectetur ut aequa voluntas;
Et, quo saepe loco tua vox aliisque, mihique
Praeclarum teneris studium instillavit honesti,
Mascula facundis implens hortatibus aures,
Hoc tibi jam digno praeconia reddere cantu.
  Scilicet Ausonias conanti impellere chordas,
Promptior his fautrix venies mihi, Musa, choreis,
Promptior hoc mihi, Musa, loco. Nam servat honores
Hîc vetus ara tibi, tuque ipsa lubente solebas
Palladis haec celebrare frequens penetralia gressu,
Burmanno pulsante chelyn! Mihi nunc quoque vultus
Huc adverte bonos, fidibusque modisque Latinis
Priscum redde decus, Crassoque haec munera dona.
  Summi nata Jovis, Pacem Eunomiamque sorores
Quae vocat, ipsa quidem superas colit aurea sedes
Iustitia et semper solio patris adsidet alto:
Nec tamen invidit prorsus sua lumina terris,
Usque sed aetherea radios demittit ab arce,
Mortales inter penitus quibus alta coruscant
Tecta Deae, saxo surgentia templa vetusto,
Naturae fundata manu. Viget inde perennis
Flamma foco, rutilatque adytis venerabile lumen.
Mirantes spectant populi, sanctaeque pavescunt
Religionem aedis, firmoque adamante columnas,
Mansurum seclis opus, invictumque procellis.
Mentis at egregiae quosdam rapit igneus ardor,
Ut propius sacras cupiant accedere flammas,
Splendoremque arae, legere et praecepta severi

Iuris, in aeterno fixa atque incisa metallo,
Cognita quae doceant servare fideliter urbes.
Hac pietate olim prudentia dia Solonis
Cecropias justis stabilivit legibus arces;
Hac te, Roma, tuus quondam Numa juvit et ingens
Hinc chorus interpres juris, populoque Quiritum
Caesaribusque suis verissimus arbiter aequi,
Te quoque, Crasse, idem generosi pectoris aestus
Compulit ad sanctae juvenem sacraria Divae.
Erigat et celsum rupes licet ardua templum
Et grave per spinas iter anfractusque laboret,
Tu faciles duro posuisti tramite gressus.
Fallor, an adscensum loca per salebrosa paranti
Mox tibi ab Elysia comites se valle tulerunt
Tullius auxilio veniens et Grotius ultro,
Straveruntque viam juga per fragantia multo
Flore thymi, blandisque apium exhilarata susurris,
Quaque rosas posses et odoras carpere lauros.
Ipse quidem studium hinc praesigne rependis utrique,
Exemplumque secutus et hujus et illius, ambos
Laudans usque colis noxaque tueris ab omni.
Iamque Deae claram felix adnisus ad aedem
Exsultante gradu properas. Stat limine templi
Blanda serenatum praebens Sapientia vultum,
Latius et celeri pandit tibi cardine valvas. —
Quam cupido lustras ibi protinus omnia visu!
Quam recreas mentem et vivo te lumine pascis!
Hinc tibi jura patent, non, quae per iniqua tyrannus
Imperia imposuit populis et sanguine sanxit,
Non, variante fori strepitu quae multa tribunus
Plebis ad arbitrium fixit levis atque refixit,

Hu-

Humanae placita et commenta volucria mentis,
Lux hodierna viris quae fert et crastina tollit,
Sed, quibus aeternam coelesti ab origine cretis
Vim natura dedit, servatque illaesa per aevum
Et penitus sancto justorum pectore condit.
Haec legis, haec imis avide praecepta medullis,
Crasse, animoque hauris, ardesque intégra tueri.
Laetius hinc nitet aede jubar, faustaque relucet
Fronte tibi. Sacer ipse aris micat altius ignis.
Accedis, rutilamque capis, quam te Dea jussit
Lampada ferre suam, lateque hac fundere lumen. —
  Quem vero ad populum venies? quem munere dulci
Doctrinae linguaeque tuae, venerande, beabis,
Antistes lectus Divae sacrique magister? —
Ad cives pater Ya suos te numine dextro
Promptior ecce vocat. Tibi nec sprevisse vocantem
Mens tulit. Ipsa placet studiis urbs clara virisque,
Qua vetera et laetis olim celebrata hymenaeis
Majugenae clemens servat connubia Pallas.
Hujus in aede locus te flagitat et sibi poscit,
Alta ubi juris erat pridem fundata cathedra,
Sed nunquam tanti studiis ornata magistri.
Hanc colis, hanc unam tibi deligis, inclyte, sedem;
Hanc aliis praefers, quamvis speciosa feratur
Conditio, statioque tibi; nec Vossia virtus
Amsteliae meritis magis est spectata Minérvae,
Nec mage Burmanni Musa ingeniosa Secundi,
Quam tua, Crasse, fides vigilansque et certa voluntas.
Qualiter, irriguo cum flos novus exstat in horto,
Puniceos pandens verno sub sole colores,
Ambrosiasque comis exspirans mollibus auras,

Mox

Mox et apes adsunt et sedulitate frequenti
Circum omnes strepere et nectar sibi tollere certant.
Sic laudem, famamque tuam, ingeniumque secuta
Mox tibi densa fremit circum subsellia pubes,
Attentaque bibit tua dicta fideliter aure:
Cui quid non tribuis? Solemnem gnavus ad horam
Seu venis et comem vultum exspectantibus offers,
Et tibi quae longo meditata et culta labore,
Nunquam culta satis tibi sed quae credita, promis,
Et subito his monitis nova promptus et impiger addis,
Suetus et historias, veterumque exempla virorum
Inserere et mira docilem capere arte juventam:
Sive, illi inter se verbis cum proelia miscent
Ludicra, pro vero pugnans hic, alter iniquae
Patronus causae, magnoque ardore feruntur
Mutua certantes, simulantque forensia bella;
Tu pugnae moderator ades, lapsosque benignus
Erigis, et trepidos firmas, causaeque vagantes
Restituis, victumque vetas succumbere verum:
Sive aliquem egregiae cum signa ostendere mentis
Laeta vides juvenem, currentique ocyus acres
Ad laudem huic stimulos plausuque et vocibus addis;
Mox rapiente suum tenera virtute tropaeum,
Toto animo gestis et jam velut ipse triumphas,
Surgentemque levas famam et bonus instruis alis;
Magna ferens subitae populis praeconia palmae.
Quid mirum, invicto si te quoque semper amore
Grata juventa colit venerans, animumque rependit?
Mens ea pro caro quantum est spectata magistro,
Vesani cives cum exutum hunc munere vellent,
Indomitos plebis male turba secuta furores!

Cau-

Causa quidem et sceleri praefertur sancta Dearum
Libertas! Nempe illius tu rite colendae
Diceris ignarus, tu, Crasse, alienus ab illa,
Quo quisnam melius mortales foedere ab aequo
Naturae, in socias venisse ostenderat urbes,
Liberaque humano generi procedere jura?
Ipse manes veri constans rigidusque satelles
Et, dulci quamvis, potius decedis honore,
Quam generosum animum tibi formula legis iniquae
Obliget, atque odii juris in verba maligni.
Dîs melius cautum. Nubes inimica recedit,
Exemploque tuo firmata valentius omni
Praecepto, cunctis ratio inculcatur honesti.
Tu, ceu victor ovans, laurum deponis amatae
Palladis in gremio, totus cui deditus uni
Coeptum pergis iter, cui cuncta tropaea reservas.
Splendidus Amsteliae nitet hinc tholus aede Minervae
Muneribus crebris, nec lumen deficit unquam
Aede tuum, sacro nec limine turba minorum,
Nobile quam templi decus allicit et tua virtus.
Hanc admotam aris lustras pius igne verendo,
Participesque tuae reddis facis, inque severam
Instituens formas artem, monitisque figuras.
Prodiit hinc quantus patriae chorus! o tibi quantas
Illa virûm dotes et fortia debuit ausa!
Ut totam penitus, Crasse, instruis! Ecce tuorum
Discipulorum alius causis clarescit agendis,
Vel sedet interpres legum, dubiosque gubernat
Consilio, et motas gestit componere lites.
Ast alius celsum judex gravitate tribunal
Condecorat. Fasces alius gerit. Ille juventae

Fautor adest studiis et Palladis otia curat
Mitis. At hunc summis agilis solertia rebus
Inserit et magni partem facit esse senatus,
Vel latus ad regis censere quid utile regno.
Sunt etiam, cari vestigia docta magistri
Qui propius legisse velint, ipsique ciere
Discipulos, ipsi nomen meruisse docendo.
Omnibus instar habes venerandi, Crasse, parentis,
Omnibus his sensum tribuens, animumque parentis.
Horum quippe viges successibus; hos colis acer;
Horum laude tuam oblectas, vegetasque senectam.
Quid refero? Tibi nil quamvis longaeva senectus
Detrahit. Invicto pergis pede, corpore celsus.
Non manus officium calamo, non lumina libris
Fessa negant. Vitae licet octogesimus annus
Adsit, ut ante, vacas studiis, doctumque per orbem
Vulgas scripta, citas animi testantia vires.
Sic se Romulidis antiquo tempore Varro
Gessit, et annosi vis indefessa Catonis:
Sic senii domitrix Isocratis aurea virtus
Dulcibus attentas studiis hilaravit Athenas.
Atque utinam plenos aequare Isocratis annos
Prospera cunctorum votis tibi fata dedissent,
Saltem aut Palladii, quod jam currebat, honoris
Te decimum haec aedes vidisset claudere lustrum.
Quos plausus non illa dies, laetosque tulisset
Temporis exacti admonitus, quam grata tuorum
Pectora, quos vultus, et murmura blanda faventum!
Quod si ora alloquiis solvens (animusque ferebat)
Ipse tuum hunc coetum festo sermone beasses:

Ut

Ut te, mellifiua superantem Nestora lingua,
Ad coelum altisono populi clamore levassent,
Et superare ipsum vovissent Nestoris aevum!
Me quoque jam a teneris tibi dedita corda gerentem
Lux ea non tacitum aut citharae sivisset inertis;
Carmine sed facili mea tum tibi vena, ferentes
Nacta vias, rapidi properasset fluminis instar
Cursibus irriguis per florida prata voluti.
Nunc numeros luctus cohibet, sistitque fluentes
Et Musam desiderium grave tardat amici.
Heu! quanquam senior, quanquam vulgaria multum
Actibus atque annis superans fastigia vitae,
Raptus es ante diem. Pridem ut quae gloria ruris
Ulmus, ab innumeris culta et celebrata colonis,
Illa quidem affecta jamjam radice labascit,
Sed tamen antiquas servat bene frondis honores,
Et, sinerent Boreae si flabra furentis, amicum
Vitibus, ut quondam, auxilium fulcrumque tenellis,
Atque umbram juvenum poterat praebere choreis:
Sic quoque te fessi non languor inutilis aevi,
Crasse, tui inmemorem supremae tradidit horae:
Firma sed extremo vestigia limine vitae
Ponentem, heu! nimii vis perculit effera morbi.
Crasse, jaces! Niveam posuit tibi turbida vestem
Iustitia, et sacris advertens pallida vultus
Aede sua rutilum tulit intabescere lumen.
Ferale auditum est per Palladis atria murmur.
Attoniti circumspiciunt juvenesque senesque
Nequicquam, pavidique oculis te, Crasse, requirunt.
Ut si celsa Pharos, dubiis lucere carinis

Sueta, repente facem abscondat, vel turris ab aevo
Littore conspicienda procul, Iovis ignibus icta
Prociderit, per transtra viros stupor ocyus omnes
Occupet, incipiantque ipsi trepidare magistri:
Sic tua te pubes, sic nos te, Crasse, relicti
Quaerimus, incassum magna te voce cientes.
Tu ductor, tu praesidium, columenque tuorum,
Tu pius Amsteliae stator, et tutela Minervae
Dulcis eras; per te laudis tenet inclyta culmen.
Huic tu qualis abes! quae tecum amisimus orbi!
Viribus ingenii summis industria felix
Aequa tibi, nullo fracta aut lassata labore,
Sedula miratrix veterum, sed et usque recentum
Artibus adjiciens operam placitisque notandis:
Quae studia haud summus victo jam corpore morbus,
Haud instans potuit penitus tibi pellere fatum:
Nempe alacer, totusque vigens et fortis agebas!
Propositi constans ratio tibi, quodque probasses
Acriter hoc animi retinebat firma voluntas,
Instabatque aliis inculcans voce diserta.
Quale tibi eloquium! Suadae quam culta Latinae
Gratia, ad exemplum currens Ciceronis amati!
Ponderaque effatis suberant, et acumine mentis
Chrysippo dubiam potuisses reddere palmam,
Gnarus item intuitu naturae prima sagaci
Principia et finem quaesisse bonique malique.

Sed interveniens modis severis
Quid plectrum mihi corripit Thalia?

Vultu quid jubet innuens venusto?
Vult partem sibi carminis relinqui:
Vult partem sibi vindicare Crassi.
En muto, Dea, te jubente, chordas,
Heroi pedis et sonum remittens
Blandis ludere gestio phalaecis.
Tu, nam scis bona, dic viri lepores;
Dic molles aditus et os benigna
Vel parvis hilarum allocutione;
Dic frontem sine nube suspicaci
Et, quam non tetricae litans Minervae
Iucundus sator elegantiarum
Et festis bonus arbiter Camenis
Et multi fuerit salis jocique.
Quid? post innumeri diem laboris
Et magnos operae feracis actus,
Cum jam quaereret otiis remitti,
Iam convivia, praesidens amicis,
Et lenes Bromii choros cieret,
Vt cunctis erat optimus magister
Vini, laetitiae, levis cachinni;
Quem vellent juvenes senem sodales
Semper dulcibus imperare cenis!
Quondam Cecropis urbe sic juventus,
Festivum dape Socratem probavit!

Tali cum Sophie nitore prodit,
Quem non coetibus elicit favorem?
Quanta in se studia excitare vulgi,

Quam multos potis est beare alumnos?
Per te, Crasse, suos decens honores
Omnes rettulit, et vigente Crasso
Haud ullas metuit sibi tenébras.

At nunc Elysiis, beate, campis,
Qua lucos chorus incolit piorum,
Degis, Grotiadae tuo propinquus,
Nobis sed procul et procul palaestra,
Quae tantum tibi debuit bonorum.

An rursum numeros novare plectro
Et tristes Elegos lyra sonare
Hîc jam convenit? Haud puto licere!
Quid? vitae melioris ut quietem,
Quid? vitae melioris ut beatam
Sortem nos malus invidere Crasso
Iam luctus jubeat? Pudenda merces
Haec pro muneribus viro feratur!
Et solatia magna sunt doloris:
Exemplum manet inclytum sepulti,
Nec totus periit. Vigent relicta
Crassi tot monita et colenda jussa
Fidis indita mentibus minorum.
Sunt, vestigia qui premant magistri.
Sunt, sunt, qui studeant referre Crassum,
Forti pectore grande quid minantes. —

Et

Et nostrae superest decus Minervae,
Nec digno Sophie caret nitore,
Ant ullas metuit sibi tenébras.
Luces nobile candidumque lumen
Nobis tu, bone Swindeni! superstes,
Qui longo pariter verendus aevo,
Qui sera pariter vigens senecta
Dignum Palladiae vales catervae
Exemplum dare et auspicem choréis.
Quare ut te vegetum diuque salvum
Conservet Deus, hic dies precari
Primum nos jubet: at sequente voto
Nobis insuper hoc rogare fas sit,
Huic nunquam ut jubar occidat palaestrae
Sed crescat magis et novum per aevum
Multos efferat aemulos priorum,
Dignos Swindenio, paresque Crasso.

S E R I E S

EORUM, QUAE H. C. CRAS, V. Cl., EDI VOLUIT.

1769. *Specimen Jurisprudentiae Ciceronianae, quo Ciceronem justam pro A. Caecina causam dixisse ostenditur.*

1771. *Oratio de Prudentia Civili in promovenda Mercatura.* Etiam Gallice et Belgice versa.

1775. *Oratio, qua perfecti JCti forma in Hugone Grotio spectatur.*

Circa haec tempora, vel partes quasdam vel integra volumina Repertorii: *Nieuwe Nederlandsche Jaarboeken*, in ordinem redegit vel certe editionem curavit, licet anonymus.

1781. *Disputatio, qua demonstratur, nullam in Ethica Christiana praeceptum esse, quo et singuli cives in commodis suis sequendis, et principes in republica secundum politicas regulas administranda impediantur;* auro condecorata a Curatoribus Legati Stolpiani.

1785. Oratio, Belgice habita, *over de voortreffelijkheid der Staatkunde, en derzelver verband met de Zede- en Geschiedkunde;* prodiit in diario *Magazijn van Wetenschap, Kunst en Smaak* hujus anni.

1790. *Oratio, de dicto Ciceronis: non opinione, sed natura jus constitutum esse.*

1792. *Disputatio de Hominum Aequalitate ac juribus officiisque, quae inde oriuntur;* hoc anno praemio ornata a Societate Teyleriana, atque praefatione aucta iterum edita Latine et Belgice, anno 1794.

1793. *Disputatio de principiis Doctrinae Morum;* auro condecorata a Societate Hollandica Scientiarum Harlemensi; iterum prodiit, nova praefatione aucta, anno 1794.

1795. (Anon.) *Verhandeling over het herstel der Finantiën van den Staat en de invoering van papieren geld in Holland.* Amsterdam.

—— (Anon.) *Verhandeling over de vraag, of eene Nationale Conventie de Constitutie moet voorafgaan of volgen?* Amsterdam.

—— (Anon.) *Bezwaren en Overdenkingen over den Eed, bevolen bij de Representanten van Holland, den 9. van Lentemaand* 1795. — Et editio altera auctior.

1796. *Laudatio Hugonis Grotii;* praemio ornata a Societate Regia Suecica, separatimque Amstelodami edita.

—— *Catalogus Bibliothecae Amstelodamensis*, cum praefatione, formâ maximâ.

1802 et 1803. *Request* et *nader Request van wegen participanten in de Oost-Indische Compagnie, met adstructieve Memoriën aan het Staatsbewind ingeleverd, tegen de vernietiging der Maatschappij.*

1804. *Memoria Diderici Adriani Walraven, oratione funebri celebrata.*

1807. et sqq. Orationes tres *over het Zedelijk Gevoel*, insertae in *het Mag. van Wetenschap, Kunst en Smaak*, hujus et sequentium annorum.

1812. *Epistola ad Hieronymum de Bosch, data ad* IV. *Kal. Junii* 1810; edita nunc, praemissa *Epistola ad Danielem Hooft.*

1813. *Disputatio pro Linguae Latinae inter eruditos usu*, praelecta hoc anno; in-

inserta Vol. I. Commentationum Latinarum Classis tertiae Instituti Regii, pag. 1.

1815. *Commentatio de novis quorundam eruditorum opinionibus, quod attinet ad locum de Jurejurando*, hoc anno prodita, eodem Vol. I. Comment. Lat. Instituti, p. 121.

1817. *Elogium Johannis Meermanni.*

Censurae multorum librorum apud nos vulgatorum, insertae Diariis, *den Kunst- en Letter-Bode, den Schouwburg van in- en uitlandsche Letter- en Huishoudkunde* et *den Recensent ook der Recensenten*; quarum censurarum plerasque, serioribus imprimis annis, litera C signare solebat, et in quibus prae ceteris eminet recensio longior operis, cui titulus: *Garve's oordeelkundige beschouwing der stelsels van zedekunde van de beroemdste wijsgeeren van Aristoteles tot Kant*, edita in diario *de Schouwburg.*

Denique *disputatiunculae*, vel *relationes breviores* in Diariis literatis, e quibus in primis notandae: 1°. *Notice sur la vie et les oeuvres d'Elie Luzac*, in *Magazin Encyclopédique*, anni 1813, mense Augusto, T. IV. p. 308—333; et in *Kunst- en Letter-Bode* ejusdem anni, N°. 54, 55, 56. T. II. p. 387, 404, et 424. tertiò deinde edita in iteratâ editione libri Luzaciani, *Essai sur le bonheur*, quae post Crassii demum mortem anno 1820 in lucem prodiit. 2°. Disceptatio cum Siegenbeekio V. Cl. de gradu comparativo verbi *goedkoop*, in *Rec. o. d. Rec.* T. VII. n°. 9, T. VIII. n°. 3 et 4. 3°. Quae paene moribundus scripsit: *Bijdragen over de Definitiën en Wijsbegeerte in verband met de Wetgeving*, in *Rec. o. d. Rec.* T. XIII. n°. 4.



LECTIONES

IN SEMINARIO EVANGELICO LUTHERANO HABITAE

inde a feriis aestivis anni CIƆIƆCCCXX, *usque ad ferias aestivas anni* CIƆIƆCCCXXI.

D. JO. THEOPH. PLÜSCHKE, *Prof. Ord.*

Theologiam Dogmaticam docuit, secutus *Epitomen Theologiae Christ. Dogm.* editam ab HENR. AUGUSTO SCHOTT.

Isagogen in omnes ac singulas Theologiae universae partes tradidit tironibus.

Loca Selecta Codicis Hebr. in primis vaticinia ad Messiam spectantia, itemque partem *Epistolae ad Romanos* exposuit, provectioresque simul in interpretando exercuit.

CHRISTIANUS HENR. EBERSBACH, *Prof. Extraord.*

Doctrinam morum Christianam proposuit.

Praecepta homiletica, *catechetica* et alia, quae ad muneris sacri administrationem pertinent, tradidit, iisque varias exercitationes adjunxit.

Tertius Seminarii Professor nondum creatus est.

